
Dauisson.

5

14




VERSANTUR HIS TRIBUS
Pharmacopœi Parisienses
Ex Dono Magistri
GILLET
1765


0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

Davison (William)

PHILOSOPHIA PYROTECHNICA.


WILIELMI DAVISSONI, Nobilis Scoti, Doctoris Medici.

SEV

CVRSVS CHYMIATRICVS,

nobilissima illa & exoptatissima Medicinæ parte pyrotechnica instructus.

Multis iisque haud vulgaribus obseruationibus adornatus, & ab ipsis primis Physicæ Theoreticæ & Practicæ Elementis, inexpugnabili demonstratione illustratus, artificiosam nouamque rerum naturalium speculationem, & in vsus medicos præparationem & administrationem continens. In quo, adminiculo διακρίσεως aut συγκρίσεως Chymicæ, ex Veget. Animal. & Mineral. familia petitæ, veræ & legitimæ rerum causæ deprehenduntur, ipsa αὐτοψίᾳ demonstrantur, cum recentiorum, tum veterum omnium Philosophorum authoritate confirmantur: Hactenus ab omnibus huius sæculi Chymicis, aut in simili studij genere sese exercentibus desideratus: nunc autem solidis & inconcussis fundamentis stabilitus, & assiduo studio & longa rerum praxi, lapide veluti lydio, probatus & confirmatus.





PARISIIS,
Apud IOANNEM BESSIN, propè Collegium Remense.
M. DC. XLI.
Cum Priuilegio Regio, & Approbatione.



ILLVSTRISS. POTENTISSI-
MOQVE PRINCIPI
IACOBO STVART
LENOXIÆ DVCI, MARCHIÆ,
ET DARLEI COMITI, LIGHTONIO,
Turbontonio, Methuenio, & Sancti Andreæ
Baroni, Regni Scotiæ iure hæreditatis; summo
Thalassiarchæ & Camerario, Quinque portarum Angliæ Gubernatori ac Custodi meritissimo Inuictissimo magnæ Britanniæ Regi, à
Dormitorio, & vtriq; Regno à Secretioribus
Cōsiliis, & supremi ordinis Periscelidis Equiti.

DVM sub asylo Illustrißimi tui nominis prodire gloriatur fœtus hic informis, parentis imprudentiam, & suscepti temeritatem detegere illico vereretur, nisi animi tui consueta benignitas, sereno, vt solet, vultu occurreret & animaret. Nam sicut plantæ

ſolares, folia noctis torporem fugientia concludunt, & ad iubaris radios rurſus extendunt, quaſi à Sole vitam petitura; ſic non aliunde fœtus hic, dum ſub auſpicijs tuis prodit, te, vt radioſum ſuum Solem, ſuſpiciet ſemper & adorabit, à te ſolo vitam vigoremque exſpectaturus, vt vel hac ratione fœliciſsimum & ſecuriſsimum glorietur: fœliciſsimum, quod tanto Heroe exoriente, oriatur & ipſe: ſecurum, quoniam tuum nomen operis huius frontiſpicio conſpicuum, quaſi inſignia Regia, ædibus & ciuitatibus appenſa, contra calumniam & liuorem æmulorum ſuſtinebit. Et quanquam ingenij infœcunditas, imparem tibi gloriam ſit emenſura, tamen eo nomine ſcio, non deſpicies, ſed adſpicies potius pauxillum aquæ, è proximo fluuio tui coloni manibus extractum. In hoc Creatorem imitaturus, dum Solem tuum, æquè ſuper dignos ac indignos ſplendeſcere feceris, etſi à ſplendididiſsimis tuarum virtutum conditionibus, aut regio quo ſplendet LENOXIORVM *familia ſtemmate; (quæ vna inter Illuſtriſ-*

ſimas Europæ familias, Regnorum ſceptra conciliare docuit) abſterrear: nonne mihi ſimile quodammodo, quod olim ſeruo inutili, talentum heri abſque fœnore reddenti, meritò contingeret, dum oblata illa benigni tui vultus talenta, & accepta munificentiæ tuæ preclara pignora, ignauo olidoque illo obliuionis, & timiditatis veterno, marcere aut elangueſcere ſinerem. Quare malui audacis & temerarij, quàm ingrati & immemoris perſonam induere, hancque Philoſophiæ Pyrotechnicæ partem, ſub tui nominis auſpicio, in lucem edere. Non quod aliquid emolumenti tibi enaſci inde cogitem, quum eminentiori loco ſint res tuæ ſitæ, quàm vt inerti meâ ope indigeant. Sed memor authoramenti, quo tibi totique tuæ illuſtriſsimæ familiæ in æternum deuincior, ſtatui in poſteros meos hoc leue monumentum transfundere, vt diſcant quantum preclara tua in me merita profecerint, & quo gradu obſeruantiæ tibi, tuiſque in eternum inſeruire debeant. Interea humillimè deprecor, vt hoc humillimi mei cordis

sacrificium eo nomine accipias, quo ego licet indignus offero, & ante altare benignitatis tuę appendo. Cui non tantum vt facilem des aurem rogo, sed

Da facilem cursum ac audacibus annue
coeptis.

Interea Deum immortalem orabo & obtestabor, vt te publico bono natum, omni bonorum genere cumulatum, quam diutissimè Inuictissimo tuo Regi, amicis & seruis, fœlicem & incolumem in perpetuum præstet, è quorum numero nomen tuum & familiam venerari in perpetuum conabitur,

ILLVSTRISSIME DVX,

Humillimus & ad omnia paratissimus seruus,

W. DAVISSONVS Scotus
Doctor Medicus.

Operis Approbatio.

INfra-ſcriptus ſacræ Theologiæ Doctor in alma Vniuerſitate Pariſienſi, teſtor, me legiſſe Librum qui inſcribitur, *Philoſophia Pyrotechnica, ſeu Curſus Chymiatricus*, authore *VViliel-mo Dauiſſono, nobili Scoto, Doctore Medico*: nihilque in eo reperiſſe, quod fidei Catholicæ, boniſue moribus ſit contrarium. Quin potius, opus eſt & doctum & elaboratum; quod breui facilique methodo, Chymicæ artis tum ſpeculatiuæ, tum practicæ vim, naturam, vtilitatem edocet; eamdem cum Ariſtotelica & Galenica Philoſophia maritat; intextis, ex vetuſtiſſimorum Philoſophorum doctrina, floribus exornat; & latentem ſub eorundem metaphoris & allegoriis, ſane quam obſcuris, veritatem in lucem eruit. In quorum fidem has propria manu ſubſcripſi. Datum Pariſijs 6. Ian. anno Domini cIↄ. Iↄↄ. XXXV.

H. MAILLARD.

Priuilege du Roy.



OVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre; A nos amez & feaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Baillifs, Seneſchaux, ou leurs Lieutenans, & autres nos Iuges & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Noſtre bien aymé GVILLAVME DAVISSONE Gentilhomme Eſcoſſois, & Docteur en Medecine, nous a faict humblement remonſtrer, qu'il a depuis quelque temps composé auec grand peine & trauail, vn Liure intitulé, *Philoſophia Pyrotechnica, ſeu Curſus Chymiatricus*, lequel il deſireroit donner au public, à cauſe de l'vtilité qu'vn chacun en peut receuoir. Mais il craint qu'autres que luy, ou ceux auſquels il auroit donné charge de ce faire, ſe vouluſſent ingerer de l'imprimer, s'il ne luy eſtoit pourueu de nos Lettres neceſſaires, qu'il nous a treshumblement ſupplié luy vouloir octroyer. A ces cauſes, deſirant que le ſuppliant ſoit recompenſé de ſes labeurs, frais & miſes, Nous luy auons permis & octroyé, permettons & octroyons par ces preſentes, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & diſtribuer par tout noſtre

Royaume le susdit Liure en tel charactere & langue que bon luy semblera, sans qu'autres que ledit exposant, ou ayant droict & pouuoir de luy, le puissent imprimer ou faire imprimer, vendre ne debiter iusques au terme de neuf ans, à compter du iour & datte de l'impression dudit Liure : & ce sur peine de quinze cens liures d'amende, confiscation des exemplaires, & de tous despens, dommages & interests. SI vous mandons & à chacun de vous endroit soy, commettons que de nostre present Priuilege, & du contenu en iceluy, vous fassiez & souffriez iceluy exposant, & les ayant charge & droict de luy, iouyr & vser pleinement & paisiblement, contraignant à ce faire, souffrir & obeyr tous ceux qu'il appartiendra par toutes voyes deuës & raisonnables. A la charge par ledit exposant d'en mettre deux exemplaires dudit Liure en nostre Bibliotheque, & vn autre exemplaire és mains de nostre tres-cher & feal le sieur Seguier Cheualier, Garde des Seaux de France. CAR tel est nostre plaisir, nonobstant clameur de Haro Chartre Normande, & lettres à ce contraires. Donné à Paris le 5. iour de Feurier l'an de grace 1635. & de nostre regne le vingt-cinquiesme. Et au dessous est escrit, De par le Roy en son Conseil, & signé DE GIVES, & seellé au grand seau en cire jaulne.

Hei mihi! quam magnis diuexor, Cynthia curis!
Vror, et heu nostro manat ab igne liquor,
Sum Nilus, Ætnaque simul, extinguite flammam
O lachrymæ lachrymas ebibe flamma meas.

Zanas

Dieux! que je suis reduite a de nouuelles peines!
Je brusle, et mon brasier faict Naistre des fonteines,
Ces ennemis sont ioins pour nourir mes douleurs;
Ie suis le Nil plein d'eaux et L'Etna plein de flamme,
O mes pleurs eteignes cette ardeur qui m'enflamme
Et toy ma viue ardeur desseiche tous mes pleurs.


Mr. de la Pinebière.

EMBLEMA TOTIVS OPERIS

Repræsentatores sunt Psyche seu Anima forma. Animam



Cupido seu Intellect⁹. Protheus rerum Protheus alloquitur.



TOTIVS OPERIS PARTITIO.

DE CHYMIA, seu chymiatria generatim, ac veluti compendiario quodam sermone pertractaturus, operæ pretium fore existimo: si eius quidem naturam, partes, principia, & præcipuas affectiones vniuersim enucleauerim. Et primò quidem de eius natura, eiusque cum aliis Physicæ & Medicinæ Sectis comparatione tractabo. Secundò obiectum huius artis, nempe puri & impuri in mixtis naturam, originem, progressum, ordinem; quatenus in rerum

naturalium generatione, accretione, nutritione, & conseruatione: tùm demum corruptione, diminutione, resolutione, & alteratione; quasi à synthesi ad analysim transiens, breui orationis filo comprehendam. Interea ad analyticum mixtorum processum, & puri ab impuro separationis viam properans, artis omnes terminos, qui ἐγχειρήσει Chymicæ inseruire videntur, non minùs breui, quàm vtili explicatione tradam. Quartò aperiendo mechanicam vegetabilium, animalium & mineralium lithurgiam, & absconditos eorumdem thesauros, quoad poterimus, euidenti demonstratione finem hisce rudimentis, & rerum primis adumbrationibus imponemus.



DE CHYMIÆ natura.

CAPVT PRIMVM.

CHYMIA eſt ars ab Altiſſimo creata, & in natura inſtituta, quæ corpora naturalia mixta, in ea, ex quibus conſtant, reſoluere docet. Reſoluendo verò obſeruationes & experimenta ſuppeditat: per quæ cauſæ, & affectiones corporis naturalis inueſtigantur: reſolutiſque tandem illis, & debitè præparatis (poteſtate & vitali robore) vniuerſos corporis languores auferre ſatagit. Fundaturque eius naturæ facultas in ſemine & balſamo vegetabilium, animalium, & mineralium: adeóque manifeſtum eſt, legitimam eius naturæ cognitionem, præparationem, & adminiſtrationem; Chymicam conſtituere artem, & profeſſores eius Chymiatros rectè appellari.

Nomen habet ἀπὸ τοῦ χέειν, vel χέεσθαι, vel ἀπὸ τῶν χυμῶν, quod ſcilicet metalla dura, & è terræ viſceribus effoſſa, fundere primò & liquare docuerit. Dicitur quoque addito articulo Arabico *Al*, Alchymia. Dicitur etiam

Spagyrica, ἀπὸ τοῦ σπᾶν, quod eſt diuellere, & ἀγείρειν congregare. Dicitur & ars deſtillatoria. Dicitur Pyrotechnia, quoniam abſconditam rerum naturam, ignis adminiculo, manifeſtat.

Empirica etiam, quia abſque obſeruationibus, aut cognitione cauſarum ab Empiricis deſtillatoribus fuit primò detecta.

Perfecti magiſterij, quia abſque huius cognitione; quæ tota in reſolutione corporum naturalium conſiſtit; nullus vnquam ad veram cauſarum cognitionem peruenire poteſt, licet pro abſolutiſſimo Philoſopho & Medico ſeſe iactitet.

Et ars ſeparatoria, ſegregatoria.

Duplex eſt. Vniuerſalis, & particularis. Vniuerſalis, quæ vno eodemque medio impuritatum morboſarum reſolutiones, corroborationes, conſumptiones, mitigationes, præparationes balſami abſoluit: hoc eſt lapide & tinctura Philoſophali.

Particularis vero, quæ vires, actiones, conditioneſque omnes vniuerſalis Chymiæ (quoad fieri poteſt) imitatur: verſaturque vel in metallorum præparatione, & dicitur ἀργυροποιία, aut χρυσοποιία: vel in Medicina facienda, & tunc neceſſitatem præparationum & compoſitionum proſequitur: quibus cruditates maturantur, impura ſeparantur, corpora ſoluuntur, colores, ſapores, odores, & ſimiles qualitates, humanæ naturæ infe-

stæ, corriguntur, mitigantur & tolluntur, illæsis viribus, morborum curatricibus; diciturque Chymiatria.

Qui de eius præstantia & antiquitate, déque præcipuis Galenicorum & Chymicorum differentiis pleniùs erudiri cupit, tum Libauium legat, tum compendiario modo Danielem Sennertum, libro cuius titulus est, *De Chymicorum cum Aristotelicis & Galenicis consensu, & dissensu*: apud quem hæc & alia multa inueniet ad hanc rem attinentia. Nobis verò satis erit differentiam Chymicorum & Galenicorum remediorum leuiter proponere, ne ab aliis commemorata frustra repetere videamur.

DE VVLGARIVM remediorum, doctrinæque cum Chymicis collatione.

CAPVT II.

REMEDIORVM differentiæ ex diuersis morborum naturis essentiisque, quas Græci vocant ὑπάρξεις, & curandi ra-

cionibus desumuntur. Sunt alia diætetica, quæ & alimentaria vocantur; quia proprietates alimentorum imitantur, morbosque solum alimentarios curant. Alia medicinalia altiora, & inferiora, ex quibus potentiores efficacioresque proprietates educuntur. Hæc autem sola & sincera periculosè assumuntur, & symptomata grauia inducunt, quia vires spirituum mechanicorum superant, nisi præparatione innoxia reddantur.

Qua ratione ductus Galenus *Commentarijs in lib.2. de victus ratione in acutis*, ait; Medicamentorum purgantium facultatem corporum nostrorum naturæ contrariam & deleteriam esse. Paracelsus quoque labem & malignam istorum remediorum qualitatem, ob peccatum, pœnæ loco, à Deo fuisse inflictam, & naturam in calamitosam sortem transplantatam non amplius puras essentias: sed rudes, mobiles, & venenatas producere: quæ effectus producunt suæ naturæ similes, vt plurimum excedentes, sæpe morborum & mortis authores.

Alia sunt prorsus venenata, vt Antimonium, Mercurius, Sulphur viuum, Vitriolum, mineralia ferè omnia, Helleborus, Tithymalus, Colocynthis, Scammonium, Opium, Cicuta; quorum vsus in aliquibus morbis grauissimis necessarius est; & tamen sine præparatione nullo modo exhiberi possunt. Frustra enim lacte & cydoniis nutriuntur. Frustrà

odoratis & cordialibus purgantia medicamenta naturæ amica redduntur. Impuritates enim, quæ firmiores radices egerunt, non alimentariis remediis, imo nec purgantibus cedunt: quapropter venenata necessario aduocanda sunt. Sed quoniam ab vsu remediorum venenatorum vix abstinere possumus, & venenata omnia balsamum habent naturæ consentaneum: impij vtique essemus, & officij nostri desertores, nisi separationi strenuam operam nauaremus, vt ablato veneno, puris & salutaribus balsamis amicas naturæ curationes tutò aggredi possimus.

Quis ergo pilularum omnium compositionem, quam venenata illa simplicia ingrediuntur, vnquam laudare potest, vt & Colocynthidem, Helleborum, Turbith, Hermodactylos, succos Tithymalorum, Elaterium, Scammonium, Euphorbium, quæ tam manifesta venena, cruda & impura continent, sepè dissentaneis rebus ad mixtionem non tendentibus, vt Resinis, Gummatis, Serapino, Ammoniaco, Galbano permixta, quę nisi exigua molę excusarentur, eorum exhibitiones iamdudum ab ægris repudiatæ obsolescerent. Sacchari & Mellis præsentia sæpè noxia est. Si spiritum Mellis acutissimum & venenatum, si Sacchari abominabiles fæculentias conspexissent Arabes, parciores fortè & prudentiores procul dubio fuissent in prolixa & nimis ampla Syrupo-

rum ostentatione.

Electuaria purgantia, vt Diaphœn. Diaturbith, Diacydonium, de succo rosarum, Diaprunum, Diapsyllium, confectio Hamech, Indum maius & minus, multis nominibus accusantur, quod crudis radicibus, corticibus, fructibus & foliis naturam fatigent, quoniam impuritatum non sunt factæ separationes, quod dissentanearum rerum mixtione contaminantur, tardarum actionum accelerationes, flatuum discussiones, amaritudinum, erosionum, & acrimoniæ mitigationes aliter emendari possunt, quàm admixtione Cassiæ, Tamarindorum, Mannæ, Anisi, Fœniculi, Cymini, Cinnamomi, Caryophyllorum, nucis Moschatæ, Dactylorum &c. quia tales mixtiones & compositiones non sunt naturæ legibus consentaneæ, testante id Galeno *lib. 3. de composit. simpl. medic. cap.* 15. Is enim malignas qualitates non tolli aliorum admixtione, sed solum gustum falli existimat.

Sic veluti pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur, priùs oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flauoque liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur
Labrorum tenus: interea perpotet amarum
Absinthi laticem, deceptaque non capiatur.

At natura, Chymiæ beneficio, coquere iubet,

cruda maturare, impura separare, amaritudines in dulcedines transmutare, erosionum, colorum, saporum, coagulationum tædia mitigare.

In aliis vero remediis, in quibus manifestè venena non delitescunt, adsunt vt plurimum coagulationes, sapores, odores, caliditates, frigiditates, & proprietates narcoticæ, diaphoreticæ, diureticæ, deiectoriæ, vomitiuæ, resolutoriæ: quarum violentos impetus impressionesque humana natura, sine graui clade, ferre non potest. Perfectissimarum deinde rerum balsami & expetitæ proprietates tam densis corporum carceribus continentur, vt fauorem & beneuolentiam, quam naturæ debent, patefacere non possint. Itaque Corallorum, Perlarum, Gemmarum, Auri & Argenti, reliquorumque metallorum vires, dolent se frustra in mundanam prouinciam venisse, & mortalium scelestam temeritatem continenter accusant, quòd tantarum prædestinationum immemores, ad quas naturæ prouidentia determinabantur, in peregrinos & infames vsus tantarum rerum maiestatem commutarint.

At Chymiatria vires medicamentorum rectiùs cognoscere docet. Sunt enim plurima simplicia medicamenta, quæ propter diuersas partes, diuersas vires possident; purgant, & astringunt, vt Rhab. Inficiunt veneno, & veneno resistunt, vt Scorpius & Vipera. Ca-

lefaciunt, & refrigerant, vt Acetum. Vnde quæstiones hactenus non satis explicatas soluit. Verbi gratia, Opium frigidum hactenus est creditum, quia narcoticum. Atqui amarum est: amara vero calida. Quum nodum facilè soluit Chymicus, demonstrando vim narcoticam, non tam à frigiditate, quam à sulphure tenui, & sale volatili dependere, eandemque esse amaram in Opio.

Deinde citò, tutò, & iucundè Chymia medetur. Citò, quia eius medicamenta vim penetrandi habent, nec in ventriculo diu morantur; sed suam vim actutum exerunt, & morbos radicitus tollunt: quia nempe materia crassa (quæ operationem impediebat) separata est, viribus mixti exaltatis. Tutò, quia eius beneficio alienæ & noxiæ qualitates tolluntur, puræ solum & expetitæ conseruantur, exaltantur & augentur. Imo, arte Chymica, ex venenis tuta medicamenta fieri possunt. Notissima nempe est Mercurij & Arsenici venenositas. Vtrumque tamen ita parari potest, vt sine periculo intra corpus assumi possit. Denique iucundè, quia sublatis impuritatibus cuncta grata reddit.

Porrò solida & dura, qualia sunt mineralia, metalla & lapides, quæ integra à calore nostro in actum reduci nequeunt; hac arte naturæ familiaria & vtilia redduntur: adeò vt soluta & Chymicè præparata efficacia sint, vt in lingua ipsa suas vires exerant. Et si hoc

vix persuaderi possit: Thermæ & Aquæ acidulæ euidens argumentum suppeditant, quarum vis in morbis grauissimis maxima, tota ex metallis, & mineralibus dimanat.

Verum & antiqui Medici ista non solum extra, sed intra corpus exhibebant. Chalybem scilicet, Sandaracham, Sulphur viuum, æris squamam, æs vstum & similia: sicut patet ex Dioscorid. *lib.*10.*cap.*17. & *lib* 5. *cap.*47. 53. 54. & Galeno, *de simplicium medicamentorum compositione lib.*2.*cap.*36. & Celso *lib.*2.*cap.*12. Quis Medicorum hodie (nisi forsan qui eum nunquam vidit) spiritum vitrioli non vsurpat? Item, spiritum & flores Sulphuris, spiritum quoque Salis? Quis nescit quantum medicamenta è Chalybe præparata ad viscerum obstructiones, cachexiam & alios morbos tollendos à pluribus Dogmaticis commendantur? Nitrum præparatum (quod sal prunellæ vocant, & vulgo crystallum minerale) hodie in malignis febribus, & ardentibus tollendis, fœlicissimè vsurpari pauci ignorant. Antimonium & Mercurium, etsi fortiora sint medicamenta, parciusque, quam cætera vsurpanda, rectè tamen præparata, & in morbis conuenienter exhibita; ea efficere quæ aliis medicamentis vix præstari possunt, experientia ipsa testatur. Et Mercurius, si rectè præparetur, ac cum iudicio exhibeatur, in hydrope quid possit, quantumque aliis præualeat medicamentis, qui nescit, pericu-

lum faciat, & infinitos sapientesque artifices, qui illum experti sunt consulat: & tuto, cumque maxima vtilitate hydropicis exhiberi posse resciet.

Nec tamen censuram subterfugient famosa illa remedia, quæ nunc per vniuersam Galliam, totiusque pænè Europæ regiones laudantur ab his, culpantur ab aliis. Inter quæ Antimonij vitrum producemus, cum accusationem mereatur, quia puri ab impuro separationem non recipit: quod resolutionem debitam & digestionem non sustineat: quòd fusionem vitrificatoriam admisit, in omni remediorum præparatione fugiendam: fusiones enim spirituales requirimus, non corporeas. Frustra quoque purgationes alui per Antimonium obstinatè instituuntur. Altioribus muneribus destinatum id fuit. Sulphuris flores sublimati & reiterati innoxij sunt. Impuritates enim pleuriticas, pestilentes, peripneumonicas tutò & subitò auferre valent: tusses antiquas & asthmaticos affectus egregiè subleuare, ponderum proportionibus commensuratis, ignis & instrumentorum idoneorum exhibitiones in hac operatione fata regunt. Crocus Martis innocuum planè est medicamentum in pluribus affectibus: hic ignis temperamentum, fornacis commoda constructio primas tenent. De aquis diureticis, corrosiuis: tincturis corallorum, resolutione crystalli, de oleo Arsenici, Plumbi

& ſimilibus priuatim agemus.

Sed vt nihil vltra de remedijs dicam, quantam lucem, quæſo, in naturæ obſcuritate inueſtiganda Philoſopho adferat Chymia, facile eſt conſideratu. Vnde recte Meſue *in Antidotario ſectione 22. de oleo ouorum*, *Chymici*, inquit, *appellantur, qui quæ occulta ſunt in rebus, manifeſtant & detegunt.* Vt confidenter dicere auſim, neminem ad penitiſſimam rerum naturalium cognitionem peruenire poſſe, qui in Chymicis operationibus, quibus res naturales artificiosè reſoluuntur, & quarum beneficio admirandi rerum conſenſus, & diſſenſus inueniuntur, exercitatus non eſt.

In primis vero eos, qui de mineralibus & metallis ſine Chymiæ cognitione ſcribere aliquid tentant, ſæpiſſimè & turpiter errare neceſſe eſt. Quare oculatiores Philoſophi, Phyſici, & magnarum rerum ſcrutatores Chymiam iam laudare & colere occœperunt. Propterea non abs re ſcriptum puto ab Andrea Libauio, *in præfatione nuncupatoria ſupra Alchymiam*, illum Medicum non eſſe magnum, cui Alchymia non ſit magna.

Verum in laudem Chymiæ hic plura non congeram, ſi hoc vnum ſolum addidero: nimirum, quod dum veram Chymiam laudo, nullo modo patrocinari volo pſeudochymicis: qui poſtquam vnum aut alterum medicamentum vtcunque præparare didicerunt,

Empiricorum more, nescio quæ non pollicentur, atque omnes Galenicos altó supercilio despiciunt : ipsi tamen bonarum artium rudes, & imprimis Medicinæ ignari. Nihilominus nullo alio, quam Hermeticorum Medicorum nomine, appellari volunt.

Verum vt quæ sit genuina illa, & quam laudem mereatur Chymiatria, videamus : rem ipsam aggrediamur.





ILLVSTRISS. PRINCIPIBVS

GEORGIO, LVDOVICO, IOANNI, ET BERNARDO STVART,

POTENTISSIMI PRINCIPIS Lenoxiæ Ducis fratribus germanis.



ELEBRIS fuit illa apud potentißimos Persarum Reges in munere ferendo mos (Fratres Illustrissimi) *qui & successorio quodam consuetudinis iure ad nostrum hoc seculum non immerito dimanauit, vt quibus Magnatum & Principum promerendi gratiam animus esset, ijs ad illam, non nisi per munusculi alicuius oblationem, aditus patesceret. Huius ego prisci moris æmulus, va-*

cuis planè manibus vos adire, nec volui, nec potui. Persas tamen in hoc haud imitaturus; quod illi demerendi fauoris viam tutißimam, munerum prębitionem existimarēt. Ego vero non opes, nec res comparatu difficiles adfero (nam quid illæ vobis tam liberali sorte præditis?) sed laboris & ingenij mei munusculum leuidense, quo gratæ voluntatis eximio externóque specimine, profusiorem interioris animi, sincerique cordis affectum repræsentem. Meum itaque studium, conatum, mentémque meam, & si quid amplius offerri possit, vobis offero, dico, consecro. Et certè ingratus essem, si vos me summo fauore prosequentes, beneficijs innumeris cumulantes, me quoque, nullo meo vt fatear merito palam laudibus ornantes, aliquo munere minus dignos reputarem. Quid memorem vestram de me conceptam fiduciam? Nam si verum sit illud, quod vulgo inter Medicos percrebuit dictum, plures illos sanare in quo plures confidunt: profecto hoc saltem nomine (absit iactantia) mihi aliquo pacto gloriari de resti-

tuta aliquoties vestra sanitate concederetur; dum vitam, & si quid caducum vitâ charius esse poßit, totum hoc meo consilio gubernandum commiseritis. Denique tot tantaque vestra in me extant promerita, vt vix illa percensere numerando, nedum remuneratione explere aliqua poßim. Nisi forte, quæ vestra est humanitas, retulisse me gratiam existimaueritis, si memoria tenuero. Neque enim excident,

Dum memor ipse mei, dum spiritus hos
regel artus.

Accipite igitur antidoron hoc, quod in vestri memoriam, vestro nomini inscribo. Munus sane hæreditario iure vobis solis debitum, quum non tantum in fortunę bonis, Illustrißimo fratri successores legitimi, sed etiam ingentium illius virtutum ęmulatores strenui censeamini. Et quum primam huius Philosophiæ Pyrotechnicæ *partem eius nomini dedicauerim: cui hæc secunda, quam vobis Illustrissimi Ducis fratribus, vt conuenientioribus patronis debebitur? Vobis (in-*

quam) quibus beneficiorum tot acceptorum memoria debetur. Interea humillimè vos rogo, ne hoc tanquam remunerationem, ſed perpetuæ meæ obſeruantiæ pignus, Perſica ſerenaque fronte (qui munera quæque ſibi oblata gratioſè deoſculati ſunt) accipiatis & ſuſcipiatis, meque illis, qui vobis plurimum debent, voſque plurimi faciunt annumeretis, qui ſum ex animo,

ILLVSTRISSIMI FRATRES,

Veſtri humillimus & obſeruantiſſimus cultor

W. DAVISSONVS Scotus
Medicinæ Doctor.



PARS SECVNDA.

DE ARTIS OBIECTO; hoc est, consideratione puri & impuri, diuersisque eorum acceptionibus, tam ante, quam post separationem è mixto.



TRACTATVRVS in hac secunda parte de artis obiecto, quod tam ante separationem puri ab impuro, quàm post in mixto innotescit: æquum & necessarium ante omnia duxi, vt inquiram quid sit purum, quæ origo, quis progressus vsque ad prima elementa. Secundo, in quem finem eius ab im-

puro separatio instituatur. Tertiò, qui sint gradus ad separationem illius. Quartò, per quæ media ad id perueniatur.

Puri autem significatio apud Physicos sumitur, vel generaliter, vt est in omnibus mixtis ante separationem. Et in hoc sensu Aristoteles lib. 2. de generat. animal. *ait esse animæ seu seminis proximum receptaculum, spiritum vitalem, principium, atque etiam corpus: additque esse naturam analogam* τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ, *nimirum* τὸ καλούμενον θερμόν, *cum hoc ipsum sit, quod facit vt fœcunda sint semina.*

Platonici etiam considerantes continuitatem huius mundi cum Archetypo, deprehenderunt materiam quandam, fœcunditate rationum ab anima mundi conceptarum, grauidam, quibus explicarentur ac statis temporibus prodirent quæcunque in sinum superioris naturæ quieto silentio continebantur. Atque ea ratione seminalem naturam, tanquam seminum conseruatricem & propagatricem, Aristoteles & Theophrastus appellarunt: qui & præstantiorem quandam naturam, potentioribus signaturis & qualitatibus ornatam, in natura con-

tineri professi sunt: quæ mobilem & momentaneam indiuiduorum naturam, stabili specierum conseruatione, ab interitu tueretur. Rectè igitur Theophrastus vitale naturæ principium appellauit, quod cæteris omnibus elementis viuendi facultatem suppeditat. Planiùs Aristoteles (quid mirum? præceptore vtpote vsus Platone) facultates animæ generationi dicatas in corpore quodam habitare dicit, non dubijs externorum elementorum qualitatibus contaminato, sed puro & diuino: corporaque inter se differre subtilitate, puritate, tenuitate, crassitie, mobilitate, secundum facultatum gradus & conditiones quas participant.

Fernelius palam fatetur in Natura excellentius quidpiam contineri, quam ipsas elementorum naturas: maximóque in errore versari illos, qui omnium actionum causas ijs adscriberent. Sed rerum difficultate perterritus, post longa tædia, in ipso limine victoriæ vestigia adumbrata posuit; Naturæ officia, proprietates, & conditiones interni huius elementi se ignorare modestè professus; occultas nempe proprietates in hac familia contineri affirmans. Etenim

hæc est illa Natura, in qua seminariæ rerum rationes delitescunt, quibus schola Platonicorum triumphat. Et nisi nominum inusitatis rebus infamiam procrearet, dicerem hanc esse quintam essentiam, à nigris illis Philosophis decantatam.

Denique quid est aliud, nisi materia balsamica, defendens corpus ab eschara & vermibus, continens in se omnes rerum inferiorum ideas, & quasi ex diuite penu distribuens singulis rebus suam internam formam? Præterea à Platone in Timæo, ratio seminaria, siue semini inclusa, anima mundi appellatur. A Paracelso Balsamum, Mumia, Elixir, quinta essentia, quintum elementum, Materia perlata, Materia crystallina, humidum radicale, Melissa, multisque alijs nominibus, quæ hic inserere longum esset.

Vocatur etiam ab Hippocrate, libro de antiqua Medicina, δύναμις. Is nempe postquam eorum hypotheses repudiasset, qui caliditati, humiditati, frigiditati, siccitati morborum causas & curationes adscriberent, subiungit; Πάντα ἀπὸ δυνάμεων γίνεται. Quamuis δύναμις non sit hoc ipsum purum,

sed eius duntaxat effectus, proprietas, signatura. Quæ omnia appellat amarum, salsum, acerbum, acidum, dulce, & παντοῖον. Non, inquit, est calidum & frigidum, quod habet magnas potestates: sed amarum & acerbum. Et in libro de carnibus, τὸ θερμὸν, ait, diuinum aliquid esse, omnia audire, intelligere, & animaduertere.

Particulariter vero sumitur pro singulis puri partibus, exurgentibus in mixto post dissolutionem, & separationem. Et iuxta hanc significationem, varia nomina ipsi affinguntur. Quæ tamen omnia reducuntur ad Salem, Sulphur, & Mercurium. De quibus cum institutum sit hoc in loco tractare, non alienum erit illorum originem, officia, conditionem, & naturam vniuersim considerare.

Sed cum illorum naturam partim ab Elementis sublunaribus, partim ab æthereis, & cœlestibus deducere videantur, Elementa etiam ipsa, cum habeant existentiam à materia & forma; hæ autem cum sint bases omnium compositorum, & naturæ fundamenta: non inutile erit illorum originem, essentiam, & progressum ab ipsis creationis

incunabulis deducere, tam iuxta veterum Philosophorum, quàm recentiorum, & Chymicorum edicta; ut planius universam rerum fabricam ante oculos habeamus.

Hoc fundamento primo supposito, universi opificem, ex nulla præiacente materia, hanc Machinam universi condidisse.

Secundo, ostendetur, quo sensu intelligende sint veterum de mundi creatione opiniones.

Tertio, quid veterum Rabinorum, Cabalistarum, & prophanorum Philosophorum de creationis ordine, principiorum Naturæ opiniones veritatis contineant, paucis discutietur.

4. Quæ sit Mundi, tum entium omnium causa, quo ordine, quove progressu usus fuerit in Mundi creatione, secundum veteres, universi opifex.

5. Ostendetur species rerum faciendarum in mente diuina dispositas, secundum modum causæ fuisse Platonis ideas, ex sensu veterum, & quid sint.

6. Agetur de conceptu inuisibilis & informis Hylæ; essentia omnium receptiua, eius ex nihilo creatione prima, modificatio-

ne impreßiua, tum idearum sigillo adæquatiua; vnde Chaos incorporeum & inextensum, incorporeum & extensum demigrauit, ex quo tandem educitur materia elementorum proxima.

7. Tractabitur de secunda huius Hylæ modificatione, nempe distinctione distributiua in quatuor ordines pulchritudinis, videlicet Mentis, Animæ, Naturæ, & Materiæ essentiam.

Cap. 8. Erit de Amoris ortu, eiusque in quadruplicis essentiæ Chao effluxu.

Cap. 9. Erit de Idearum influxu per Amorem in quatuor ordines pulchritudinis.

Cap. 10. Tractabit de Anima, quæ tertia mundi essentia nominatur.

Cap. 11. Erit de spiritu seu communi seminario Mundi, tum veterum Philosophorum de eius natura consensu.

Cap. 12. Demonstrabitur, essentiam Hylæ informem, sigillo Idearum iam impressam & adæquatam, fuisse infinitarum Atomorum confusam congeriem, tum elementorum elementantium molem indigestam & inconnexam; quam vulgo Chaos vocamus; ex quarum diuersissimo situ di-

versas formas corporeas exsurgere in dies conspicimus.

Cap. 13. Explicabit materiam Mundi proximam, & eius de quadruplicis essentiæ Chao, origine, & progressu, déque eius essentia inextensa, & incorporea, tum gradibus mediis vsque ad extensam & corpoream eius naturam, quæ vniuersæ machinæ materiam vltimam comprehendere videtur.

Cap. 14. De actu & viribus Animæ per spiritum, & qualitatem materiam extendentis, vnde emanant, tum Materia & Forma, tum vtriusque proportio: ex quibus denique septem elementa corporea, quæ vniuersi machinam absoluunt.

Cap. 15 De Seminibus & eorum virtute multiplicatiua in Veget. Animal. & Miner. tum de Principijs, & Elementis, Calore natiuo, Humido radicali, tum spiritibus in genere tractabitur.

Cap. 16. Demonstrabit ignis naturæ, tum Lucis, Splendoris, Luminis, & Tenebrarum essentiam.

Cap. 17. Aperiet ex prioribus occultam Salis, Sulphuris, & Mercurij, tum Elementorum originem.

Ex quo non tantum docti, ex Veterum Philosophorum dissentientibus opinionibus veritatem detectam deprehendent; tum demonstratione solida confirmatam; sed & rudiusculi, qui scholarum limina nusquam salutarunt, breuissimo temporis interuallo rerum naturalium perfectissimum ornatum & cognitionem adipiscentur: Vt Vnius mensis spatio, consummatissimos Vulgaris Physicæ studiosos, qui multorum annorum studia in illo genere impenderunt, longo interuallo, cognitionis perspicuitate & magnitudine, superaturi sint.

VNIVERSI OPIFIcem, absque aliqua præjacente materia, hanc Machinam vniuersi condidisse.

CAPVT PRIMVM.

OMnium Philosophorum qui vnquam de Natura locuti sunt, communis fuit opinio, ex nihilo nihil fieri. Quod testatur Aristoteles *lib.1. Physic.* τὸ γιγνόμενον ἐκ μὴ ὄντων ὁμογνωμονοῦσι τῆς δόξης πάντες οἱ περὶ φύσεως, id est, *Non potest fieri, vt id quod gignitur, ex ijs quæ non sunt, gignatur; nam de hac opinione omnes, qui de natura scripserunt, consentiunt.* Democritus etiam hanc eandem opinionem confirmat, μηδὲν ἐκ τοῦ μὴ ὄντων γίγνεσθαι, μηδὲ εἰς τὸ μὴ ὂν φθείρεσθαι. Id est, *Nihil ex nihilo fieri, neque in nihilum interire.* Sed non mirum, hunc consensum, cum ex creationis ignoratione oriretur, omnibus Ethnicis Philosophis fuisse communem. Christani tamen aliter sentiunt. Imo testantur sacræ literæ, Deum ex nihilo vniuersam mundi Machinam construxisse, & ex

verbo, FIAT, singulas res in lucem produxisse. Cuius veritatem contra gentiles Philosophos multis rationibus à sensu, & ratione ductis, luce clariorem reddemus.

Et primo descendamus in hunc vniuersum, Microcosmi & Macrocosmi nomine ornatum, mundum, vt videamus & inquiramus, ex quibus principijs, partibus, & elementis conflentur. Primo itaque distinguendo vniuersam mundi machinam in quatuor rerum gradus, nempe in eos qui sunt, qui viuunt, qui sentiunt, & qui intelligunt; quum sub his omnia contineantur: Quærerem quis horum primus extitit. Si esse, aut non esse; viuens, aut non viuens; sentiens, aut non sentiens; intelligens, aut non intelligens. Non erit intelligens, nec viuens, nec sentiens; quum illorum fines de principiis fidem faciant: cognoscimus enim patres eorum, vt ita dicam, auos, abauos, &c. Sic de animantibus, & de plantis, quorum natiuitates, accretiones, & declinationes vtique innotescunt. Haud impari ratione, hoc idem dicemus de esse, quum inferiorem rerum ordinem sub aliis obtineant: Et proinde non possunt semetipsos producere, multo ergo minus producere reliquos. Reliquum est igitur priùs extitisse non esse, non sentire, non viuere, & non intelligere. Et tamen sumus, viuimus, sentimus, & intelligimus. Sequitur ergo, quod per externam aliquam virtutem, alioqui ex non esse

quod fuimus (si ita loqui liceat) numquam ad esse peruentum fuisset. Iam autem inter esse, & non esse, est magna disparitas; immo & infinita distantia. Non potuit igitur ex non esse producere esse, nisi causa infinita (si causa etiamnum vocari possit.) Et hæc est virtus illa externa, Deus infinitus & gloriosus.

Descendamus ad ea quæ habent simplex esse, absque vita, sensu, & intellectu, imo ad non esse vicina, vt mineralia, quæ habent vitam, alia aliis obscuriorem, vt plantæ, quæ alimentum ex terra attrahunt; & ex aëre viriditatem ingenitam. Animalia habent & esse, & vitam viuunt ex elementis & plantis. Homo diuinum animal rationis capax, & sensus; fruitur elementis, viuit ex plantis, imperat aliis animalibus, ratiocinatur de omnibus. Ecce egregium ordinem, quem absque authore, aut principio, quis vnquam concipere potest? Vnde, quæso, hæc gradatio, proportio, & varietas? Vnde differentia, vnde subiectio rerum maximarum, & extensarum minoribus, & debilioribus? Vnde est, quod aliquæ res non habent nisi esse sentiens, aliæ mouens, aliæ discurrens, aliæ magis, aliæ minus? An ex se ipsis hæc habere possunt? Restat igitur vt à potentiori principio. Et si à nullo originem ducerent, non essent optimè partita fortiora, & excellentiora corpora. Et vnde esset, quod animalia quæ non sunt nisi velut gutta vna aquæ, aut atomus vna pul-

neris terræ, sint in gradu altiori supra ipsa? Et vnde est, quod homo, cùm omnium animalium debilissimum conspiciatur, dominetur supra elementa, plantas, & animalia? Est igitur omnium rerum quidam partitor, in cuius custodiâ omnes res naturales fiunt, conseruantur, & incrementum accipiunt.

COMMVNIS NOTIO.

A Philosopho Christiano pro indubitatæ veritatis positione teneri debet, Vniuersi opificem, ex nulla præiacente materia, hanc machinam vniuersi condidisse, ne cum Arist. Materiam primam, vel cum Paracelso Mysterium eius magnum ab æterno, contra Christianæ fidei dogmata inepte admittere cogamur.

QVO SENSV INTELligendæ sint veterum de mundi creatione opiniones.

CAPVT II.

QVVM in immensi huius orbis delineatione & fabrica, nec intellectus humanus, nec ratio vlla in consilium vocata fuerint, sed solus Diuinus Spiritus, cui soli & vnico in rebus fidei auscultandum esse autumo, imo ipso diuino Platone *in Timæo* testante: *His* (inquit) *quæ de Dijs affirmantur, etsi neque necessarijs, neque verisimilibus rationibus confirmari possint, fides tamen habenda est, cum à Deorum filijs habita sint.* Namque vt idem *in 2. de Repub.* dicit: *Deus verbo & facto est verissimus.* Quod totum piè consonat legi nostræ. Articuli namque fidei, maiore ex parte, probari non possunt. Sed cùm à Deo vel Sanctis Apostolis traditi sint, sine dubitatione aliqua à nobis amplectendi sunt. Et si aduersus eos aliquæ adducerentur rationes,

quas ſoluere neſciremus : non rei ipſi, ſed nobis cæcutientibus adſcribendum eſſet, vt idem Plato *in Phædro* teſtatur. Quocirca plurima hic obiter, & quantum principiis melioribus videntur conſentire, ex veterum monumentis tranſlata : non tam vt principia, quàm operis quædam quaſi emblemata appingam. Quibus ſi non acquieueris, artis totius neceſſitati nihil tamen offeceris.

QVID VETERVM Rabinorum, Cabaliſtarum & prophanorum Philoſophorum de creationis ordine & principiorum natura opiniones veritatis contineant.

CAPVT III.

QVAMVIS Omnipotens vt ei placuit mundum creauerit, imo in momento ex nulla præjacente matẽria, ſed ſolo nutu, illum, ſi libuiſſet, è tenebris in lucem eduxiſſe potuerit: dixit enim, & facta ſunt omnia.

Ordo tamen creationis principiorum & naturæ, antequam natura creata esset, in mente Diuina descriptus erat. Quem ordinem potius quam ipsum creationis opus, in sua Genesi exposuisse videtur sacer Philosophus. Hoc innuit Trismegistus *in Pæmandro*, dum Deum formam suam mutasse, ac vniuersa subito reuelata, & in lucem prodeuntia fuisse refert. Nam nihil aliud est mundus, quam occultæ Diuinitatis imago. Quem Vniuersi ortum intellexisse videtur per Palladem suam, è Iouis cerebro, Vulcani, nempe igne siue luminis Diuini ope, extractam. Sic Archetypus qui totus lumen est, ante vniuersi creationem, in se complicatus vt liber, sibi luxit soli. In mundi vero productione quasi parturiens sese aperuit & explicuit, opusque suum in mente, velut in matrice, prius occultum, quadam sui extensione manifestum fecit, ac mundum idealem, actualem, ac materialem eduxit, & in tam præclarum ordinem digessit; vt summa imis, & ima summis, citra confusionem intermixta, analogia quadam simili corresponderent. Recte proinde Hermes, id quod inferius est, simile ei quod est superius affirmauit. Sic mundus est quasi opus fabrile in orbem gyratum; partes eius quasi catenæ annuli, sese mutuis amplexibus stringentes, in quo natura seu spiritus Diuini opificis latet: qui primus aquis incubuit, & confusa in Chaos rerum semina de po-

tentia in actum eduxit, educta per constantem operationis rotam, versans; componendo, & resoluendo hæc inferiora Hermeticè tractat, & vbique præsens deprehenditur. At hanc Naturam vniuersalem primæ ancillantem, & tanquam instrumentum ab ea motum immediate singula in mundo naturali ordine mouente; qui agnouerint, à Philosophorum & Theologorum mente discedere non videbuntur, modo illam Naturantem, hanc Naturatam concedant. Huius tamen mundi naturam quandam primam, elementis ignobiliorem, crediderunt Philosophi: sed illam, quia obscurè (ex ignoratione certæ creationis) cognouerunt, confusè etiam & tanquam in nube explicarunt: vnde mille dubia posteris reliquerunt. De quibus tamen aliquid certi decernere paucis conabimur.

Naturam quandam caliginosam, informem, & indigestam creatam fuisse creditur, quam sacra pagina terram inanem, ac vacuam appellat; veteres autem Philosophi & Poëtæ immensum illud chaos, ex naturis diuersis indigestè compositum; ex quo natura, seu abyssus aquarum profundarum, pro tertio gradu educebatur; proxima elementorum natura, ex qua spiritus increatus, mundi faber, confusas rerum naturas distinxit. Spiritus enim Dei, qui Diuinitatis splendor est, in ipso creationis momento super aquas, hoc est super humidam & opacam abyssi faciem fluxit, vn-

de statim lux apparuit, quæ partem eminentiorem, & sublimiorem materiæ, nictu oculi, inuasit, quadamque circumferentia quasi limbo eam sepsit, aut velut flammam, quæ celerrimè fumum proximum accendit; sic prima dies orta est. Pars autem tenebrarum inferior, luce vacua, nox remansit; sic in diem & noctem diuisæ sunt tenebræ. Duo itaque rerum principia ab initio apparuerunt. Vnum luminosum & spiritale, Naturæ proximum. Alterum omnino corporeum, & tenebrosum. Illud vt esset principium motus, luminis, & caloris. Istud vero, principium stuporis, opacitatis, & frigoris. Illud actiuum & masculeum. Hoc passiuum, & fœmininum. Hisce duobus principiis adiunctum fuit & tertium, amor videlicet Deorum antiquissimus à Platone dictus, à Diuino spiritu nascenti naturæ inspiratus, eiusque ingenio tanquam genius præpositus. Primumque eius vinculum apparuit inter Materiam primam, & eius Formam vniuersalem, Cœlum & Terram, Lucem, & Tenebras, Porum, & Pœniam; copiam, & inopiam, pulchrũm, & deforme. Secundus amoris gradus ex prima illa copula, quasi parentum amplexu, in elementis apparuit, quæ fraterno inter se animo deuincta, vniuersum naturæ ius optima ratione diuiserunt. Postremus & tertius gradus in mixtis absoluitur, quæ insitis & naturâ congenitis amoris vinculis, in sui similium

propa-

propagatione, & multiplicatione feruntur. Triplicem hunc amoris nexum, tanquam nodum magicum, in rebus creatis Diuinus amor constituit, vt se quasi per traduces in vniuersas & singulas opificij sui partes extenderet amor; siquidem est basis vniuersi, naturæ cubus, & inferiorum vinculum.

Et quoniam amor totus extra se porrigitur, Diuina natura solitudinis impatiens, & pulchritudinem suam in lumine iam creato, tanquam in speculo, mirata, in eius extensionem exardescens, lumen illud protendi & propagari iussit. Tunc lumen spiritu igneo à mente diuina progressum, & se in gyrum voluens, cœpit & in propiores tenebras agere, illisque depulsis ac deorsum centrum versus depressis, illuxit secunda dies, & substitit secunda luminis mansio, siue cœlum secundum; totam regionem æthercam amplectens. In cuius superiori plaga tot faces postea sparsæ, & affixæ sunt. Et hoc fuit firmamentum. In inferiori autem septem errantia sydera ex ordine sita fuere, vt lumine, motu, & influxu suo, naturæ subiacenti, tamquam rectores ac præfecti legem dicerent. Tandem ne quid operi tanto, in mente Diuina jampridem exarato, deficeret, idem Spiritus igneo, & micante gladio tenebras condensatas, vmbramque ex aduerso superlabentem profligauit & in centrum abyssi detrusit. Sic postre-

mum cælorum spatium lumini peruium factum est. Quod aërem siue cœlum inferius recte dicimus. Et tertia tunc dies effulsit. Tenebræ autem, quæ totam abyssi faciem in principio occupabant, à luce superueniente in regionem infimam per triduum depressæ, ita condensatæ fuere propter spatij angustiam, vt in aquæ naturàm & molem ingentem migrauerint. Qua ratione ductus Melissus, aquam primam materiam constituit. Librata in medio aquarum mole, firmatáque ex parte crassiori abyssi materia in solidum & opacum terræ corpus, totius opificij centrum, quasi tenebrarum vallem ac tumulum cessit. Postmodum spiritu impellente aquæ à terræ facie ad eius latera circumuolutæ recesserunt, & apparuit arida, vt Vegetabilium, Animalium & Mineralium vitæ inseruiret. Terra itaque & aqua in vnum globum coierunt. Cuius propter densitatem opacitas siue vmbra abyssi tenebrosi imago, totam aëris viciniam Soli oppositam continuo obsidet, & inuoluit: prosequentis enim lucis pari spatio aduersa refulget.

Præmissum autem ordinem & progressum in rerum creatione testantur non solum sacræ literæ, sed & prophani Philosophi & Cabalistæ, qui aut Moysis libros legerunt, aut ab aliis traditione exceperunt. Inter quos Hermetem Trismegistum proferam, cuius doctrinam si cum sacris litteris

contuleris, mirum cum illis consensum videbis.

Principio enim Geneseos Moyses depingit creationem mundi. Similiter & Trismegistus in Pæmandro. Moyses vidit tenebras super faciem abyssi, & spiritum Domini qui incubabat aquis. Merc. vidit vmbram horrendam, quæ transibat in materiam humidam, & naturam istam humidam mirificè agitatam verbo Dei. Moyses refert Deum tantùm dixisse, & fuerunt omnia facta. Et Merc. introduxit & recognouit verbum Dei lucens, per quod creauit lumen, & fabricauit mundum, & omnia quæ in ipso continentur. Moyses diuisit naturam humidam in duas: Vnam ascendentem, quæ appellabatur cœlum. Alteram descendentem, quæ dicebatur mare. Merc. vidit quasi ex visceribus naturæ humidæ ignem leuem ascendentem, quem aëra appellabat. Aërem similiter inter aquam, & ignem sese insinuantem, quibus aqua & terra mixtæ fuerunt; quousque Deus dixit; tum vnaquæque suam sedem assumpsit. Hoc ipsum ait & Merc. cui consonant vbique sacra Eloquia.

Quisnam autem fuerit hic Mercurius Trismegistus, aut quæ fides ipsi sit adhibenda, inter Authores celeberrimos vix constat. Hoc tantum patet, eum ex eorum numero, quos Cabalistas nominamus, fuisse. Cabalistæ autem tales erant, qui ore tantum, ac

ſermonibus, ab vno ad alium deriuatam, & quaſi per manus traditam quandam ſcientiam, quam Cabaliſticam vocabant, agnoſcebant. Cuius primum authorem alij Adamum, alij Moſen ſtatuebant. Hunc in monte Sinai, pręter leges quinque libris inſcriptas, ex ipſo Dei ore accepiſſe aiebant, cum expreſſò mandato, ne ſcriptis eam conſignaret, ſed ſeptuaginta tantum ſapientibus, qui ad legis cuſtodiam electi erant, ore ac verbis communicaret, à quibus ſic deinceps ea ad poſteros propagata fuit. Tandem vero poſt captiuitatem Babylonicam ab Eſdra Dei iuſſu ſeptuaginta libris conſcripta, quos tamen legere nemini, niſi ſapientibus ad id munus electis, fas erat. Rem vero ita ſe habere ex ipſius Dei verbis, Eſdram hoc modo alloquentis, probare conantur: vt eſt Eſdræ 14. *Reuelans reuelatus ſum ſuper rubum, & loquutus ſum Moyſi, quando populus meus ſeruiebat in Ægypto: & adduxi eum ſuper monte Sinai, & detinebam eum apud me diebus multis, & enarraui ei mirabilia multa, & oſtendi ei temporum ſecreta, & finem, & præcepi ei, dicens: Hæc in palam facies verba, & hæc abſcondes.* Eodem in loco iſta ſequuntur. *Exactis 40. diebus loquutus eſt Altiſſimus dicens. Priora quæ ſcripſiſti in palam pone, vt legant digni atque indigni. Nouiſſimos autem ſeptuaginta libros conſeruabis, vt eos ſapientibus tradas de populo tuo: in his enim eſt vena intel-*

lectus, sapientiæ fons, & scientiæ flumen.

Vnde Cabalæ huius beneficio, Mosaicæ legis medullam altissimaque Dei secreta reuelata sibi doctores illi autumant, eiusque duplicem tradant scientiam. Vnam de *Beresith*, quam & Cosmologiam vocant, hoc est rerum creatarum, naturalium & cælestium, vires explicantem, & legis Bibliorumque arcana, Philosophicis rationibus exponentem. In hac Salomon Rex excelluisse creditur. Nam in sacris legitur disputare illum solitum fuisse à Cedro Libani vsque ad Hyssopum. Et ex horum numero videtur fuisse hic Trismegistus. Alteram eius scientiam *Marcauach* vocant, quæ est de sublimioribus Diuinarum, Angelicarumque virtutum, ac sacrorum nominum, & signaculorum contemplationibus quædam quasi Symbolica Theologia : in qua literæ, numeri, figuræ, res & nomina, elementorumque apices, ac lineæ, puncta, accentus, omnia sunt profundissimarum rerum, & magnorum arcanorum significatiua. Tales sunt hodie Rabini, talisque extitit Picus Mirandulanus.

Et ad harum duarum imitationem, tertia eaque prophana valde, quanquam pietatis specie inuoluta, à Paracelso, Crollio, & eius asseclis inuenta est : quam pro fundamento Medicinæ, & sub quinta Magiæ specie collocatam affirmant.

Sed qualis sit illa Magia, & an rectè Medicinæ fundamentum dici possit, non est præsentis negotij inquirere. Tantum hoc cum Marone monere statuo.

Callidus ô pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

Christianis proinde Philosophis potius credendum censeo circa creationem Mundi; & sacris literis, quibus fides potius adhibenda est, quam prophanis authoribus, qui ex ignoratione creationis occasionem mille errorum in Philosophia physica passim præbuerunt.

Sed iam ab analogismis ad rem ipsam propius accedamus.

QVÆ SIT MVNDI, ac omnium entium causa, quo ordine, quóve progressu vsus sit in mundi creatione, secundum veteres, vniuersi opifex.

CAPVT IV.

PLATONICÆ doctrinæ fundamentum est certissimum, & ab omnibus

eius sectæ asseclis receptum, omne creatum obtinere triplicem modum entis, nempè modum causæ, formæ, & participationis. Inter omnes hos modos nobilissimus est esse causæ, quamuis nihil in Deo esse, sed seipsum omnia causare aiebant. Proinde quum Plotinus asserit, Deum nihil intelligere; nihil aliud dicere videtur, quàm si asserat, hanc perfectionem esse in Deo secundum modum formæ, hoc est Deo hoc attribuere secundum nobiliorem modum.

Triplex hic entis modus triplici exemplo ostendetur; solis, elementorum simplicium, & mixtorum. Sol non est calidus, sed causat calorem. Ignis vrit, quia est eius forma. Lignum, per participationem.

Sed aptiori methodo distinguemus triplicem hunc modum entis, per triplicem creaturarum gradum, secundum Platonicos; in corporeum, & visibilem, vt Cælum, Elementa, Animalia, Vegetabilia, & Mineralia. In inuisibilem, & incorporeum: & non solum incorporeum, sed omnis corporis expertem. Talis est natura intelligibilis, seu natura Angelica.

Inter hos extremitatum gradus continetur tertius, qui quamuis sit incorporeus, inuisibilis, immortalis; corporibus tamen motum præstat, & huic officio corporali alligatur, & dicitur anima, quæ Angelicæ inferior est; & tamen corporeo præferenda.

Supra hos tres gradus omnis creatura Deum, omnium rerum authorem & causam, agnoscit, quæ in ipso fonte ens causæ perhibetur, & inde immediatè ad esse formæ fluit in natura Angelica, deniq; relucet in anima per naturam Angelicam, de qua participat has tres naturales, nempe Dei, naturæ Angelicæ, & animæ. Platonici, Peripatetici, & Theologi confirmant primam, nempe Diuinam, non posse multiplicari, sed solum & vnum Deum, principium & causam omnium rerum. De hac vnitate legantur plura apud Picum Mirandulanum, *tractatu de vno & ente.* Hoc testatur Plato *in Timæo*, & Aristoteles *lib. 12. Metaphysicorum*: Deum entis totius esse causam; vbi demonstratur omne ens reduci in vnum primum ens. Verum 2. *Metaphysicorum*, primum in vno quoque genere est causa omnium aliorum entium, quapropter omnium Deus est causa. Secundum autem ipsum Platonem & Aristotelem, non causat totum ens Deus, nisi intelligendo & volendo, propter quod dixit Arist. *in eodem* 12. Deum esse primum intelligens & primum volens. Et Plato *in Parmenide*, dixit: *Mirabile est, Deum priuari cognitione.* Et iterum *in Philebo*: *Omnes sapientes consentiunt, cæli, terræque regem esse intellectum*: Quapropter Deus per sui scientiam, & voluntatem causat omne ens. Vnde Auerrhoës *in eund. lib.* 12. ait, scientiam Dei esse

secundum contrariam dispositionem scientiæ nostræ. Nostra etenim causatur à rebus, sed Dei scientia causat res. Huiusmodi autem scientia non est speculatiua; Nam 6. *Metaph.* & 3. *de Anima*; speculatiua non est de agibilibus nec factibilibus. Erit igitur factiua. Sed faciens per scientiam gerit similitudinem facti: sicut domificator faciens domum, habet similitudinem domus apud se: Tum 7. *Metaph.* domus extra animam, fit à domo in anima. Quapropter si Deus est totius entis factor per suam scientiam factiuam, quæ non potest esse absque similitudine rei factæ: Deus habet similitudinem rerum faciendarum. Talis autem similitudo est species: quæ nihil aliud est, quam rei similitudo, vt hîc de specie loquimur. Deus igitur per species omnium entium causat omnia entia. Quod totum Vates Orpheus cecinit in Hymno, cum dixit.

Ζεὺς πρῶτος γένετο, Ζεὺς ὕστατος ἀρχικέραυνος.
Ζεὺς κεφαλὴ, Ζεὺς μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται.
Ζεὺς πυθμὴν γαίας καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος.
Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη.
Ζεὺς πνοιὴ πάντων, Ζεὺς ἀκαμάτου πυρὸς ὁρμή,
Ζεὺς πόντου ῥίζα, Ζεὺς ἥλιος, ἠδὲ σελήνη
Ζεὺς βασιλεὺς, Ζεὺς ἀρχὸς ἁπάντων ἀρχικέραυνος.
Πάντας γὰρ κρύψας αὖτις φάος ἐς πολύγηθες,
Ἐξ ἱερῆς κραδίης ἀνενέγκατο μέρμερα ῥέζων.

SIC LATINE VERTITVR.

Est Deus altitonans, primus, Deus vltimus idem,
Principium Deus & medium, Deus omnia fecit.
Fundamenta Deus terræ est, cælique corusci.
Mas Deus est, Deus est immortalis quoque Nympha.
Flamen cunctorum, indomiti Deus impetus ignis.
Radix ipse maris Deus est, Sol Lunaque, Rex est
Cunctorum, Deus est princeps qui fulmina torquet:
Namque tegens cunctos, in lucem rursus amatam
Pectore de sacro profert mirandaque patrat.

Hæc vetustissimus poëta sacris carminibus mandauit, quæ post ipsum Boëtius cecinit 3. *de consolatione.*

----- Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo pulchrum, pulcherrimus ipse,
Mundum mente gerens, similique in imagine formans.

Diuus quoque Augustinus *in libro 83. quæstionum*, dixit istas fuisse Ideas Platonis. Cui non videtur dissonare Auerrhois 12. *Met. commentario* 18. & 36. & *in 2. de generatione comment.* 51. Species ergo rerum faciendarum in mente Diuina causant omnia entia.

Sed sciendum eiusmodi species non esse accidentia, neque substantias, cum in Deum

nulla prorsus cadat compositio; nam 12. *Metaphysicorum*, dicitur actus purissimus: Et Platoni in *Parmenide*; Deus est prima vnitas. Verum ipse Deus est illa species, quæ per suam simplicem vnitatem omnia causat, omnia fouet, omnia repræsentat: estque tantum multiplex ratione rei repræsentatæ, non ratione repræsentantis, vt sapienter dixit Auerrhois 39 *comment.* 2. *Metaph.* immediatéque Deus est totius entis causa per talem speciem. Et vt ait Diuus Dionysius, ipse Deus & sua species non est ens reale, neque intentionale, neque ens; sed supra ens innominabile, incomprehensibile, sanctum, terribile, ab ipso solo comprehensibile.

Sed quum omnis doctrina, quæ ratione perficitur, sit ex præexistente cognitione, vt ait Arist. *lib.* 1. *poster. anal. cap.* 1. hoc in loco præcognita quædam, quasi fundamenta huius artis, supponemus, ex quibus veritas sequentium stabilienda erit.

DEFINITIONES, DIVISIONES & pronuntiata.

I

Ens est, quod habet essentiam, & est genus generalissimum: nam est primò cognitum, & supra se nihil habet, quod mente concipi possit.

2

Principium entis est momentum, & intrinsecum, quo res ponitur extra nihil.

3

Momentum primum est, quo ens esse intelligitur, & dicitur essentia.

4

Momentum secundum, quo ens existere in loco & tempore intelligitur, & dicitur existentia.

5

Existentia est principium indiuiduificum, producens singularitatem.

6

Essentia est forma, seu actus entis, per quem ens est id quod est. Vel
Essentia est principium genericum, & specificum, producens uniuersalitatem.

7

Principium est, à quo dependet principiatum.

8

Causa est principium, quod importat influxum ad esse causati.
Entia sunt per essentiam, vt Deus; per participationem, vt creaturæ.
Causa alia est finalis, alia comprehendens media ad finem.

9

Causa finalis est causa, propter quam media ad finem consequendum intenduntur.

Comprehendens media, sunt causæ internæ, vt materia; & formæ externæ, vt efficiens & exemplaris.

10

Causa interna est principium rei essentialiter eam constituens, vt materia & forma.

11

Causa externa est principium, quod ipsam essentiam non ingreditur, sed extra eam manet.

12

Causa exemplaris idea est, secundum quam ideatum est.

THEOREMATA.

1

Nihil est in effectu, quod non fuerit prius in causa.

2

Nihil est in sensu, quod non fuerit prius in intellectu.

3

Compositionem simplicitas antecedit.

Pron. 1.

Quo simplicior causa, eo prior; quo prior, eo plura facit.

4

Primum in unoquoque genere, est causa omnium aliorum entium.

5

Deus est primum intelligens, & primum volens.

6

Lineæ à centro ad circumferentiam productæ, in centro sunt indiuisibiles.

7

Quæ intellectum mouent, formant, & perficiunt, intellectu superiores sunt.

8

Quod est causa causæ, est etiam causa causati.

Pron. 2.

Scientia nostra causatur à rebus; scientia Dei causat res.

9

Tot sunt causæ, quot modis quæstio fieri potest propter quid.

Pron. 3.

Quo nobilior actus & fonti suo proximior, eo & potentior.

10

Velle & posse in Deo idem sunt.

11

Finis est causa causarum omnium.

12

Finis est causa prima in mente, postrema in opere.

13

Posito fine ponuntur omnia media ad finem.

14

Omnis intellectus operatiuus incipit à fine.

15

Finis & efficiens sunt sibi mutuo causæ, vt exercitium est causa sanitatis: efficiens & causa finalis exercitij, est sanitas.

16

Propter materiam nulla res ab alia differt.

17

Forma est actus efficientis.

18

Nihil agit vltra vires suæ substantiæ.

19

Nihil ab intellectu concipi potest, quod non induat rationem entis.

20

Essentia & existentia non recipiunt magis aut minus.

21

Vnius entis vnica est tantum essentia specifica.

22

Essentia producit vniuersalitatem, existentia singularitatem.

EXERCITATIO PRÆCEDENTIUM.

Posita quæstione *propter quid*, demonstrare impossibilitatem resolutionis per quatuor vulgaria causarum genera.

Sit proposita quæstio de imagine Socratis, quæ fuit sima. Ista imago sima non fuit propter imaginis materiam, quia propter materiam nulla res ab alia differt, per Theor. 16. 4[i]. Neque propter formam, aut figuram imaginis, quia causa formalis non facit ipsam Socrati magis, quam Platoni assimilari, per 18 4i. Non propter efficientem, quia forma est actus efficientis, per 17. 4[i]. Non propter finem hoc accidit, quia finis & efficiens sunt sibi mutuo causæ, per Theorema 15. 4[i].

Quum ergo Socratis imago non sit sima propter vllam istarum causarum, sequitur resolutio-

resolutionem illius quæstionis non posse demonstrari, nisi per causam exemplarem. Nam ad quæstionem *propter quid est imago Socratis sima*: respondetur, quia idea & exemplar Socratis in mente pictoris, quam voluit pictor in illa imagine exprimere, habebat simitatem: fuit enim Socrates simus. Ergo datur quinta causa, vt soluatur quæstio propter quid, quod probandum fuit.

Nunc autem, ne quid omittam, quod ingenia sublimium Philosophorum ad hanc excolendam artem mouere, aut ad ardentissimos diuinæ sapientiæ amores excitare queat, addam propositiones aliquot, ad singulorum Capitum vsum necessarias, more Mathematico, hoc est Euclidæo, à Proclo mira demonstrationum necessitate illustratas & in eorum gratiam, qui non argutandi gratia, sed modò vnum vt sapiant, Philosophiæ operam nauant.

PROPOSITIO PRIMA quarti Capitis.

Omnis multitudo quadantenus particeps est vnius.

DEMONSTRATIO.

NAmque si nullatenus participaret, nec tota multitudo vnum erit, neque singula eorum ex quibus est multitudo: sed erit illorum vnumquodque etiam multitudo, & hoc in infinitum; & horum infinitorum vnumquodque erit rursus multitudo infinita. Nam si nullum vlla ex parte vnum participet, nec totum ipsum, nec singula quæ in ipso sunt, infinitum erit omnino & per omne. Quodcumque enim singulorum acceperis de multis, vel vnum erit, vel non vnum. At si non vnum, vel multa, vel nihil. Et si vnumquodque est nihil, & id quod ex ijs est, erit nihil. Si vero multa, ex infinities infinitis vnumquodque est. Hæc vero impossibilia sunt, Neque enim ex infinities infinitis entium aliquod est; infinito enim maius non est. Quod vero ex omnibus est, maius est vnoquoque, neque ex nihilo componi quip-

piam potest. Omnis ergo multitudo quadantenus particeps est vnius. Quod probare susceptum fuit.

PROPOSITIO SECVNDA quarti Capitis.

Omnis ordo ab vnitate incipiens progreditur in multitudinem aliquam, vnitati consortem. Et omnis ordinis multitudo in vnam reducitur vnitatem.

DEMONSTRATIO.

VNitas enim, principij habens rationem, progignit propriam sibi multitudinem, vt probatũ fuit, *per propositionem primam quarti*; proinde vna catena, & vnus ordo vniuersus, ab vnitate habet ascensum in multitudinem. Nec enim erit ordo, neque catena, si vnitas fuerit sterilis per se. Multitudo verò reducitur rursus in vnam communem coordinatorum omnium causam. Quod enim est in omni multitudine idem, non ab vno eorum, quæ sunt in multitudine, progressum habuit. Nam quod ab vno ex multis est, non est commune omnibus, sed illius tantum proprietatis pe-

culiare eſt. Cum ergo ſecundum vnumquemque ordinem, ſit quædam & communio, & cohærentia, & identitas, ob quam, & hæc coordinata dicuntur, & illa alterius ordinis: clarum quòd ab vno principio prouenit omni ordini, vt ſit idem. Eſt ergo Vnitas vna ante multitudinem, in vnoquoque ordine, vnam rationem, & ſeriem, ordinatis in ipſa præbens, tum ad inuicem, tum etiam ad totum. Aliud quidem eſt cauſa alij, eorum quæ ſub eadem catena ſunt. Cauſam vero vt vna ſit catena, neceſſe ante omnia eſſe, & ab ipſa, omnia coordinata gigni: non vt hoc aliquid vnumquodque eſt, ſed vt huiuſce ordinis exiſtens.

PROPOSITIO TERTIA quarti Capitis.

Omne bonum, vnitiuum eſt eorum quę ipſum participant, & omnis vnio, bonum: & ipſum bonum, cum ipſo vno idem.

DEMONSTRATIO.

QVum bonum ſeruatiuum ſit entium omnium, atque ideo appetibile exiſtat

omnibus:ſeruatiuum autem & contentiuum ſingulorum eſſentiæ eſt ipſorum, (vno enim ſeruantur omnia) & diſperſio, ſingula dimouet ab eſſentia. Ipſum vero bonum quibus adfuerit, ea vnum efficit, & continet per vnionem. At ſi vnum eſt congregatiuum, & contentiuum, ſingula entium perficit per ſui præſentiam; & bonum igitur, omnibus vnitum eſſe. Si vero & vnio bonum per ſe eſt, & bonum vnificum eſt ſimpliciter bonum, & ſimpliciter vnum idem, vniens ſimul & bonificans entia. Vnde etiam ea quæ ab ipſo bono quodammodo decidunt, etiam vnius priuantur participatione. Et quæ vnius expertia fiunt, ſejunctione repleta, etiam bono priuantur eodem modo. Eſt ergo, & bonitas, vnio & vnio, bonitas, & bonum eſt vnum, & vnum eſt primo bonum.

PROPOSITIO QVARTA quarti Capitis.

Omne productiuum alterius præstantius est natura producti.

DEMONSTRATIO.

NAm vel præstantius est, vel deterius, vel æquale. Esto prius æquale. Quod vero ab hoc productum est, ipsum vel potentiam habet, productiuam alterius alicuius, vel sterile existit omnino. At si sterile sit, hoc ipso deterius est producente, & proinde inæquale. Quod si & ipsum aliorum est productiuum, vel sibi æquale producit (& hoc similiter in omnibus, & erunt entia omnia æqualia ad inuicem, & nihil erit alio præstantius) vel inæquale. Si vero hoc, non iam æquale erit producenti se: potentiarum enim æqualium est æqualia facere. Quæ vero ab his imparibus prodeunt inæqualia ad inuicem; siquidem producens, illi, quod ante se est, æquale est. Si vero, quod post ipsum est, inæquale est. Non ergo æquale esse oportet productum producenti.

Vel deterius.

Imò nec deterius erit vnquam producens. Si enim producens essentiam producto tribuit, etiam potentiam secundum essentiam largitur. Si autem ipsum, productiuum est potentiæ omnis ei quod est post se, se ipsum etiam poterit facere tale, quale illud est. Si vero hoc, faceret etiam se ipsum potentius. Neque enim impotentia prohibet, quum adsit factiua potentia, neque etiam prohibet non velle. Omnia enim bonum appetunt secundum naturam. Itaq; si aliud potest perfectius efficere, etiam se ipsum perfecerit, antequam illud perficiat, quod est post ipsum. Neque ergo producenti æquale est, nec præstantius. Omnino ergo producens præstantius est producti natura, quod probandum fuit,

---

PROPOSITIO QVINTA quarti Capitis.

Omnia entia proueniunt ab vna causa prima.

DEMONSTRATIO.

Aut enim nullius entium est causa, aut circulo feruntur omnium rerum finita-

rum causæ; vel in infinitum est ascensus, & alius alia est causa, & nullibi sistetur essentiæ præsubsistentia. Sed si nullius entium fuerit causa, neque ordo erit secundorum & primorum, perficientium & perfectorum, ornantium & ornatorum, gignentium & genitorum, agentium & patientium. Neque erit scientia vllius entium: Causarum enim notitia scientiæ est opus. Et tunc dicimus nos scire, cum causas cognoscimus entium. Si vero circulo circumeunt causæ; eædem erunt & priores & posteriores, potentiores & debiliores. Omne enim producens præstantius est natura producti, *per propositionem quartam quarti.* Differt autem nihil, per plura, vel per pauciora media, coniungere causato causam, & facere sub illa. Intermediorum enim omnium, quorum est causa præstantior erit, & quanto plura media, tanto magis causa. Si verò in infinitum causarum additio, & aliud ab alio semper, rursus nullius scientia erit. Infinitorum enim nullius est cognitio. Ignoratis autem causis, neque sequentium scientia erit. Si ergo & causam entium oportet esse, & distinctæ sunt causæ à causatis, neque in infinitum est ascensus; erit causa prima entium, à qua veluti à radice, proueniunt singula; alia quidem propè illam existentia, alia verò longinquiùs. Omnia ergo entia proueniunt ab vna causa prima, quod demonstrandum fuit.

PROPOSITIO SEXTA quarti Capitis.

Omnis cauſa ante cauſatum agit, & poſt ipſum plurium eſt productiuum.

DEMONSTRATIO.

QVatenus enim cauſa. perfectius eſt, & potentius eo, quod poſt ipſum eſt, *per propoſitionem quartam quarti.* Et ſi hoc, plurium eſt cauſa; potētiæ enim maioris eſt, plura producere, æqualis vero æqualia, & minoris minora. Et quæ in ſimilibus maiora poteſt potētia, etiam minora poteſt. Quæ vero minora poteſt, non ex neceſſitate maiora poterit. Si ergo potentior ſit cauſa, plurium etiam productiua eſt. Sed enim quæcumque poteſt ipſum cauſatum, illa magis poteſt. Omne enim à ſecundis productum, à prioribus & magis cauſis producitur magis. Coexiſtunt ergo illi omnia, quæcumque illa nata eſt producere. Si vero etiam ipſum, cauſatum prius producit. Clarum nimirum, quod ante ipſum agit, ſecundum ipſius productiuam actionem. Omnis ergo cauſa, etiam ante cauſatum agit, & cum ipſo, & poſt ipſum alia profert, quod demonſtrandum fuit.

PROPOSITIO SEPTIMA quarti Capitis.

Omne imparticipabile, producit à se ipso participantia, & omnes participantes substantiæ, in imparticipabiles existentias reducuntur.

DEMONSTRATIO.

IMparticipabile enim vnitatis habens rationem, vt sui ipsius existens & non alius, & vt separatum à participantibus progignit ea quæ participare possunt, (*vt demonstratum fuit propositione secunda quarti.*) Vel enim sterile perstabit in se, & nihil habebit honorabile; vel dabit aliquid à se ipso. Et quod accipit, participauit; & quod datum est, subsistit participanter. Omne vero participans alicuius, factum ab eo à quo particeps fit, secundum est ab eo, quod omnibus similiter adest, & omnia à se implet. Quod enim in vno est, in aliis non est; & quod omnibus similiter adest, vt omnia illustret, non in vno est, sed ante omnia. Vel enim in omnibus est, vel in vno ex omnibus, vel ante omnia. Sed quod in omnibus est, partitum

in omnia, rursus alio indigebit, quod illud partitum vniat: ac non amplius idem participabunt omnia, sed hoc quidem alio; illud vero alio, si vnum partiatur. Si vero in vno ex omnibus, non amplius omnium erit, sed vnius. Si vero commune etiam ijs quæ naturam & facultates alterius participare possunt, & idem omnibus, erit ante omnia. Hoc vero est imparticipabile, quod probandũ fuit.

PROPOSITIO OCTAVA quarti Capitis.

Omne participans, participato est inferius, & participatum imparticipabili.

DEMONSTRATIO.

PArticipans enim ante participationem imperfectum existens, perfectum vero participatione factum, secundum est omnino à participato, quatenus perfectum est, participans. Quia enim imperfectum erat, hac participato quod ipsum facit perfectum, inferius est, *per propositionem quartam quarti.* Participatum vero, alicuius existens, & non omnium, eò quod omnium est, & non

alicuius. Rursus remissiorem sortitur existentiam; hoc enim omnium causæ cognatius, illud vero minus cognatum. Præcedit ergo imparticipabile, participatis: hæc vero participantibus. Et vt summatim dicatur. Illud quidem est vnum ante multa; participatum vero in multis, vnum simul & non vnum. Participans vero omne, non vnum simul & vnum.

PROPOSITIO NONA quarti Capitis.

Omne imparticipabile, qua imparticipabile est, hac ab alia causa non substat. Sed ipsum, principium est, & causa participatorum omnium: atque ita principium omne, in vnaquaque serie ingenitum est.

DEMONSTRATIO.

SI enim est imparticipabile, principatum in propria serie sortitum est, & non prouenit ab aliis: non enim iam esset primum. Ad hæc, proprietatem hanc, secundum quam est imparticipabile, ab alio aliquo acciperet.

Si vero aliis est deterius, & ab aliis prouenit, non qua imparticipabile est, hac prouenit; sed qua participans. A quibus enim descendit, hæc eadem participat; & quæ participat, hæc non sunt primò. Quod vero imparticipabile est, id primò est. Non ergo qua imparticipabile, hac à causa est. Nam si à causa esset, participans esset, non autem imparticipabile. Qua vero imparticipabile est, participantium causa est, & non ipsum participans alia, quod probandum fuit.

PROPOSITIO DECIMA quarti Capitis.

Omnes series vniuersorum, in imparticipabilem causam, & principium referuntur. Omnia vero imparticipabilia, ab vno dependent omnium principio.

DEMONSTRATIO.

SI enim vnaquæque series idem aliquid patitur, est aliquid in vnaquaque præses, identitatis causa. Vt enim entia omnia ab vno, ita & omnis series ab vno, *per proposi-*

tionem secundam quarti. Omnes autem imparticipabiles vnitates in ipsum reducuntur; quoniam omnes, vni sunt analogæ. Qua ergo, idem aliquid, & ipsæ patiuntur, ad vnum analogiam, hac in ipsum ipsis reditus fit. Et qua ab vno omnes sunt, nulla ipsarum principium est, sed ab illo sunt, vt à principio. Qua vero singulæ sunt imparticipabiles, hac principium singulæ sunt. Quorumdam ergo principium existentes, ab omnium principio pendent. Omnium enim principium est, cuius omnia participant. Participant autem omnia solius primi, aliorum vero non omnia, sed aliqua. Quare etiam simpliciter primum illud est. Alia vero, ad quendam ordinem sunt prima: simpliciter vero non prima, quod demonstratum fuit.

CONSECTARIA.

1

Domus extra animam, fit à domo in anima, per 1. & 2. Theor. quarti.

2

Faciens per scientiam aut artem, producet primo in se similitudinem rei factæ, antequam foras edat, per Theor. 12. quarti.

3

Externum opus sequitur internam actionem, per 11. Theor. quarti.

4

Causis particularibus ideæ quædam com-

munes, ut posteriorum fomites, assistunt, per Theor. 4. quarti.

5

Omnis vita prolem sibi penes seipsam prius generat, quam seorsim, per 1. quarti.

Scientia factiua non potest esse absque similitudine rei factæ, per 14. quarti.

OSTENDITVR, SPEcies rerum faciendarum in mente Diuina dispositas secundum modum causæ, fuisse Platonis ideas, secundum veteres, & quid sint.

CAPVT V.

Ex *duodecimo quarti* constat omnem causam, siue per artem, siue per intelligentiam operetur, producere primò in seipsa effectum aliquem, quasi formam rei producendæ. Non secus ac archetypus in se & in animo habens formam ædificij construendi,

& huius formam contemplans, ad eius formam & modum ædificium construit. Platonici hanc formam, Ideam vocant & exemplar. Fuitque hoc dogma celebre apud omnes Platonicos, imo forsan vtilissimum, totiusque Philosophiæ difficillimum, quum ex hoc Angelorum animæ, tum cælestis naturæ cognitio tota dependeat. Quare pauca, quantum compendij ratio postulat, ex veterum Philosophorum fontibus hausta proponam.

Ad Idearum ergo perfectam cognitionem, in memoriam reuocabimus Platonicorum illud fundamentum, à nobis in principio capitis suppositum; nempe omnia creata triplicem modum entis obtinere, causæ scilicet, formæ & participationis. Hoc idem de ideis dicendum esse censeo, nempe in Deo ipso ideas esse causæ obtinere: in Angelis esse formæ: in anima esse participationis. In Deo, secundum Platonicos, non sunt ideæ, quum eius natura sit simplicissima; sed est causa & principium omnium idearum, quas primò producit in natura Angelica, sicut apertè scriptum reperitur in oraculis Chaldæorum, & ab Angelicis anima earundem particeps fit. Sed anima quando conuertitur ad partem intellectualem & Angelicam, illuminatur intelligentiæ radijs, participando veras rerum formas, quæ eodem pacto, sicut in intellectu dicebantur ideæ, simili ratione in anima dicuntur ratio, & non ideæ.

Verum (inquies) quid Deo exemplari opus fuit, aut mundo intelligibili? qui vel materiam de nihilo eduxit per potentiæ suæ abyssum infinitam. Certè non propter Deum exemplaria statuit Plato, verum propter intellectum nostrum. Cum enim hic naturaliter formas capiat, rationesque vel separatas intelligat, vel separando, cum & superiora pro suæ naturæ captu, efficiendis inferioribus aut conseruandis saltem operam præstent, idque per æmulationem quandam optimi opificis, à quo proficiscuntur: ipsum vero summum bonum quum longè superius intellectu nostro ab intellectu capi non possit, vnde sequitur vt illæ communes rerum atque à materia semotæ rationes, eius obiecta sint adæquata & naturalia. Quæ quia intellectum mouent, formant atque perficiunt, ideo & intellectu nostro superiores, hoc est in veriore & præstantiore vniuersi gradu sunt collocatæ, mundo scilicet exemplari atque intelligibili, intellectu communi. Quare & procul à figmentis positæ fulgent, ne mens & veritatis iudex, & sensuum castigatrix magis à veritate, quam sensus ipse dissideat. Etenim, vt doctè referunt Platonici, mens illa sublimis primùm velut informe Chaos ex Deo nata, ad sui principium, ingenito quodam appetitu, conuertitur: conuersa in Deum radio eiusdem penitus illustratur. Ex cuius fulgore, creandarum rerum rationibus ple-

nissimo, ille suus amor accensus, Deo totus inhæret. Inhærens denique ad formam perfectissimi animalis exsurgit, quod à pulchritudine mundum appellant. Ita nimirum Deus in mente sibi inhærente creandarum rerum naturas effingit, pingens modo quodam spiritali cuncta, quæ in corporibus hisce percipimus.

Cœlum & terras camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra;
Vnde hominum pecudumque genus, vitæque volantum;
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.

Ex illa igitur reflexione mentis in Deum, & conuersione per appetitum, primæ rerum ideæ in mentem primam disseminantur: vti per reflexum mentis nostræ in intellectum superiorem, & ipsæ rerum quarumcumque notiones producuntur.

Seu tumulum capit, vnde omnes longo ordine possit
Aduersus legere & venientum discere vultus.

Qualis vero habitudo mentis primæ ad Deum, & ad ipsam mentem primam nostri intellectus existit, talis deinceps rerum quarumcumque inferiorum, ad superioris ordinis vitam. Vtque in hoc mundo materiali omnes omnium materiæ in vnam tandem intimamque materiam confluunt, multo magis

in mundo formali, formæ omnes in vnam principem, velut apicem summum totius theatri, necessario reducuntur. Omnis enim vita (teste Ficino) prolem sibi priùs penes seipsam generat, quam seorsim: quóque præstantior parens, eo & interiorem sibimetipsi generat prolem. Oportet enim prolem eiusmodi (quam Orpheus Palladem vocat, tanquam è Iouis capite natam) Deo interiorem existere, quam sit Angelica notio menti Angelicæ. Nam in Angelo quum sit esse aliud, quam intelligere, notio quæ in ipso per intellectus actum generatur, aliud est quam Angeli ipsius essentia. In Deo contra, esse & intelligere vnum sunt. Et notio, quam Deus ex intellectus sui in ipsum reflexione producit, tanquam sui imaginem viuidiorem, idem est atque ipse Deus. In hac autem Dei prole intima, seu mundi semine vniuersali, insunt membrorum omnium semina propria, quæ in mundo hoc, prole eius externa, gignuntur. Atque hæc eadem essentia inter se coëunt, ne Deus sit substantia multiplex. Ratione differunt, ne quicquid in mundo subsistit, varietatis ac pulchritudinis expers esse videatur. Et vt præclarè Marsilius Ficinus demonstrat *libro de animorum immortalitate*; ille diuinus radius, prout in simplicissima Dei vnitate consistit, simplex est prorsus atque vniformis, idcirco & ideam vnicam offert diuino oculo; sed illam interim per multos

essendi modos rebus gignendis communicabilem. Quo autem longius idem à diuina vnitate recedit, formam magis multiplicem induit, vti linea à centro producta, in ipso est indiuidua; recedens autem longius, in portiones plures extenditur. Simpliciorem radium capiunt mentes superiores: reliquæ verò quo magis declinant, eò & compositiorem. Fit tamen, vt per illas ipsas ideas pauciores non pauciora videant animi sublimiores, quam per plures ideas atque dispersas; reliqui tenentes inferiorem gradum. Quemadmodum sane peritus Medicus futuras morbi mutationes, vno signo, eóque communiore dexteriùs faciliusque percipit, quam imperitior alter, etiam pluribus signis hinc inde collectis ac minimè in vniuersalem vnitatem confluentibus. Quod vero ad modum pertinet, quo primum Ideæ ab intellectu superiori producuntur; Plotino visus est entis veri fœturam vnitatibus velut seminibus rerum earundem parere rationes; ens deinceps ordine, numeris maioribus, minoribusque, componens. Nam & Pythagoræ nihil est aliud numerus, nisi actus seminalium rationum in vnitate regnantium: vnitas verò id ipsum, per quod entium quodlibet vnum denominatur; quóque velut seminario, & radice sempiterna; rationes, proportionesque in vtramque partem procedunt infinitæ: hic quidem multiplicando, illic vero diuidendo. Vel vni-

tas est specierum species, exemplar idearum omnium, numeros reliquos & particulares rerum rationes in se complexa, vt probatum fuit *per propositionem primam & quartam quarti.*

Quod autem Ideæ reuera existant, prolixa demonstratione non indiget. Nam vt rationes omittam longè pulcherrimas Max. Tyrij Philosophi *sermone* 28. quarum aliæ argumenta sunt à minori deducta, atque brutorum exemplo; Aliæ verò à processu prioris ad cognitionem principij vsque in infinitum. Postrema tandem ab actionum humanarum in somnis, actusque reminiscendi similitudine. Brutorum autem exempla quam plurima habemus. Nonne animalia commissa in coitu, dum phantasiam habent, in talis aut talis eiusdem speciei forma occupatam, nonne fœtum huic phantasiæ conformem edunt? Sic Iacobo Patriarchæ euenit, dum in coitu ouium & caprarum, humum virgulis variegatis coloribus sterneret, vt hoc pacto ouium & caprarum phantasia obiectis peregrinis occupata, conformem phantasiæ obiecto coloratum fœtum imprimeret, vt euenit. Et quamuis hoc Dei ipsius mandato & voluntate factum fuerit, non desinit tamen habere propriam in natura rationem. Vt videmus ex iumentis, quæ cum equis supponuntur, vt pullos edant ad alicuius equi generosi formam; in congressu solent alium generosum equum aspectui obijcere, vt

phantasia obiecti idea occupata, ipsam retineat fœtuique impertiat. Nonne etiam in rationabilibus simile quid deprehenditur? Grauidæ enim per subitam spirituum agitationem recipiunt obiecta rerum externarum, & fœtui imprimunt. Vnde fit vt fœtus obiecti specie signatos in lucem prodire deprehendamus. Sic nati quam plurimi floris aut alterius rei notam in corpore gerunt, si flos aut quid simile matri subito, eique non cogitanti occurrerit aut proiectus fuerit: in spirituum enim subita agitatione imprimitur rerum idea. Sic alij muris, alij ranæ, in eadem ipsa corporis parte, quam in matre tetigerit, circumferunt. Immo quod magis est, ea anni tempestate qua flores aut fructus atque germina repullulare solent, eodem tempore ipsis in locis notæ illæ membris impactæ efflorescere solent. Miror etiam in grauidis, quarum ita est efficax imaginatio, vt quorum vel horror, vel appetitus vehemens fuerit, horum ideâ immutatus spiritus, & qualitates, & corpus sæpe transformet. Vt infixa idea vulneris, circa eundem locum in puero visa sit conspicuam vulneris speciem reliquisse. Sed maximè id admirandum (si fas tamen est credere, & vt rumor de Fratribus Roseæ crucis percrebuit) multos per solam imaginationem (vt scribit Cælius) animam à corporibus in ecstasin abduxisse. Imo ipsæ ideæ tempestatum anni & rerum obiectarum, quod

maius est, in cadaueribus remanent, & agere cum reminiscentia videntur. Ita in cadauere vulnerati, si cædis author adsistat paululum, cur denuo sanguis erumpat in homine vel ante aliquot dies interempto. Nimirum etsi recesserit forma princeps, manet tamen ad tempus rerum præteritarum & rationum omnium quæ fuerunt in anima plenus spiritus, qui sub ipsam cædem per characterem hostilis spiritus, quum eius figuram sibi fortiter expressisset: fit sanè vt eodem denuo occurrente, per illud impressum & adhuc recens vestigium moueatur, eáque impulso concitetur & sanguis, donec per vulnus erumpat. Eadem penitus ratione dum florent vites, repleto tunc passim spiritibus aëre, per motus communem impulsum, & propagationem in cellis vina turbantur, licet à tribus, quatuor pluribusve annis expressa. Sic aprugna aut ceruina salita, quamuis aliàs tenerrima, eo tempore quo amoris œstro percelluntur eius speciei animalia, ita illorum caro (quamuis optime condita & strictissimè obserata) tam dura & fœtens euadit, vt nullus ipsam comedere tentauerit. Similiter in plantis excisis & quasi mortuis, in locustis, racemis, folijs, immo in gummatis, resinis eiusmodi, & (quod magis) in ipsis cineribus, à quibus quamuis recesserit forma princeps, manet tamen longo tempore rationum omnium quæ fuerant in animo plenus spiritus,

ipsumque aliquando artificiosè prodit, non corporeitate vlla, neque tangibili qualitate, sed superficiali quodam modo nostris sese oculis prodit: non secus ac imagines in speculo nobis apparent ex oppositione alicuius corporis, dummodo in corpus aliquod lucidum incidat eiusmodi spiritus fixus & permanens, sicut in glacie aut aëre pellucido. Sicut in fæce terebinthinæ abietis & similium ostenduntur idola & simulachra earum rerum, quarum antea insignia gerebant.

Harum rerum veritas tribus historiis confirmatur. Vna, quæ fuit Poloni à Quercetano in Philosophia sua Hermetica memorati. Is nempe varias habebat phialas, hermetico sigillo clausas, in quibus singulis præparatum habebat puluerem, in quo latebant eiusmodi spiritus specifici multorum simplicium. Qui, quoties volebat, admoto blando calore ignis aut lychni idola siue simulachra simplicium siue florum illico spectantibus apparebant: euanescente autem calore euanescebant. Ita vt si quis rosam aut calendulam quocumque anni tempore desideraret, statim admoto suaui calore apparebat, prout vas destinato flore ornabatur, similiter remoto calore peribat.

Non absimilis est illa eiusdem Quercetani de vrticarum lixiuio. Is enim dum vsum lixiuij vrticarum pro D. *de Beaulieu* Consiliario Regio præscriberet, qui quidem quum

ſanitatis recuperandæ ſtudioſiſſimus fuiſſet, vt remedium illud experiretur, ex calcinatis recte, hoc eſt in albiſſimum cinerem redactis vrticis, lixiuium in ampliſſimo vaſe terraceo fieri curauit: & vt fortior euaderet longiori mora brumalis noctis, vt fit, vaſculum extra feneſtram ſub dio locauit. Vbi intempeſta nocte, quum omnia fortiſſimo gelu concreta fuiſſent, lixiuium totum congelatum craſtino die inuentum eſt. Sed quod maxime mirandum fuit, mille vrticarum ſpecies in lixiuio congelato conſpiciebantur, non corporeo, ſed incorporeo more apparentes. Sed illico calore accedente & concretum glaciei corpus diſſoluente deliteſcebant formæ, vt in priori exemplo.

Tertia autem hiſtoria proprijs meæ experientiæ laboribus, primo innotuit, tum quingentorum & vltra proborum & fide dignorum hominum teſtimonijs, qui aut apud me vaſculum viderũt, aut lectionibus meis (tunc quum iſtam operationem perficiebam) aſſiſtebant, confirmabitur. Res autem eſt de abietum formis, quæ tam aperte in terebinthina apparent per retortam vitream, vt dixeris non exiſtere eiuſmodi picturas abſque pictoris arte, quum tamen propter anguſtiam vaſis nullo penicillo ibi depingi poſſint. Tam egregiè apparent circa vaſis parietes 40. aut 50. diſtinctæ formæ abietum, vt colore viridi, ſubflaueſcenti, pineis racemis, folijs co-

matis & cyperissatis, imo radicibus sub terrâ apparentibus & in interuallo truncorum in terræ superficie mille arbustulis, in diuerso gramine interiectis, syluam ipsam potius abietum, quam nudas abietum formas dixeris. Hæ formæ non euanescunt, vt aliæ prius notatæ, sed perpetuò eædem manent, nisi fracto vase, & per consequens materia disgregata & interrupta, secus eueniat. Vas hoc hisce formis ornatum, ad mille annos seruari potest, & (citra iactantiam dixerim) inter maxima naturæ & artis secreta recenseri posse crediderim.

Animaduertendum est formas istas non erumpere, quousque materia fuerit debitè præparata, hoc est quousque materia fuerit pellucida & rarefacta, suæque densitate materiæ exuta, & similiter coagulata à fluiditate caloris externi, qui massam opacam reddebat. Tunc enim demulcendo suauiter retortam, vbi est inclusa materia, videbis illico ingentem erumpere strepitum, cum variis fissuris, per totam circumferentiam vasis apparentibus. Sed ea proportione & modulo, vt fissuræ illæ abietum formas vndique præ se ferant; tanta elegantia, vt magnæ fissuræ truncos, minores racemos, minimæ folia & fructus repræsentent. Solida autem materia occupat interstitium, quod pro aëre æstimatur.

Et hoc est quod voluit Democritus, Ema-

pedocles, immo & omnes Platonici, innuentes naturalium rerum imagines non solum fuisse radiales & spiritales, sed etiam materiales, quales per poros corporis effluentes conspiciuntur, seruantesque ad certum spacium, non solum corporis qualitatem, sed etiam figuram, & clam agentes in spiritum propinqui hominis & imaginationem, præcipuè debilem & conformem. Eiusmodi radiales imagines *in Timæo, Sophista, & de Repub.* Plato vndique tetigit, talesque dixit fuisse, quæ minus exilem habebant essentiam, vt non aliter palam ostentare se oculis possint, quam in corporibus specularibus æqualiter stabilitæ, redintegratæ, illustratæ, pristinam vim quandam, modumque formæ, vnde processere, recipiunt. Opus est densitate, ne influens apparitio subitò transfluat. Leuitate, ne ob inæqualitatem pereat imago. Nitore, vt conspicua sit imago.

Sed in his hæc erunt animaduertenda, quòd aliter intellectus, ac intellectuales animæ, aliter rationales, aliter vero res corporeæ vitæque corporibus addictæ, suas ideas his inferioribus communicant. Inferiora enim ideis proxima sunt quasi propagines idearum, & quo magis ab illis recedunt, eo sunt magis degeneres. Tandem vero corporibus illapsæ imagines dumtaxat, nullam idearum naturam habent, sed illas speculari quadam similitudine referunt.

Patet itaque causis particularibus ideas quasdam communiores semper assistere, ceu posteriorum fomites, vtpote indiuiduis numero infinitis communem speciem, cui cum speciebus vnitis cæteris, assistat vlterius quædam generica forma, donec per communissimam vniuersalis ordo trahatur vsque ad ens, quod entia cuncta transcendit. In quem, velut figurarum omnium angulum communissimum, vel angulorum omnium caput (vt ipse se Christus nominat) dispersa quęlibet, per intermedios & simpliciores ordines, in vnitatem refluant, vnde fluxerunt. Sed quid hęreo? Nonne diuinæ literę docent, Deum quodammodo exemplaribus vsum fuisse ad vniuersi fabricam? vt doctè *libro de mundi opificio* demonstrat Iudæus Philo. Quibus attestatur illud Mosaïcum; *In die quo fecit Dominus cœlum, & terram, & omne virgultum agri antequam oriretur in terra; omnemque herbam regionis priusquam germinaret*: illudque Regis Psalmographi; *Informem fœtum meum viderunt tui oculi, & in libro tuo omnia membra mea scripta erant, quæ per dies formata sunt.* Quemnam hic quæso librum intelligat quisquam, nisi forte mundum intelligibilem siue Archetypum, atque intellectum communem? Quem quidem intellectum communem Plato Deo inferiorem ponit; Christiani autem Dei Filium, intellectu quouis superiorem & Patri coæqualem.

Nunc vero pro conclusione illud demum sumas veluti ratum; quod vti particularium rerum vultus, & ideæ in illis communioribus continentur: ita & animi nostri imagines inferiores, superiore idea altera sunt comprehensæ. Quare illud Platonicorum rectè hac ratione defendi possit, scire nostrum esse quandam reminiscentię speciem; cum excitetur ratio, partim ab intellectu, partim à sensibilibus simulachris.

DEFINITIONES, DIVISIONES & pronuntiata.

Essentia est essentians, & essentiata. Essentians rem perficit & actuat: essentiata nihil aliud est quam forma in materia.

Pron. 1.

Essentia rei dupliciter consideratur, vt habens esse extra intellectum, & in rerum natura, & dicitur actus entis realis, hæc est quod re ipsa est in natura, etiam nullo intellectu considerante, vnde essentia extra intellectum appellatur; vel vt intellectui obijcitur per speciem intelligibilem.

Pron. 2.

Essentia producit vniuersalitatem quam;

dam, vnde vniuersalitas rei dicitur fluxus essentiæ.

Pron. 3.

Sicut essentia facit vt res sit vniuersalis, quæ multis tribui possit: ita existentia, quæ est vltimus essendi modus, quo res est extra suas causas, facit vt res sit singularis, & talis, cuius essentiam vel digito monstrare possis.

Pron. 4.

Entia considerantur, quatenus constituunt principia, & quatenus habent suas modificationes.

Principia entis sunt, *essentia, existentia, & duratio.* Modificatio seu modus entis, est qui ab eius principiis fluit, estque vel primus, vel ortus. Primus in tres diuiditur, in *vnum, verum, & bonum*, proximeque ab essentia entis fluunt: eaque non re, sed ratione duntaxat ab ipso ente differunt. Ortus qui à primo promanat, vel est vnitus, vel diuisus. Vnitus quatuor complectitur; *ordinem, numerum, perfectionem, pulchritudinem*, quæ cum ente reciprocantur citra distinctionem: Omne enim ens vt ens, est vnum, verum, bonum: ita ordinatum, numeratum, perfectum, & pulchrum est. Diuisus dicitur, quia diuidit ens, & dicitur entis differentia. Talis est *actus & potentia, simplicitas & compositio, per se & per accidens,*

vniuersaliter & singulariter.

Ordo autem istorum entium veri, boni, vnius, aliter in Deo, aliter in his quæ post Deum sunt, consideratur; omnia enim quæ sunt post Deum, habent causam *efficientem, exemplarem & finalem.* Ab ipso, per ipsum & ad ipsum sunt nempe omnia. Considerando res, vt à Deo, quasi efficiente, constituuntur, dicuntur entia, quia esse participant. Si vt exemplari suo, quod vocamus ideam, secundum quod illas condidit Deus, quadrant, & respondent, veræ dicuntur; vera enim Achillis imago dicitur, quæ vero Achilli conformatur. Si ad eum, tanquam finem, bonæ dicuntur. Si vero vnaquæque res secundum se absolutè accipiatur, vna cognominatur.

1. *In Deo considerantur, primò, vt plenissima entitas, indiuidua vnitas, solidissima veritas, vt beatissima bonitas, qualis est illa* τετάρτης quaternio, *per quam iurabat Pythagoras.*

2. *Vnitas est modus entis, à quo ens denominatur vnum.*

Vel est principium multitudinis, vel est specierum species, exemplar idearum omnium, numeros reliquos, & particulares rerum rationes in se complexa.

3. *Vnum est, quod in se indiuisum est.*

Vnum est transcendentale & in nullo est

prædicamento, & cum ente conuertitur. Est numerale itidem. Et sic est in prædicamento quantitatis. Et non est numerus, sed numeri principium. Indiuiduale, & est singularium, vt Ioannis, Iacobi; & hoc ab existentia fluit. Formale, & hoc competit essentiæ, quæ communis est. Vniuersale, quatenus non contractum à singularibus.

Vnum aliud est continuitate, aliud per aggregationem.

Pron. 5.

Sicut existentia proportionata est essentiæ, ita duratio existentiæ. Nam sicut existentia præsupponit essentiam, ita duratio existentiam.

4. Veritas est cognatio siue conformitas, & congruentia rei cum intellectu.

Vel veritas, est modus entis respectiuus, per quem ens congruit cum intellectu creatoris, & creaturæ: ideóque est intelligibile, hoc est tale, vt concipi possit.

5. Conceptus autem est assimilatio eius quod concipitur.

Conceptus est, vel archetypus, vel ectypus.

Archetypus est proprietas Dei, qua Deus se ipsum

se ipsum nouit, atque omnia extra se, idque per essentiam; & hic est reflexus & rectus.

Reflexus est, quo Deus se ipsum primò & per se intimè, tanquam summè verum & bonum, cognoscit.

Directus, quo Deus omnia alia à se, in essentia, velut exemplari, & speculo rerum extra se semel & simul distinctè cognoscit. Nam se cognoscendo vt causam, cognoscit quicquid ab ipso est, vel esse, vel non esse potest.

Conceptus ectypus est, quo creaturæ intelligentes aliquid concipiunt: & hic cadit vel in Angelos, vel in homines.

Conceptus Angelicus est, vel circularis, in quo Angelus seipsum cognoscit; & rectus, quo concipit alia, puta creatorem, vel creaturas.

Conceptus humanus est vel verus, qui repræsentat rem extra intellectum: vel falsus, cui nihil respondet in re, vt si Angelum sub specie fluuij, Deum sub specie hominis cani.

6. Bonitas est modus entis respectiuus, per quem ens congruit cum volantate creatoris & creaturæ, ideóque appetibile est.

ctu diuino, & virtualiter in omnipotentia diuina: qualis est homo separatus à Petro & Ioanne, & alijs indiuiduis.

In prædicando est natura communis, quæ de multis prædicari potest, vt natura communis signata per vocem Homo, *quæ de Petro & Iacobo prædicari potest.*

17. *Idea est exemplum æternum & immutabile eorum, quæ secundùm naturam fiunt.*

18. *Singulare est, quod præditum est conditionibus indiuiduantibus siue singularitatis. Hæ autem sunt hoc, aliquid, hic, & nunc.*

19. *Totum est, cuius nulla pars abest eorum, ex quibus natura totum nominatur.*

20. *Pars est quæ diuisa est, vel quæ ad totum refertur.*

21. *Infinitum est, quod mensurâ à nobis mensurari nequit.*

22. *Finitum est, quod certa mensura nostro captui accommodata definitum est.*

23. *Mensura est illud, quo mensuratur, id est, cognoscitur quantitas rei: & est molis vel virtutis.*

24. *Subiectum est, cui accidens seu adiunctum inhæret.*

25. *Principium est à quo dependet princi-*

piatum: & est tum essendi, tum cognoscendi.

Essendi sunt incomplexa, quia sunt res existentes extra mentem, essentiamque rei constituunt: suntque causæ simul substantiæ & accidentium propriorum, vt Materiæ & Formæ.

Cognitionis, quæ nostræ cognitioni inseruiunt duntaxat.

26. Materia est essentiale & subiectiuum naturalium rerum principium.

Materia vna est ex qua, alia in qua, tertia circa quam. Ex qua est id, ex quo aliquid fit eo pacto vt insit. In qua est, subiectum respectu cuiuscumque formæ. Circa quam, id circa quod actio aliqua, aut operatio versatur.

Materia ex qua, est permanens, vel transiens.

Subiectum appellamus, materiam in qua; obiectum, materiam circa quam.

27. Forma est ratio quidditatis, hoc est id à quo primò res habet speciem & quidditatem. Varia habet nomina. 1. dicitur species. 2. actus. 3. dicitur perfectio. 4. terminus, quia materiam terminat. 5. exemplar. Et sic ve-

catur ab Ariſt. 2. Phyſicorum, cap. de cauſis.

Forma alia eſt naturalis, alia artificioſa, alia eſt Metaphyſica, alia Phyſica.

Forma in quolibet indiuiduo triplex; generica, ſpecifica, & indiuiduifica. Generica eſt, per quam Plato habet quod ſit animal, non Plato. Specifica, per quam homo, non beſtia. Indiuiduifica, quæ Platoneitas eſt. Eſſentia eius eſt generica & ſpecifica. Exiſtentia vero indiuiduifica.

THEOREM. ET PRON.

1. *Eſſentia tot modis dicitur, quot ens.*
2. *Eſſentia poteſt eſſe abſque exiſtentia, ſed non contra.*
3. *Modus exiſtentiæ ſequitur modum eſſentiæ.*
4. *Modus prædicandi ſequitur modum eſſendi.*
5. *Actus ſunt ſuppoſitorum.*
6. *Quicquid diſcedit ab vnitate tranſcendentali, diſcedit vel ad infinitum, vel ad nihilum.*

7. *Sicut res conseruare student suum esse, ita & unitatem.*
8. *Omne dependens posterius est eo à quo dependet.*
9. *Absolutum prius est respectiuo.*
10. *Vnius entis unica est tantum existentia.*
11. *Vnum est mensura multitudinis.*
12. *Vt unumquodque est, ita verum est.*
13. *Quod non habet statum, & permanentiam, veritatem in se nullam habet.*
14. *Quod veritatem in se non habet, non est verum.*
15. *Quod verum non est, non ens est.*
16. *Sicut homo rebus essentiam dare non potest, ita nec veritatem.*
17. *Veritas est sempiterna & immobilis.*
18. *Ex vero non nisi verum, & è contra.*

Pron. 6.

Veritas in Diuino intellectu est archetypa, in rebus naturalibus ectypa, hoc est umbratilis est: in artificialibus respectu humani intellectus est archetypa: in arte factis ectypa.

19. *Omne bonum est appetibile.*
20. *Omne bonum, quale quale sit, est tale*

in esse, in potentia, in habitu & operari.

21. *Vnum, verum, bonum, cum ente conuertuntur.*

22. *Nulla vera entia sunt inordinata.*

23. *Entium per accidens non datur scientia.*

24. *Actus est principium operationis.*

25. *Superiora colligunt in se vnita, quæ in inferioribus sunt dispersa.*

26. *Nullum simplex resoluitur in principia.*

27. *Vniuersale in se continet potestate & virtute quadam omnia particularia.*

28. *Vniuersale in singulari inest, non actu, sed potestate.*

29. *Si totum mouetur, necesse est partes moueri ad motum totius.*

30. *Totum non differt à partibus suis simul sumptis.*

31. *Quicquid est pars partis, est etiam pars totius.*

32. *Totum est sua parte maius.*

33. *Priora aliquo modo possunt esse absque posterioribus, sed non è contra.*

34. *Primum ens est simpliciter infinitum.*

35. *Plura actu infinita non dantur.*

36. *Mensura prior est mensurato.*
37. *Non datur accidentis accidens.*
38. *Accidentis materia est subiectum in quo inhæret.*
39. *Nihil est in quapiam re, quod non fuerit actu in suis principiis.*
40. *Nihil sui generis deest illi, quod est in suo genere primum.*
41. *Omnis materia secunda pendet à prima certo naturæ ordine.*
42. *Omnis materia secunda determinata est necessariò in certa quantitate ad certam vnicam formam.*
43. *Materia est ens debile, quia constituit rem inchoatè; ideóque dicitur ens incompletum.*
44. *Materia prima informis nullam accipit formam, nisi prius ad eam recipiendam præparetur.*
45. *Materia appetit formam, eamque amat, vt ab ipsa perficiatur: forma appetit materiam, vt recipiatur.*
46. *Corporeum incorporeitas antecedit, quantitatem esse simplex.*

Pron. 4.

Ante esse quantum, ponitur esse simplex;

& quando ipsum ens quod præcedit quantum, concipitur extendi, tunc primum ipsa quantitas oritur, scilicet entis extensio: & illa entis portio quæ extenditur, materia dicitur corporea.

Pron. 5.

In hoc Mundo materiali omnes omnium Materiæ in vnam tandem intimamque Materiam confluunt.

Pron. 6.

In Mundo incorporeo materia tota formalis est: in corporeo vero forma ipsa materialis euadit.

Pron. 7.

In incorporeo Materia & Forma idem sunt: in corporeo vero duo.

47. *A forma omnis distinctio & determinatio prouenit.*

48. *Formæ duæ specificæ non possunt simul esse in eadem materia.*

Pron. 8.

Res per formam in certo entium gradu constituuntur.

Pron. 9.

Forma per se est pars tantum compositi.

Pron. 10.

Forma per se in sensus non incurrit, quia

qualitatibus, quæ sunt sensuum obiecta, non est prædita.

Pron. 11.

In formis absolutis non est alia compositio, quam quæ fit ex essentia & existentia. Essentia locum materiæ & potentiæ obtinet; esse autem & existentia locum formæ.

Pron. 12.

Quæ in materia distinctæ sunt, in efficiente causa sunt vnitæ.

Pron. 13.

Nihil extra se gignit, nisi prius intra se genuerit.

Pron. 14.

Super imperfectas formas oportet esse perfectas, ad quarum exemplar diriguntur imperfectiores.

Pron. 15.

Quicquid intelligentia fit, ad aliquid referri necesse est, quod operis exemplar erit.

Pron. 16.

Idea ad Deum, est Dei intellectio: ad mundum vero sensibilem, exemplar: ad se ipsam, essentia.

Pron. 17.

Materiæ proprium est omnes generationes suscipere, ac nutricis instar eas fo-

uere, omnesque formas capere.

49. Quod ex materia & forma coalescit, corporeum fit & sensibile est: quod sensibile est, tangit & tangitur, & è contra.

50. Quod corporeum est, compositum est.

51. Quod compositum est, fluxui & refluxui est obnoxium.

52. Quod fluxui & refluxui obnoxium est, hoc instabile & non permanens est.

EXERCITATIO PRÆCEDENTIUM.

Sensibilia, quatenus sensibilia, non verè, sed imaginaria ratione sensibus nostris obijciuntur, & proinde illorum nulla datur scientia vera.

Quod sensibile est, corporeum vt sit necesse est, per Theor. 49. quinti. Quod est corporeum, compositum est, per 50. quinti. Quod componitur, fluxui & refluxui est obnoxium, per 51. quinti. Quod fluxui & refluxui est obnoxium, est instabile & non permanens, per 52. quinti.

Quod statum non habet, veritatem in se nullam habet, per 13. & 17. quinti. Quod veritate caret, non est verum, per 14. quinti. Quod verum non est, est non ens vel ens per accidens, per 21. quinti. At entis per accidens

nulla vera datur scientia, per 25. quinti. Ergo à primo ad vltimum sensibilium rerum nulla datur scientia.

Quod si dixeris veritatem non esse æternam; aut falsò hoc dices, aut verè. Si falsò, est vtique veritas. Si verè, verum est non esse veritatem. Si verum est, veritate verum est. Est itaque veritas. Sempiterna ergo est veritas & immobilis. Quare nulla in re mobili sustineri oportet. Nam quod in re mobili collocatur, cum ea quoque mutatur. Omnia vero corporea mutantur. Itaque in illis nulla est veritas. Non ergo sunt vera, nec verè existunt.

ASSERTIO SECVNDA.

Sunt esse super formas corporeas, incorporeas, perfectas & stabiles, per quas res denominantur: Nam & formæ corporum imperfectæ sunt, & ab ipsis res denominari nequeunt, quod probandum erit.

Corporeum fit ex materia & forma, per 49. quinti. Nec à materia aut forma denominari possunt res. Non à materia, quia non est sempiterna, per communem notionem primi: tum quod æqualiter sese habeat ad omnes formas, per 20. quinti. Proinde propter eam ignis & aër, sal & sulphur, haud denominãtur. Non propter formam, quia forma pars tantum est. Quod vero per partem,

non ignem, aërem, salem, sulphur: sed igneum, aëreum, salsum, sulphureum denominamus. Ergo de corporeis nihil horum verè est quod dicitur. Si ergo corporum formæ imperfectæ sunt, primæ non sunt; quod enim primum tale est, integrum est, per Theor. 40. quinti. Tota enim naturæ cuiusque ratio in primo fundatur.

Sunt igitur formæ aliquæ super istas, perfectæ, primæ, & integræ; quæ denominationem rebus impertiunt, & sine quibus res non constituerentur in suo esse.

Præterea animus noster veriores in se habet species, quàm cernuntur, quibus iudicat eas & probat, damnatque & corrigit, & quatenus à veris discedant intelligit, quantumve congruant: perfectior enim iudex, quam quod iudicatur. Musicæ modulos probat vel damnat, & naturalium rerum bonitatem & prauitatem laudat vel damnat.

Ex quibus constat, animum veriores in se habere rerum rationes, quam corporea.

Sed neque hæ, quæ sunt in animo, sunt primæ formæ: nam neque actu semper existunt, sed per temporis interualla de rebus tantum discurrunt. In superiori ergo & à subiecto corporeo magis remoto reperiuntur rerum formæ, in mente nempe, quasi supremo animi apice, quæ statum in se obtinet. Sed neque hæ quæ sunt in mente, sunt primæ formæ,

quia non ſunt vnitæ: vnitatem enim amittit quæ in multitudinem diſperſa eſt. Quamobrem ſupra iſtas formas, quæ in anima & mente deprehenduntur, primæ & veriſſimæ rerum formæ & ſpecies, quæ ſupra locum & tempus motumque exiſtunt, reperiuntur, in Mundi nempe Opifice. Sed in ipſo, per modum cauſæ. In mente Angelica, per modum formæ. In Anima, per participationem. In Natura & Corporibus, per repræſentationem, hoc eſt non verè, ſed per veritatis imaginem tantum. Non erunt igitur ignis & aër, ſal & ſulphur talia, quia tactui, viſui, guſtui aut aliis ſenſibus obijciuntur: ſed quia exemplaribus eorum in prima mẽte correſpondere deprehenduntur. Ad primæ enim Mentis ſimilitudinem fabricata eſt totius mundi Machina, ad quam aſcendere oportet, vt certam veritatem in rebus aſſequaris. Conſtabit ergo ſupra formas corporeas eſſe incorporeas & veras, ex quibus denominationes rerum oriuntur, quod probandum fuit.

PRONVNTIATA.

1. *Quum prima Materia, omnis formæ, qualitatis & ſpeciei ſit expers, corpus non erit; neque etiam incorporea, ſed potentia corpus. Conſperſa tamen erit & figurata formis, velut effigies, vnde eius naſ-*

citur appetitus.

2. Omnis effectus extra suam causam progrediens, quo suæ causæ propior est, eo amplius suæ causæ naturam seruat: quo longius, eo magis aliquid amittit, Prop. 3. quinti.

3. Quemadmodum omnis virtus, motus, vita & actio, in vnitate consistunt, & ab ea mensurationem accipiunt, & vnitas est indiuisibilis & stabilis, non secus ac circuli centrum, quod in centro indiuisibile est punctum; vnde lineæ multæ indiuisibiles & mobiles diffluunt. Nam quo magis remotæ à centro, eo mobiliores & diuisibiliores reperiuntur; & è contrà: & tamen singulæ in aliquo sui puncto quodam, vno simplici & immobili conantur attingere. Sic ordo rerum faciendarum, non secus extra suam causam progressus nobiliores & ignobiliores rerum gradus rationi & sensibus obijcit, seruat aliquid causæ, & aliquid amittit, vnde Mentis, Animæ, Naturæ & Materiæ exsurgit ordo.

PRO-

PROPOSITIO PRIMA quinti Capitis.

Omne quod esse aliis largitur, ipsum primo est id, quod tribuit donatis.

DEMONSTRATIO.

SI enim ipsum esse donat, etiam à sua essentia facit largitionem. Quod vero donat, deterius est sui essentia. Quod autem est, præstantius est, & perfectius. Siquidem omnis conditor alicuius, præstantior est conditi natura, *per quartam quarti.* Quod ergo in ipso donatore præexistit, sublimius est ipso dono, & est idem quod illud, sed non idem illi: primo enim illud est, hoc autem secundo. Necesse enim est, vel idem esse vtrumque, & vnam rationem amborum; vel nihil esse commune, aut idem in ambobus, vel hoc quidem primo esse, illud vero secundo. Verum si eadem ratio: non amplius hoc quidem causa erit, hoc autem effectus, neque hoc quidem in se, illud vero in donato, neque hoc quidem effector, illud vero effectum. Si vero nihil habent idem; nequaquam eò quod sit alterum, subsistet reliquum, nihil ad se illius cõmunicans. Relinquitur ergo, hoc esse primo,

quod largitur; illud vero secundo, quod largitum est, in quibus ipso esse alterum, in altero donatur.

PROPOSITIO SECVNDA quinti Capitis.

Omnis productiua aliorum causa, manens ipsa in se ipsa, producit ea quę post se, & quę deinceps.

DEMONSTRATIO.

NAm si imitatur vnum ipsum: illud vero immobiliter procreat ea quæ post se; etiam omne producens eodem modo habet producendi causam. Sed enim & ipsum vnum immobiliter procreat. Si enim per motum, vel in ipso erit motus, vel non in ipso; & quod mouetur, non iam ampliùs vnum erit, mutatum ex vno, motus etiam ex vno erit. Ita vel in infinitum, vel immobiliter producit ipsum vnum: & omne producens imitabitur vnum & productiuam vniuersorum causam. Ex vno enim quod primò est, est id, quod non primò. Itaque ex eo etiam quod omnium est productiuum, erit id quod aliquorum est productiuum. Omne igitur producens, in se ipso ma-

nens, producit ea quæ deinceps. Non imminutis ergo in se manentibus, ipsis producentibus, secunda producuntur ab ipsis. Nam quod quouis modo imminuitur, impossibile est manere tale, quale est.

PROPOSITIO TERTIA quinti Capitis.

Omne producens, ob perfectionem, & potentiæ abundantiam, productiuum est secundorum.

DEMONSTRATIO.

SI enim non ob perfectionem, sed deficiens secundum potentiam produxit, neq; etiam proprium ordinem, immobile potuit seruare. Quod enim ob defectum, & imbecillitatem alij esse præbet, sui imitatione & alteratione substantiam illi tribuit. Manet ergo quale est, omne producens; & manente ipso, id quod est post ipsum, prouenit. Plenum ergo, & perfectum existens, secunda procreat, immobiliter & indiminutè; ipsum existens, quod est, neque se mutans in illa, neque diminuens. Neque enim dissectio partium producentis, est ipsum productum. Non enim genitis id conuenit, neque progignentibus

causis. Neque transitus. Non enim materia fit progressi. Manet enim quale est. Et productum, aliud ab ipso est. Generans ergo inalterabile permanet, & indiminutum, & ob secundam potentiam, se ipsum multiplicans, & à se secundas substantias præbens.

PROPOSITIO QVARTA quinti Capitis.

Omne quod fit ab immobili causa, immutabilem habet existentiam. Omne vero quod à mobili mutabilem.

DEMONSTRATIO.

SI enim immobile penitus est agens, non per motum, sed ipso esse producit secundum à se ipso. Si vero hoc, concurrens habet suo ipsius esse, id quod à se. Si autem hoc, quousque fuerit, producit. Semper autem est, semper ergo producit, id quod post se. Itaque & hoc, semper fit inde, & semper est, illius semper secundum actionem, coniungens: semper sui ipsius progressum. Si ergo sanè, mouetur causa, & quod ab ea fit, erit mutabile secundum essentiam. Cui enim esse per motum, id motu mutato, mutat esse. Si enim ex motu productum, immutabile ipsum ma-

net, præstantius erit producente causa, quod impossibile est, iuxta *quartam quarti*. Non ergo immutabile erit. Mutatur ergo, & mouebitur secundum essentiam, imitans motum qui ipsum produxit.

PROPOSITIO QVINTA quinti Capitis.

Omnibus mentem participantibus, dux est imparticipabilis mens, & ijs quæ vitam, vita; & ijs quæ ens, ens. Horum vero ipsorum, ens ante vitam est, vita autem ante mentem.

DEMONSTRATIO.

QVoniam enim in vnoquoque ordine entium ante participantia sunt imparticipabilia, *per octauam quarti*; oportet ante intellectualia, esse intellectum; & ante viuentia, vitam; & ante entia, ens. Quoniam vero præcedit id quod plurium causa est, *per sextam quarti*; ea quæ pauciorum, in illis, ens quidem erit primissimum. Omnibus enim adest, quibus vita est, & intellectus. Viuens enim omne, & intellectionis particeps est necessario, non è conuerso. Non enim entia omnia, viuunt, & intelligunt. Secunda vero, vita

est. Omnia enim quibus intellectus adest, etiam vitam participant, non è conuerso. Multa enim viuunt quidem, cognitionis autem expertia relinquuntur. Tertius vero est intellectus. Omne enim cognoscens quouis modo, & viuit, & est. Si ergo plurium causa est ens; pauciorum vero vita, & etiam pauciorum intellectus, primissimum ens, deinde vita, deinde intellectus.

PROPOSITIO SEXTA quinti Capitis.

Omnia quouis modo entia ex fine sunt & infinito, per primum ens. Omnia vero viuentia, sui motiua sunt per vitam primam. Omnia vero cognoscentia, cognitionem participant, per primum intellectum.

DEMONSTRATIO.

SI enim quod in vnaquaque serie imparticipabile, propriam proprietatem omnibus ijs, quæ sub eadem serie sunt communicat, *per propositionem septimam quarti*; clarum sanè, quod etiam ens primissimum communicat omnibus finem simul & infinitatem, mistum

existens ex his primò : & vita motum apud se existentẽ qui est. Vita enim prima progressio est, & motio, à stabili entis substantia, & intellectus cognitione. Omnis enim cognitionis summitas est in intellectu, & intellectus, primum cognoscitiuum est.

PROPOSITIO SEPTIMA quinti Capitis.

Omnium participantium diuinam proprietatem, primißimum est; & summum ipsum ens.

DEMONSTRATIO.

SI enim supra intellectum, & supra vitam est ens, vt demonstratum fuit, *propositione quinta quinti*; nam si plurimorum post vnum, causa est ens, summum erit. His enim vniformius est, & ob id venerabilius. Aliud autem ante ipsum non est, prætervnum. Ante enim vniformem multitudinem, quid aliud, quam vnum? Multitudo autem vniformis, est ipsum ens, vt ex termino existens, & interminato, & omnino ante essentiam superessentiale ens. Quoniam & in illis illuminationibus, quæ fiunt in secundis naturis, solum ipsum vnum est supra ipsum, ens a

ens autem ſtatim poſt vnum. Quod enim potentia eſt ens, nondum tamen actu ens, id vnum eſt ſecundum ſui naturam, & quod poſt hoc vnum, iam actu eſt ens; & in principiis ergo entis, illud quod non eſt ens, ſtatim eſt ſupra id, quod eſt ens, vt ipſo ente præſtantius, & vnum exiſtens.

Nunc autem conſectarij loco libuit doctiſſimi Fracaſtorij verſus aliquot non inconcinnos hîc apponere. Qui ſuam de rebus naturalibus mentem, ſuauiſſimo ſuæ lyræ cantu & appoſitiſſimis verbis exponens, ingenuum lectorem ſiſtere & aduertere adhortatur.

An neſcis, quæcunque hic ſunt, quæ hac nocte teguntur
Omnia, res prorſus veras non eſſe, ſed vmbras,
Aut ſpecula, vnde ad nos aliena elucet imago?
Terra quidem, & maria alta, atque his circumfluus aër,
Et quæ conſiſtunt ex ijs, hæc omnia tenues
Sunt vmbræ, humanos quæ tanquam ſomnia quædam
Pertingunt animos, fallaci & imagine ludunt,
Nunquam eadem, fluxu ſemper variata perenni.
Sol autem, Lunæque globus, fulgentiaque aſtra
Cætera, ſint quamuis meliori prædita vita,
Et donata æuo immortali: hæc ipſa tamen ſunt
Æterni ſpecula, in quæ animus, qui eſt inde profectus,
Inſpiciens, patriæ quondam quaſi tactus amore,

Ardescit, sed enim, quoniam hic non perstat, & vltrà
Nescia quid sequitur secum, tacitusque requirit,
Nosse licet circum hæc ipsum consistere verum
Non finem: verum esse aliud quid, cuius imago
Splendet in ijs, quod per seipsum est, & principium esse
Omnibus æternum, ante omnem numerumque, diemque.
In quo alium Solem, atque aliam splendescere Lunam
Aspicias, aliosque orbes, alia astra moueri,
Terramque, fluuiosque alios, atque aëra & ignem,
Et nemora, atque alijs errare animalia syluis.
Denique cuncta alia cernas vegetantia vita.
Ergo vmbras cum iam satis, & specula illa, superque
Spectaris, longa iamdudum in nocte pererrans:
Eas tandem lucem, atque ipsum perquirere verum.
Quod quoniam longè seiunctum est corpore ab omni,
Nec nexus habet, aut affinem sensibus vllis
Naturam, scito esse animum tibi dissociandum
Corpore, purgandumque omni contage recepta
Terrena à labe, & mortalis luminis haustu:
Quærendæque aliæ syluæ, callesque tenendi
Sunt alij, meliorque, Deum quæ semita monstrat.

DE CONCEPTV inuiſibilis & informis Hylæ, eſſentia omnium receptiua, eius ex nihilo creatione, prima modificatione impreſsiua, tum idearum ſigillo adæquatiua, vnde chaos incorporeum & inextenſum, ex quo tandem educitur materia Elementorum proxima.

CAPVT VI.

PYTHAGORICI veterum Philoſophorum anteceſſores, materiam Mundi primam, binarium nominabant. Quia ſicut binarius eſt ab vnitate numerali proceſſus, ſic totius mundi materiam fuiſſe à Diuina vnitate proceſſum aſſerebant. Et quamuis abſque vlla præjacente materia, imo ſolo nutu, vniuerſum hunc mundum fabricauerit; tamen ordo creationis, & origines rerum naturalium, nobis in hac naturæ caligine degentibus,

absque huius materiæ consideratione concipi minimè possunt. Proinde necesse est primam materiam supponere, eamque vnam & primam. Non fuit enim singulorum particularis materia, sed omnium rerum eadem, ideoque vna dicebatur. Quod quia vnius Dei supereminentiam sequebatur, & vni actui subiecta fuit, actui nempe Diuino, per Mentis, Animæ, Naturæ & Materiæ essentiam disperso. Mens enim Diuina est vniuersi ratio exemplaris, & efficax, per conuersionem ad se, cognoscens omnia simul & faciens: Tum vero Mens quælibet inde nata est plena rationum formalium, adspicitque formas in rebus, formalesq; rationes, velut quosdam Diuinæ intelligentiæ radios, suis quoque rationibus congruentes. Sicut igitur oculus, naturam Solis intuens, atque Solaris, in Solari lumine, Solares vbique spectat colores, quodque sub ijs latet appellare admonet tenebrosum. Sic intellectus quilibet Diuina mente creatus, atque inde imbutus luminibus idearum, ideales similitudines in rationibus rerum formalibus semper aucupatur, & libenter agnoscit, atque sub formis, velut quibusdam intelligentiæ Diuinæ luminibus, vaticinatur latere materiam, velut in rebus infimam, quam Hylen rectè nominabant veteres. Et licet formarum sit, tanquam idealium radiorum expers, ideo quid tenebrosum: materiam tamen corporum, cum illa mate-

ria incorporei mundi, non genere, sed habitudine quadam conuenire memento. In formis enim absolutis non est alia compositio, quam ex essentia & existentia. Essentia, locum materiæ & potentiæ; esse autem aut existentia, locum formæ obtinet. Et quo nobilior est actus & suo fonti proximior, eo & potentior siue materia generosior. Et sicut materia corporea dona quædam incorporeæ naturæ sortitur, sic & illa incorporea vicissim tum in mente habet ideales corporum rationes, tum in anima. Præter eiusmodi actiones subit & motiones, & affectus quosdam, ad materiam hanc velut passiones, quæ rursus, vt hic & ibi formarum locum tenent. Similiter materia duo spectat & vnum. Nam ab vno conuersionis, & aspectus, & termini modo dependent, & materias vtrobique suas terminare videntur. Differunt vero formæ mundi huius ab illis: quoniam hæ quidem ab anima proxime fiunt, illæ ab intellectu vel Deo. Differt & hæc materia ab illa, quoniam hæc quidem profundum est imaginum, illa vero formarum est profundum, quarum hæ videntur imagines.

Vtramque autem fingebat Plotinus, nempe tam incorporearum, quam corporearum naturam, esse quasi vitra quatuor subinde disposita, ipsasque primi intellectus intelligentias inde velut à Sole, radios per Animam, Naturam, & Materiam, pertransire continua,

quadam conformitate, vt quodammodo ijdem radij dici possint, eædemque intelligentiæ in sequentibus & postremis, quæ & in præcedentibus esse; sed deinceps gradatim à priore dignitate deficientes, ita vt ex formalibus euadant prorsus materiales. Sicut igitur forma illic vera res est & existentia, sic & materia hîc est essentia. Sicut hîc forma, est imago formæ, sic & materia hæc, essentiæ est imago. Sic denique formæ omnium primæ ideales, quasi materiale aliquid habent adiunctum, formabilem inquam Mentis essentiam: multo magis formæ omnium infimæ, id est dimensiones, materiale aliquid possident. Quumque plures in vna Mente sint species, constat mentis essentiam aliquid aliud existere præter ideas, ideoque idealibus formis subesse quasi materiam.

Præterea ante esse quantum, ponitur esse simplex. Non potest enim aliquid esse quantum, nisi prius sit. Et quando ipsum simpliciter ens quod præcedit quantum, cogitatur extendi, tunc primum ipsa quantitas oritur, scilicet entis extensio: & illa entis portio quæ protenditur, materia dicitur corporea: facta extensio vero, quantitas.

Fuit ergo ante esse quantum, esse simplex, quod Deus per purissimum aliquem suæ voluntatis actum, in subsistentiam quandam vnam produxit, vnam inquam, vt eo maior & ad plura se se porrigeret. Virtus enim quæ

magis vnita, fortior est. Nec vnam tantum, sed & simplicissimam; compositionem enim simplicitas antecedit. Et quo simplicior causa est, eo prior; quo prior, eo plura facit. Causa igitur maximè vna & simplex, procul dubio prima est, non secus ac in vnico centro, sunt omnes lineæ ductæ ad circunferentiam, aut in vnitate multiplicitas, & omne primum in quolibet genere, totius generis est principiũ. Tum quod est aliorum principium, sequentia cõtinet: nihil enim sui generis deest illi, quod est in suo genere primum. Ab esse ergo simplici sunt subsequentia omnia: vni enim actui sunt subiecta. Sic corporeum incorporeitas antecedit, quantitatem, esse simplex, per quantitatum dimensiones. Ex incorporeis corporeum tandem fit: & ita, vt quæ hic qualitatibus & virtutibus incorporeis sufficiebat, illic quoque ideis sufficit. Sic materia corporum, cum materia incorporeorum, non genere, sed habitudine quadam differt. In mundo enim incorporeo materia fuit tota formalis: in corporeo formæ ipsæ materiales euadunt. In mundo enim corporeo, materia & forma duæ naturæ aut vmbræ sunt. In incorporeo vero non sunt nisi vna. Sic differunt, sicut lumen diffusum per aërem, quasi forma ab aërea materia differt. Ibi vero sunt rutilatio quædam à lumine, & lucere à luce. Vel sicut luminis à flãma, & luminis in aëre alia est natura quam aër. In flamma

vero, non aliam adiungit naturam, sed proprietas est, actusque flammæ. Sicut ergo lumen hoc, quasi forma & actus est ad flammam quasi potentiam: ita ferme quod formale, ad id quod materiale, in mundo intelligibili ponitur, se habere videtur similiter.

In toto hoc mundo corporeo, materia & forma duæ sunt. In incorporeo materia quidem est essentia & natura formæ: forma vero est esse, actusque materiæ. Rursus materia nec ad formam in potentia ibi est, neque potentia est ad formam, sed est potius ipsa formæ potentia. Forma vero non est actus aliquis in materia siue in potentia, sed ipse potius potentiæ actus.

Ex quibus denique colligimus, duplicem fuisse ab initio creationis potentiam, & actũ: Metaphysicum, qui dat quodcumque esse, & communicat gradus prædicamentales, quales communiter dicuntur Existentia, & Essentia; Physicum autem, qui dat esse Physicum, seu constituit corpus naturale in suo proprio esse, siue simplici, siue composito. Ita erit & duplex potentia Metaphysica, actuum Metaphysicorum receptiua; & Physica, ad actum nempe Physicum ordinata.

Ex quibus concipimus primo ab initio creatam fuisse naturam quandam absolutam, ante rerum creationem in mente Diuina descriptam, in ipsa rerum creatione per formas diffusam, ab omni modificatione forma-

li liberam, & actuum Metaphysicorum non solum, sed & Physicorum etiam receptiuam, & vniuersale subiectum. Hanc vt ineffabile, materiale, & remotissimum rerum quasi principium, vmbram immensam, rei imaginem, vt noctem tenebricosam, tenebrarum latibulum, entis laruam, vnó nomine Hylam informem, & inuisibilem, nulla modificatione gaudentem, sed omnium capacem & receptiuam, non inconcinno nomine determinabant. Ad quam accedens à summo Archetypo actus Metaphysicus, essentiam primò ipsi rudem, incorpoream & indigestam impertiuit, cuius viuaciori actu eius vacuitatem, supremis faciendarum rerum speciebus ornare cœpit, quasi potentiam quibusdam modificationum incompletarum speciebus, puta essentiæ aut existentiæ, sed confuso more destinatam. Hanc materiam secundo hoc gradu progressam, Chaos incorporeum & incompletum nominare rectè possumus, ex quibus omnia naturalia esse, & in idem omnia resolui certum est. Ex huius autem vna parte puriore, nullo sensu, sed solis rationis oculis comprehensibili, factus est mundus incorporeus & spiritalis, solo intellectualis & vitalis luminis splendore ornatus, fons & thesaurus, vnde promanat omnis vita, lux, & intellectus, inferiorum Cherubicarum & beatarum mentium sedes, & domicilium vocatus: & nulla alia, quam quæ ex

essentia

essentia & esse constat, forma illustratus, & in Mentium Angelicarum, & Animarum cohortes distinctus. Quarum vtraque quasi ex quatuor constare Elementis dici potest, nempe ex essentia & esse, ex virtute & actione. Horum esse, est actus essentiæ. Nam si præter hunc actum, non esset illic essentia, cui talis actus hæreret, esset actus purus & infinitus, à nullo circumscriptus, qui solus Deus esse potest. Essentia ergo mentis Angelicæ, in prima creatione actu suo carebat, proindè tenebrosa & vacua verumque Chaos, sed incompletum, dici potuit. At Ideis seu speciebus omnium rerum faciendarum, quasi intellectuali lumine & radijs Diuinæ pulchritudinis illustrata, statim lucida & actuosa apparuit.

Similiter & animæ essentiæ in prima creatione vacuitas, fuit rationibus rerum faciendarum repleta, à summo actu relucente in mentibus Angelicis: qui tot voluit in anima fieri rationes, quot ideas in mentibus Angelicis; & tot formas in materia, quot rationes in anima. Sed diuini illi radij in Deo vniti sunt, in Angelis dispersi; in Anima dispersiores, in Natura multiplices, in Materia penè infiniti. Hanc materiæ partem Cœlum appellabant sacræ literæ: non illud stellis ornatum, sed illud huius actum, seu potius huius actus originem comprehendens.

Ex relicta autem, & tenebricosiori huius parte (quam terram inanem & vacuam sacræ

literæ appellabant) ad materiæ & formæ corporeæ naturas declinante, in mundum sensibilem seu Elementarem, qui in naturæ & materiæ ordines distinctus fuit, accreuit. Harum purior & tenuior pars cælum fuit, non iam factum, sed futurum prioris tantum potentia: in quo tot splendida & coruscantia sydera cernimus, radios quasi diuersi seminum spiritus in hæc inferiora continuo immittentia, donis & sciẽtiis superiorum actuũ ornatos, immensa fœcunditate, specierum renouationem continuo procurantes. In hac est continuus dies absque nocte, in hac viget cœlestis vita, seu anima vbique spirans, flatum nempe vitalem & sensualem. Non qui necessario sentiatur ab aliis, sed quo ipsa, tum viuificet, tum sentiat alia. Flatus eiusmodi quoniam prodit ex anima, imitatur virtutem animæ penetrantem, quatenus ipse penetrans vniuersum, omnibus inest infusus. Similiter & continet, quatenus ipse suo quodam, vt ita loquar, visco, aut sulphure inextinguibili, velut oleum super omnia natans, omnia ambit. Hinc illud, *Et spiritus Domini ferebatur super aquas*, vel *incubabat aquis*, fouens videlicet materias frigidas per se, quæ ipso vitaliter, quãuis occultè, calent. Atque hinc calefaciẽdi vim sortiuntur, quamuis occultã. Huius essentia nec fuit corporea, nec penitus incorporea. Sed quo magis inferior, eo & ad corporeitatẽ decliuior; quo superior, eo tennior, &

ab omni corporea forma remotior fuit. Natura ergo partim corporea, partim incorporea. Materia autem crassior, obscurior, & ad actum inertior, ad corpoream naturam omnino tendens, Elementorum corporatorum grauem & perobscurã induit formam. Attamen quo centro proximior, eo inertior; quo circũferentiæ, tenuior, & spiritali actui proximior. Proinde semina à fontibus suis peregrinantia, hospitium in huius spiritalis naturæ materia acceperunt. Vocamusque κατ' ἐξοχὴν principia, elementa seminum, seu astrorum domicilia. Et quum primum sensibus nostris se se offerre videntur, per colorem, odorem, saporem; per se, vel per omnia simul, sed composito & confuso modo; tunc Salis, Sulphuris & Mercurij nomina sortiuntur. Et sicut semina hæc suæ naturæ loca magis conuenientia occupant: simili modo horum loca, matrices, & domicilia, crassior & inertior materiæ pars, à naturæ Archæo constituta sunt, quæ in Elementa vulgaria, ignem, aquam, aërem, terram, apprimè diuiduntur.

Harum autem modificationum graduum diuersissimorum, in vnam massam seu faciem aggregatorum, quã chaos vocamus, mentionẽ faciunt, non solum sacræ literæ, sed & veteres, & prophani Poëtæ. Illæ terram inanem & vacuam nominant; & modo cæli, aquæ, terræ, & abyssi nomine designant. Sic appellatur, non quod essent veræ essentiæ in esse adhuc

distinctæ, aut formis completis ornatæ, sed omnium vnum chaos, & confusio vna. Nam postea dictum est, *Fiat firmamentum*, in medio scilicet aquarum, *distinguens aquas ab aquis*, nempe chaos mundi intelligibilis, à sensibili. Et *vocauit firmamentum cœlum.* Ex quibus constat essentias illas, non fuisse varijs & ambiguis nominibus ita appellatas, sub formis completis tantum, vel in massa atomorum, ad tales formas induendas postea aptas. Aptitudo autem ista constabat, non solum in aptitudine solius materiæ informis, sed in aptitudine massæ confusæ, tam formis, quam materiis rerum omnium faciendarum repletæ.

Ex his apparet, istam massam vnicam, extrinsecam faciem obtinuisse, eamque fuisse aqueam, sed minus adhuc continuam, & terræ asperitati similem. Caue autem credas, fuisse vulgarem nostram aquàm, sed solum infinitarum diuersissimæque speciei atomorum, seu punctorum congeriem, quæ nullam, præter aqueam, consistentiam obtinere potuit. Imo quum in illa natura, diuersimodè congesta, & pro rerum faciendarum specifica ratione congregata, exsurgere deberent omnia mixta, nullam aliam sortiri potuit ista materia extrinsecam formam, quam aquæ. Omnia namq; antequam ad perfectam mixtionem apta sint, nullam quam aqueam consistentiam obtinere possunt. Haud enim nisi in multarum atomorum subtilissimo fluore;

quasi infinitorum punctorum concursu, assimilantur diuersissimæ simplicisque naturæ partes, vt vnum appareant. Vnde prima rerum materia, Aqua à Melisso dicta fuit, quasi ab aqua omnia. Deinde, colligere est huius materiæ primæ modificationem externam, fuisse aquam, ex ipso cœli etymo. Cæli enim Hebraicè dicuntur SCHAMAIM, quasi aquei; MAIM enim, aquas significat.

Ex dictis igitur patet, eandem & vnicam fuisse ab initio creatam cœli & terræ materiam, sed iam aptam ad modificationem: & differre tantum gradu eminentioris & purioris substantiæ, quæ distinguebatur per quatuor separationes ab initio factas. Primo enim ordine separabatur cœlum à terra, nempe substantia mundi intelligibilis, à sensibili; illam, in essentiam Mentis Angelicæ, ad idearum seu specierum receptionem, tum animæ, ad rationum receptionem aptam, quasi materiam formis propriis destinatam, quam cœlum vocant sacræ literæ. Secundo, hanc quam inanem & vacuam terram, vt impuriorem huius materiæ partem, separauit in lucem & tenebras. In lucem, hoc est purissimam & lucidissimam vltimæ huius massæ partem, quam cœlum stellis ornatum, vt naturam seminibus omnium rerum, quasi formis destinatum vocamus, medium inter corpoream & incorpoream naturam obtinens. In tenebras, id est materiam corpoream Elementorum,

Quippe ea est natura qualitatum incorporearum, à suis fontibus peregrinantium, & in corporeæ naturæ sinum, per medias qualitates inclinantium, vt vmbræ, imagines, tenebræ & vestigia potius rerum (respectu incorporei & superioris actus) dicantur, quam res veræ; actum enim omnem corporeitas impedit. Sic Deus verum bonum est, Angelus bonitatis tantum imago, verus tamen intellectus; Anima, intellectus imago, vera tamen Anima; Natura, imago Animæ, sed vera Natura. Qualitas quæ diuiditur in materia, Naturæ imago est, & verum naturalium agentium instrumentum. Materia est qualitatis huius corporeæ imago, & vltimum omnium subiectum, ad centrum mundi expulsum, vt totius creaturæ despicatissima natura, per tertium separationis gradum, separauit aquas ab aquis, interponendo firmamentum, hoc est humidum, salsum, & corporeum; humido pingui, & incorporeo, per firmamentum seu humidum spirituosum, quod est vtriusque naturæ particeps.

Quarto, separauit Elementa ab Elementis. Sed non ita, quin in singulis remanserit aliorum elementorum intermixta natura. Nam singula cum singulis magnam habere cognationem deprehendimus. Ex Hyla ergo Chaos, ex Chao Elementorum materia. Concludendum ergo Hylam informem à potentia Metaphysica degenerasse in Phy-

sicam: nihilque aliud esse posse, quam potentiam meram Physicam, quæ duplex est; Vniuersalis seu remota, quæ respicit omnes formas in communi; sed terminatiuè, & in progressu; & in modificatione particulari seu proxima; respiciens scilicet formas particulares, & connotat accidentia signata tali in specie & numero, à quibus determinatur materia & redditur proximè apta ad hanc specie & numero formam recipiendam. Et hæc potentia materiæ, est progressus Hylæ in Chao, ex quo fit materia proxima Elementorum. Totam igitur huius materiæ notionem ex Platonis Timæo sic definiemus, esse incorpoream quandam essentiam & informem, sinum omnium capacem, quæ ambiguo, ac penè inexplicabili modo Diuinæ ac intellectualis naturæ sit particeps. Dicitur *essentia*, vt significetur eius vmbratilis entitatis natura. Dicitur *sinus omnicapax*, quia est pura potētia physica, receptiua omnium formarū & terminus omnium corruptionum; diciturque *modo quodam ambiguo*, quia est tam diminutæ entitatis, vt ignotum sit an possit creari materia imperfectior. Dicitur *inexplicabili*, quia difficilè percipitur eius essentia, an scilicet habeat potentiam realiter contra-distinctam; an verò ipsa sit essentialiter potentia. Dicitur *Diuina & intellectualis*, vt declaretur illius causa efficiens, nempe Deus: omne enim à Deo creatum est ens per participationem Diuinæ naturæ seu entis per essentiam.

DEFINITIONES, DIVISIONES & pronuntiata.

1. *Bonum est quod omnia appetunt.*
2. *Bonum aliud apparens, aliud verum.*

A bono vero, & vno promanant, ordo, numerus, perfectio & pulchritudo entium.

Ordo est formalis ratio habitudinis essentialis vnius ad alterum, connexa distinguens, dispersa copulans, superiora ab inferioribus separans, sensibilia & corporea ab insensibilibus & incorporeis dirimens; sensibilia in cœlum, ætherem, & elementa; insensibilia, in Mentes Angelicas, Animam, & Naturam.

Pron. 1.

In rerum ordine videmus alias res alijs esse nobiliores. Nam quo vni vero & bono propiores, eo & perfectiores existunt, & vice versa. Quare animam corpore nobiliorem iudicamus, quia fonti suo propinquior: ascendimus enim à corpore ad qualitatem, ab hac ad Animam, ab Anima ad Angelum, ab eo ad Deum, vnum, verum, bonum, quasi rerum omnium centrum & apicem. Vnum autem hoc, ex superfluente bonitate extra se in alia quoque naturarum genera paulatim delabens, velut per gradus à perfectißimis naturis per imperfectiores ad imperfectißimas defluit, & tandem in Materiam primam desinit, quæ propè nihil est. Hoc in Deo colligimus esse quoddam absolutum,

verum & supereminens, centro circuli simile, in intellectu esse intelligibile, & proximo circuli centro comparabile, in Anima esse naturale & remotius, in materia remotissimum & ad non esse proximum.

Mens alia est Diuina & increata, quæ & intellectus communis nominatur, supra omnem intellectum existens, Dei verbum benedictum, ab Augustino & alijs nominata, primæque essentiæ prima quasi fœcunditas, in qua ordo est omni ordine pulchrior, ratio omni ratione nostra præstantior, Mens omni Mente venerabilior.

Alia particularis & à prima deficiens, dum ab vno in multitudinem dilabitur.

Omnes autem istas species sic distinguemus. Prima Mens, est super species immobilis quædam vnitas, infinita bonitas, & sempiterna veritas.

3. Particularis verò dici potest essentia creata & immobilis multitudo, à primæ Mentis lumine omnium effectiuo, vniuersales rerum ideas & exemplaria capiens & intelligens, tum inferioribus ordinibus distribuens, specierum seu idearum proximum receptaculum & inferiorum intellectuum mutua colligantia.

4. Anima est essentia creata & mobilis multitudo, essentialibus & viuis seminum rationibus fœcunda, in corporeis rerum simulachris singula agens & perficiens, vt supremis & exemplaribus vbique respondeant operibus, immortalis scientiæ documenta præbens, rationum & ordinum vbertate plenissima, quæ neque per se, ne-

que per inquinationem corporis est diuisibilis.

5. Natura est vis Animi seminaria & viuifica, mirabili architectonica facultate per superiorum contemplationem & æmulationem instructa, sui diffundendi, multiplicandi, suique pro viribus procreandi & æternisandi, in corpora potestatem habens, ab interna sui cognitione totam sui essentiam in se prius figurans & generans, quam foras leges, documenta & artificia, ad sui similitudinem in Veg. Animal. & Mineral. spermate producat, spiritali ratione ex abyssis & beatis sedibus, ineuitabili Creatoris decreto, in cælum, sydera & elementa corporea relegata, vt specierum nouationi in seculorum consummationem inseruiant.

6. Materia est vltimum rerum subiectum & formarum corporearum receptaculum commune, à superiorum puritate tam remota, quam lux à corpore luminoso: quæ quo magis ad sui principium accedit, eo robustior & ad actum procliuior: quo remotior, eo inertior, donec vis actiua tandem absoluatur, vnde tenebrarum nomen à Philosophis adapta est.

THEOREM. ET PRON.

Theor. 1.

Exemplar exemplato prius est.

Pron. 2.

In vnoquoque entium genere & ordine datur ali-

quod primum, vt mensura sequentium.

Pron. 3.

Imperfecta sunt priora generatione naturæ: perfecta priora intentione naturæ.

Pron. 4.

Prius natura est, à quo aliquid dependet.

Theor. 2.

Quod primo enti proximus est, illud perfectius.

Pron. 5.

Ordo syntheticus præcedit analyticum.

Theor. 3.

In qua est prima cognitio, in ea est perfectissima proxima conditio.

Theor. 4.

Entia nisi essent ordinata, non essent vera.

Theor. 5.

Vbi ordo, ibi multitudo.

Theor. 6.

Omnes circuli partes in vnico circuli puncto indiuisibili coguntur.

Pron. 6.

Centro manente fixo, secundum sensum mouentur omnes circuli partes.

EXERCITATIO PRÆCEDENTIUM.

Formas non educi ex potentia materiæ, sed potius materiam è potentia formæ. Si enim forma educeretur ex potentia materiæ, tunc sequeretur materiam extitisse ante formam

intentione naturæ, per Theor. 8. quinti, & per consequens mensuratum mensura prius exstitisse, contra Theor. 36. quinti.

2. Exemplatum exemplo, per 1. sexti.

3. Materiam posse concipi absque forma, per 33. quinti.

4. Esse potentiorem forma, per 13. quarti.

5. Esse perfectiorem forma, per 3. sexti.

6. Eam possidere cognitionem formæ in se, perfectiori modo quam ipsam formam, per 5. sexti.

7. Dependere à materia, per 2. sexti.

Cùm autem hæc stare haud possint cum indubitata fide præcedentium Theorematum, concludendum Materiam educi ex potentia formæ synthetice, hoc est actum Animi, qui est vera forma, in Naturam diffusum constituere ordinem remotiorem entis, & per consequens imperfectiorem: quæ tam diu protrahi potest, quousque vis eius actiua absoluatur & in Materiam desinat.

Sed si velis inuerso & analytico ordine procedere, forma quæ fuit antea absoluta, postquam existentiam materiæ dedisset, ex sinu Materiæ rursus conuertitur ad actum; vnde dici potest, formam educi ex potentia Materiæ.

CONSECTARIA.

1. *Species quæ hic sensibus nostris se se offerunt, imperfectiores sunt, quam quæ in seminaria Natura considerantur; quæ itidem in Natura, ignobiliora*

quam quæ in Anima. Nobiliori etiam modo in exemplaribus & in summo exemplari, per 1. sexti, 3. sexti, & 5. sexti.

PROPOSITIO PRIMA sexti Capitis.

Omne sufficiens, hoc est sua sorte contentum, vel secundum essentiam, vel secundum actionem præstantius est insufficiente, ab alia causa dependentem habente perfectionis causam.

DEMONSTRATIO.

SI enim omnia entia bonum, secundum naturam appetunt. Et aliud quidem sibi suppeditat bonum, aliud vero indigum alterius est: illud sanè præsentem habet boni causam, hoc vero seorsum existentem. Quanto ergo vicinius hoc, quod appetibile præbet, tanto præstantius fuerit eo quod separata causa indiget, & aliunde suscipiente perfectionem existentiæ, vel actionis. Præterea & simile, & diminutum & similius est, sufficiens, ipsi bono. Diminutum, eo quòd participat bonum, & quia non sit ipsum bonum primum. Co-

gnatum tamen aliquo modo est illi, in quantum per se ipsum potest bonum habere. Participans vero, & per aliud participans, magis distat à primo bono, quod nihil est aliud, quam bonum.

PROPOSITIO SECVNDA sexti Capitis.

Omne ens, vel immobile est, vel motum; & si motum, vel à se, vel ab alio.

DEMONSTRATIO.

AC si à se, semobile est; si vero ab alio, (vt ita dicam) alimobile est. Omne ergo vel immobile est, vel semobile, vel alimobile. Necesse enim est cum alimobilia sint, esse & immobile, & inter hæc, semobile. Si enim omne alimobile, ab alio motum mouetur, vel circulo motiones sunt, vel in Infinitum. Sed neque circulo, neque in infinitum, siquidem principio definita sunt omnia entia, & mouens, moto præstantius est. Erit ergo aliquid immobile, primum mouens. Verum si hoc, necesse est & semobile esse. Nam sistantur vniuersa, quidnam erit quod primò moueatur? Neque enim immobile ipsum. Non enim natum erit aptum. Ne-

que alimobile. Ab alio namque mouetur. Relinquitur ergo, semobile esse quod primò moueatur; quandoquidem hoc est, quod ea quæ alimobilia sunt, immobili coniungit, medium quodammodo existens, mouens simul & motum. Illorum enim alterum mouet solum, alterum mouetur solum. Omne ergo ens vel immobile est, vel semobile, vel alimobile. Ex quibus clarum erit, quod eorum quæ mouentur, semobile primum est: mouentium vero, immobile.

PROPOSITIO TERTIA sexti Capitis.

Superior omnibus corporibus est animæ essentia, & omnibus animabus superior est intellectualis natura, & omnibus intellectualibus substantiis superius est ipsum unum.

DEMONSTRATIO.

OMne enim corpus mobile est ab alio, mouere vero seipsum non est natum. Sed animæ participatione mouetur, ex se, & viuit per animam, & præsente quidem anima, semobile quodammodo est; absente vero, alimobile, veluti hanc habens per se natu-

ram, vt demonstratum fuit *prop. secunda sexti;* anima vero semobilem essentiam sortita sit; cui enim superuenit, huic impertit semobilitatem. Quod vero impertitur ipso esse, hoc multo prius ipsa est. Supra ergo corpora est, tanquam semobilis per essentiam, illis per participationem semobilibus factis. Rursus, anima mota à se ipsa, secundum habet ordinem ab immobili natura; actu immobili existente, quia omnia quidem mota pręcedit semobile; omnia vero mouentia, immobile. Si ergo anima mota à se ipsa, alia mouet, oportet ante ipsam esse, immobiliter mouens. Mens vero mouet, immobilis existens, & semper secundum eadem agens. Etenim anima, per mentem participat semper intelligere. Sicuti corpus per animam, se ipsum mouere. Si enim esset in animo primò, semper intelligere, omnibus inesset animabus. Sicuti etiam se mouere. Non ergo animæ hoc inest primò. Oportet ergo ante ipsam esse, primò intellectiuum, & ante animas ergo Mens est. At vero ante Mentem, vnum. Mens enim etiamsi immobilis sit, non tamen vnum est. Intelligit enim se ipsam, & agit circa se ipsam. At vnum participant, omnia quomodocumque entia, mentem vero non omnia. Quibus enim adfuerit mentis portio, hæc cognitionem participare necęsse est, quia intellectualis cognitio est principium & causa cognoscendi. Superius ergo mente, vnum est,

nec

nec amplius, vno, aliud superius. Idem enim vnum, & ipsum. Ipsum vero bonum, principium omnium, vt demonstratum est.

PROPOSITIO QVARTA sexti Capitis.

Omne producens, similia sibi, ante dissimilia procreat.

DEMONSTRATIO.

QVum enim producens, necessariò fit præstantius producto, *per propositionem quandam quarti*; eadem quidem, simpliciter, æqualia secundum potentiam nunquam fuerint ad inuicem. Si vero non sunt eadem & æqualia, sed alia & inæqualia; vel penitus separata sunt à se inuicem, vel & vnita, & separata. Sed si penitus separata, non coibunt, & nullo modo causæ est sympathes, id quod ab ipsa. Non ergo participabit alterum altero, quum penitus sint alia. Participatum enim communicationem largitur participanti ad id cuius particeps est. Sed necesse est, causatum causæ particeps esse, velut id quod inde habeat essentiam. Si vero quadantenus separatum est, & quadantenus vnitum producenti, productum. Si æquè vtrumque patitur,

æquè ipſius & particeps eſt, & non particeps: Itaque & habebit eſſentiam ab ipſo, & non habebit, eodem modo. Si vero magis fuerit ſeparatum, alienum magis, quam proprium fuerit à gignente genitum; & inconcinnum, ad ſe magis quam concinnum, & aſympathes magis quam ſympathes. Si ergo & cognata ſecundum eſſe, & ſympathea cauſis ſunt, ea quæ ab ipſis ſunt, & dependent ab ipſis ſecundum naturam, & appetunt contactum ad illas, appetentia bonum & appetibile adipiſcentia, per cauſam: clarum ſanè, quod magis vniantur producentibus producta, quam ſeparentur ab ipſis. Et quæ magis ſunt vnita, ſimilia ſunt magis quam diſſimilia his, quibus maximè vniuntur. Similia ergo antequam diſſimilia, procreat omnis productiua cauſa.

PROPOSITIO QVINTA ſexti Capitis.

Omne ab aliquo productum immediate, & manet in producente, & progreditur ab ipſo.

DEMONSTRATIO.

SI enim omnis progreſſus, manentibus primis fit, & per ſimilitudinem efficitur, ſimilibus ante diſſimilia ſubſiſtentibus, *per quartam quarti;* manet aliquatenus etiam pro-

ductum in producente. Quod enim penitus progreditur, nihil habebit idem, ad manens, sed est penitus separatum. Si vero habebit aliquid commune & vnitum ad ipsum: manebit & ipsum in illo, sicut & illud in se manens erat. Si vero maneat tantum, non progressum, nihil differet à causa, neque erit manente illa, aliud effectum. Si enim aliud est, separatur, etiam est seorsum. Si autem seorsum, manet verò illa, progressum est hoc ab ipsa manente, vt separetur à manente. Quatenus ergo idem aliquid productum, ad producens habet, manet in ipso. Quatenus autem aliud, progreditur ab ipso. Simile ergo existens, idem aliquatenus simul, & aliud est. Manet ergo & progreditur simul, at neutrum seorsum ab altero.

PROPOSITIO SEXTA sexti Capitis.

Omnium quæ in progressu multiplicantur, prima secundis sunt perfectiora, & secunda his quę post ipsa, & deinceps similiter.

DEMONSTRATIO.

SI enim progressiones producta, distinguunt à causis, & demissa sunt secunda à

primis. Prima quidem progressa coniunguntur magis cum causis, ab ipsis illis enata. Secunda vero longinquius à causis sunt. Et deinceps similiter. Viciniora vero & cognatiora causis, perfectiora. Etenim causæ sunt causatis perfectiores: longinquiora vero imperfectiora, dissimilia iam causis.

PROPOSITIO SEPTIMA sexti Capitis.

Omnia, quę ab alia causa progrediuntur, præcedunt ea quæ à se ipsis subsistunt, & essentiam per se subsistentem habent.

DEMONSTRATIO.

SI enim omne sufficiens, vel secundum essentiam, vel secundum actionem præstantius est eo quod ab alia causa pendet, *per propositionem primam sexti.* Quod vero se ipsum producit, sibi productiuum est ipsius esse, sufficiens est ad essentiam. Quod vero ab alio solum producitur, non sufficiens. Bono vero cognatius est sufficiens. Cognatiora vero, & similiora causis subsistunt ex causa, antequam dissimilia, *per propositionem quartam sexti.* Ergo quæ à se producuntur, & per se subsistunt,

antiquiora sunt, ijs, quæ ab alio tantum ad esse progrediuntur. Vel enim nihil est per se subsistens, vel ipsum bonum, tale est; vel prima ab ipso bono subsistentia. Verum si nihil per se subsistit, in nullo sufficiens erit reuera, neque enim in bono; præstantius enim sufficientia illud est, vnum existens, & ipsum bonum, sed non habens bonum. Neque in ijs quæ post bonum. Omnia enim alius indiga erunt, eius quod ante ipsum solum. Si vero ipsum bonum per se subsistit, ipsum se ipsum producens, non vnum erit. Quod enim ab vno progreditur, non est vnum. A se ipso enim progreditur, siquidem per se subsistit, Itaque vnum simul, & non vnum, ipsum vnum. Necesse ergo, per se subsistens esse post primum. Et clarum, quòd ante ea, quæ ab alia causa solum progrediuntur. Principalius enim quam illa, & ipsi bono cognatius, vt demonstratum est.

PROPOSITIO OCTAVA sexti Capitis.

Omne à pluribus causis productum, compositius est, eo quod à paucioribus producitur.

DEMONSTRATIO.

SI enim omnis causa, aliquid dat ei quod à se prouenit, *per propositionem primam quinti;*

plures causæ, plures facient dationes; pauciores vero, pauciores. Itaque etiam participantia, alia ex pluribus erunt, alia ex paucioribus, ijs quæ vtraque participarunt. Hæc quidem ob progressum ex pluribus causis, hæc vero ob progressum à paucioribus. Ea vero ex pluribus compositiora. Quæ autem ex paucioribus, simpliciora ijs ipsis. Omne ergo à pluribus causis productum, compositius est. Quod verò à paucioribus simplicius. Quod enim alterum participat, etiam alterum, sed non è conuerso.

PROPOSITIO NONA sexti Capitis.

Omne perfectum in proles progreditur, quas ipsum producere potest, imitans vnum vniuersorum principium.

DEMONSTRATIO.

VT enim illud ob ipsius bonitatem, omnium entium vniformiter constitutiuum est. Idem enim est ipsum bonum, & ipsum vnum. Ita vt boniforme, & vniforme idem. Sic & ea quæ sunt post ipsum, ob propriam perfectionem alia generare properant, imminuta ab ipsorum essentia. Quæ perfectio, boni ipsius portio quædam est. Et perfectum, quatenus perfectum, imitatur ipsum

bonum. Hoc vero omnium erat conſtitutiuum. Itaque & perfectum, eorum quæ poteſt, productiuum eſt ſecundum naturam, & perfectius. Quanto ſane fuerit perfectius, tanto eſt plurium cauſa. Perfectius namque magis boni ipſius particeps eſt. Hoc vero propinquius bono, hoc autem cognatius cauſæ vniuerſorum, hæc vero plurium cauſa. Imperfectius autem, quanto imperfectius fuerit, tanto pauciorum eſt cauſa, *per propoſitionem octauam ſexti.* Longinquius enim exiſtens à producente omnia, pauciorum eſt procreatiuum. Omnia enim procreare, vel ornare, vel perficere, vel continere, vel viuificare, vel efficere, & ſingula horum in pluribus facere, illi eſt cognatum. In paucioribus vero ſi id fiat alienum magis.

DE SECVNDA HVIVS Hylæ modificatione, nempe diſtinctione diſtributiua in quatuor ordines pulchritudinis, videlicet Mentis, Animæ, Naturę, & Materiæ eſſentiam.

CAPVT VII.

ZOROASTER & veteres ſapientiæ cultores, quatuor ſtatuebant cogni-

tionis species, Sensum, Imaginationem, Rationem, Intellectum, quasi quatuor radios ex quatuor circulis vndique promanantes, nempe intelligibilium, cogitabilium, imaginabilium, & visibilium. Quæ dici possunt Mentis, Animæ, Naturæ, & Materiæ, ab vnico centro radialiter continuo profluentes & circa vnum centrum perpetuo circumuolantes. In hoc bonitatem veteres, in circumferentia pulchritudinem collocabant. Deum centrum, circulos vero Mentem, Animam, Naturam, & Materiam vocabant. Centrum autem circuli punctum est vnum stabile, indiuisibile, vnde lineæ multæ diuiduæ mobiles, ad earum similem circumferentiam deducuntur, quæ sanè circumferentia diuisibilis circa centrum quasi cardinem voluitur. Atque ea est centri natura, vt licet vnum, indiuiduum, immobile sit: in multis tamen, imo in omnibus lineis diuiduis & mobilibus, vbique reperiatur; & vt vbique est in linea punctum, sic medium huiusmodi punctum singulæ sui quodam puncto vno, simplici & immobili coguntur attingere. Deum autem centrum omnium nominari quid vetat, quum omnibus insit vnus, simplex atq; immobilis? Cuncta vero ab ipso producta, multa, composita, & mobilia sunt, atque vt ab eo manant, ita in eum instar linearum & circumferentiæ refluunt. Ita Mens, Anima, Natura & Materia procedentes à Deo, in eundem redire in-

guemur, & vndique pro viribus ad illum circumferuntur. Atque vt centri punctum vbique in lineis & in toto circulo reperitur, perque punctum suum singulæ lineæ medium circuli tangunt punctum: ita Deus omnium centrum, qui vnitas simplicissima est actusq; purissimus, se se inserit vniuersis. Non quia cunctis præsens est, verum quia omnibus à se creatis partem aliquam intimam indidit, quæ rerum vnitas nominatur. Quapropter quatuor ista non iniuria circuli quatuor appellantur, qui circa Deum continuò voluuntur, hoc est circa immobilem vnitatem. Deus enim quid aliud quam ipsa vnitas? Vnitas autem status ipsius est fundamentum. Quia sicut in multitudinem motus progreditur, sic stare dicitur, quod vnum in ea continuè habitum ita possidet, vt ab eius naturæ vnitate non discedat. Fundamentum vero status quis dixerit esse mutabile? Hoc ipsum confirmatur argumentatione numeri Pythagorici: Quicquid (inquit) secundum præteritum futurumque mutatur, priuationem quandam habet admixtam: futurum enim nondum est, preteritum non amplius est In Deo autem, quum ipse sit primum ens, actusque summus, nulla est priuatio; est igitur immutabilis & immobilis. Sic Angelus quoque est immobilis, quoniam à Deo totius bonitatis fonte, bonum per seipsum haurit absque medio, & vno æternitatis puncto impletur, ac inde per-

manet semper bonitate plenissimus. Quoniam vero omnis effectus extra causam suam productus, aliquid causæ seruat & inferior euadit quam causa, ideo Angelus proximè Deo creatus, aliquid Dei seruat & amittit aliquid. Deus quidem vnitatem habet & statum. Retinere vtrumque non potest Angelus, esset enim Deus ipse, non Angelus: neque amittit vtrumque, ne proximum ac primum Dei opus euadat opifici dissimillimum. Quid ergo? Vnitatem solam, an statum retinebit? Solam vnitatem nequit absque statu: vnitas enim ipsa prorsus est immobilis. Itaque retinebit statum, sed à simplici decidet vnitate, vt Angelus sit immobilis multitudo. Neque iniuria multitudinem Angelo assignamus, quia si esset perfecta & absolutissima vnitas, esset summa & indeterminata potestas. Siquidem virtus in vnitate consistit, & indeterminata potestas, vnus ipse est Deus. Est igitur Angelus multitudo, cum constet ex pluribus; Multitudo (inquam) immobilis. In illo certè, Deo inferior est, quod non est vera vnitas sicut Deus. In hoc propinquat, quod est fermè (vt ita loquar) sicut Deus, immobilis. Rectè igitur post Deũ, immobilem vnitatem ponitur Angelus, immobilis multitudo: post Angelum Anima, quæ longius etiam distat à Deo, quia est mobilis multitudo. Multitudo quidem est, cum nihil post Deum esse queat vnitas simplicissi-

ma. Est quodammodo mobilis, quia longius recedens à Deo, propinqua fit corporum qualitatibus, quæ penitus agitantur. Si Anima omnino immobilis esset, esset vtique Angelus. Si omnino mobilis esset qualitas, tunc non daretur medium inter Angelum, & corporum qualitates: & Angelus immobilis omnino mobili qualitati esset proximus. Si itaque Anima partim etiam mobilis, stabit eius substantia, neque in maius minusve, aut hoc, aut illud mutabitur. Fluet autem operatio modo hæc, modo illa, atque àliter & aliter operabitur. Qualitas autem Animæ est inferior, quandoquidem per essentiam operationemque mutatur; qualitate autem inferius corpus; qualitas enim mouetur & mouet, mouet enim corpora; corpus mouetur quidem, sed nihil mouet. Angelus quidem, quod sit vnum quoddam & quod sit actus, non à se ipso habet, sed à Deo verè vno, actuque purissimo. Sed quod sit multiplex, per potentiam suscipiendi & patiendi habet ex se ipso, quantum extra Deum productus à productoris perfectione degenerat. Multitudo igitur naturalis est Angelo. Anima quoque quod per essentiam, non à seipsa, sed à Deo sortitur actu vno & stabilissimo. Quod vero multiplex sit & passiua, ex seipsa possidet, quia sub Deo locatur. Quod denique mobilis, ex se ipsa rursus, quia sub Angelo. Sicut igitur vnitas naturalis est Deo, & Angelo

multitudo, ita motus naturalis est animæ. LVX DEI producit Angelum, sub Dei scilicet vmbra. Lux Dei vno actu Animam sub vmbra producit Angeli. Angelus à Dei vno actu vnitatem stabilem adipiscitur, sub Dei vmbra cadit in multitudinem: Anima Dei luce statum nanciscitur, sub vmbra Dei multitudinem, sub Angeli vmbra mutationem. Fons vnitatis DEVS, fons motionis est Anima. DEVS per seipsum vnitas, Angelus per Deum est vnus, per se multiplex. Anima per Deum vna, per Dei vmbram, id est, quia sub idea est simul cum Angelo, multiplex. Per se ipsam mobilis qualitas, per superiora habet vt moueat aliquid, per se habet vt materiæ misceatur. Corpus per qualitatem habet vt agat, per se solum vt patiatur. Qualitas vno gradu excedit corp⁹, quod mouet ipsum. Vno saltem cedit animæ, quod mouetur ab illa. Anima saltem vno excedit qualitatem, quod ex se ipsa mouetur. Vno cedit Angelo, quod mutatur. Angelus Animam excedit vno, quod manet. Deo cedit vno, quod multiplex est. Deus tamen per hoc vnum abit in infinitum super omnia.

DEFINITIONES, DIVISIONES & pronuntiata.

1. *Perfectio est modus entis, quo ipsi nihil deesse intelligitur.*

Perfectio talis est vel simpliciter, ut Deus; vel in suo genere, ut aurum.

Perfectio est prima, qua res habet omnia pertinentia ad primum momentum, siue ad essentiam. Alias dicitur perfectio essentialis, ut Angeli perfectio, est intelligibilitas.

Secunda qua res habet omnia ad secundum momentum, vel ad existentiam, ut forma numerica Socratis.

Defin. 2.

Pulchritudo est modus entis, quo illud venustatis particeps esse intelligitur.

Pulchritudo alia increata, ut Deus; alia creata, ut opera Dei.

Alia est vera, alia apparens; alia transcendentalis & corporea, quæ oritur ex conuenientia entis cum intellectu & voluntate, vnde ortum habere dicitur ex vnitate, veritate, bonitate, numero, ordine & perfectione.

Alia corporea, & dicitur qualitas corporis, orta ex situ & temperie conuenienti.

Pron. 1.

Pulchritudinis cognitio est magnetica, hoc est attractiua, allicit enim ad se cognoscentes appetitu

possidendi, unde amor.

2. *Cognoscere res, est possidere in intellectu. Virtus cognoscens distinguitur in Sensus, in Rationem & Intellectum, quibus tres gradus Naturæ desiderantis annectuntur, Appetitus, electio & voluntas.*

Ens, unum, verum, bonum, idem sunt. Tamen alia est entis ratio, ut ens est; alia ut unum, verum, bonum.

Sic una res Intellectus, Anima, & Voluntas. Anima tamen essentiam dicit. Intellectus ea est ipsa essentia, ut apprehendit. Voluntas est idem, ac illa essentia intelligens, atque extendens se ad illam rem potiundam.

3. *Pulchritudo est flos bonitatis seu summi boni splendor, fulgens quasi circulus quidam Diuinæ lucis, à bono manans, in bono residens, per bonum & ad bonum sempiternus reflexus.*

4. *Pulchrum verò dici potest viuificus actus, à primo bonorum fonte effluens, Mentem primo diuinarum idearum ordine decorans, Numina deinde sequentia Mentesque rationum serie complens, Animas numerosis discursibus ornans, Naturas seminibus, & Materiam denique formis.*

5. *Boni pulchrique proprium est appetitum allicere.*

Aliud est pulchrum simpliciter seu absolutum, vt Deus; aliud est secundum quid, aut respectiuè, id est cuipiam, alicubi, aliquando, aliqua ex parte. Ad hoc mouemur propter unionis appetitum, qui excitatur à Naturæ similitudine manifesta vel occulta,

Pulchritudinem sequitur amor.

6. Amor est affectus vnionis, cuius causa est species siue actus aut repræsentatio & forma, quæ accedit animo, vt in eo creet dispositionem vnionis. Dispositionem sequitur appetitus.

7. Appetitus est motus & necessaria quædam Naturæ inclinatio ab indigentia, quædam amittens ad plenitudinem.

8. Motus vero est transitus quidam de alio in aliud, & proinde amor perenni nexu per appetitum nectit extrema, pulchrum deformi, inferiora superioribus: superiora, quæ ad ascensum trahunt; media, quæ ad circuitum ducunt: infima, quæ ad descensus animos vellunt. Quorum ordinum sunt Essentia, Pulchritudo, & amor medius, Intellectus, Phantasia, & Ratio media, lux aut formarum origo, & caligo siue Materia, & spiritus vniuersi vinculum. Virtutem denique cælestem & elementarem media ætherea vis nectit.

Theor. 1.

Tanto vnumquodque perfectius esse cognoscitur, quanto est simplicius.

Theor. 2.

Id perfectius est quod plura potest.

Theor. 3.

Quo quid perfectius est, eo magis est ens, magisque intelligibile ex se.

Theor. 4.

Primo cognoscimus antequam desideremus.

EXERCITATIONES hic variæ

excogitari possunt, quas ingenuo lectori & huius doctrinæ studioso, ne in immensum excrescat hoc opus, lubens & volens relinquo. Satis sit mihi desiderio pulchri incitato, vt quod non potuerim, publico bono voluisse tamen quiuis intelligat. Erunt enim fœcunda ætatis huius ingenia, quæ vbi hæc nostra artis tam præclaræ primordia prægustarint, eiusdem quoque fructum plenius percipere gestient: accensaq; laudis cupidine, studioq; communis boni, rudem hanc penitus & impolitam Machinam vel denuo exstruant, vel accuratius elaborent.

PROPOSITIO PRIMA septimi Capitis.

Omne quod in alio est, ab alio tantum producitur. Omne autem in se existens, per se subsistens est.

DEMONSTRATIO.

QVod enim in alio est, & subiecto indiget, sui ipsius progenerans nunquam fuerit. Quod enim natum est se ipsum gignere, sede alia non indiget, cum à se contineatur, & in se seruetur, à superiore seorsum. Quod vero in se, manere, & stare potest, sui ipsius

ipſius eſt productiuum. Ipſum in ſeipſum progrediens, & ſui ipſius contentiuum exiſtens. Atque ita in ſeipſo exiſtens, vt in cauſa cauſatum, vt probatum fuit *per propoſitionem ſextam quarti*. Non enim vt in loco, neque in ſubiecto. Etenim locus, ab eo quod in loco, aliud eſt; & à ſubiecto, id quod in ſubiecto eſt. Hoc vero ſibi ipſi, idem. Per ſe enim ſubſiſtens, & vt in cauſa, id quod à cauſa, ita in ſe ipſo eſt.

PROPOSITIO SECVNDA ſeptimi Capitis.

Omne per ſe ſubſiſtens, incorruptibile eſt.

DEMONSTRATIO.

SI enim corrumpetur, relinquet ſe, & erit à ſe ipſo ſeorſum. Sed hoc impoſſibile. Vnum enim exiſtens, ſimul & cauſa eſt, & cauſatum. Omne autem quod corrumpitur, diſcedens à ſua cauſa corrumpitur. In quantum etenim exit ab eo quod ipſum continet, & ſeruat, vnumquodque continetur, & ſeruatur. Numquam autem relinquit cauſam; id quod per ſe ſubſiſtit. Siquidem ſe ipſum non relinquit. Cauſa enim ipſum, ſibi ipſi eſt.

Incorruptibile ergo est, omne per se subsistens.

PROPOSITIO TERTIA septimi Capitis.

Omne per se subsistens impartile est, & simplex.

DEMONSTRATIO.

NAm si partibile sit, quod per se subsistit, constituit & partibile seipsum, & totum conuertetur ad se, & omne in omni se erit: hoc vero impossibile. Impartile ergo est, quod per se subsistens est. Sed enim etiam simplex. Nam si compositum est; erit in ipso, hoc quidem peius, illud autem melius; & melius ex peiore erit, & peius ex meliore, si modò totum à toto seipso progreditur. Ad hæc non sufficiens, cum indigum sit sui ipsius elementorum, ex quibus constat. Simplex ergo est omne, quod per se subsistens fuerit.

PROPOSITIO QVARTA septimi Capitis.

Omnis plurium causa, præstantior est, eo quod ad pauciora potentiam est sortitum, & partes producit, quarum alterum totorum seu vniuersorum est productiuum.

DEMONSTRATIO.

SI enim hoc quidem pauciorum, illud vero plurium causa est, partes vero sunt aliorum aliæ: quæ alterum facit, etiam reliquum faciet, id nempe quod plurium est productiuum. Quæ vero hoc producit, ea non omnia, illud producet. Potentius ergo, & plurium comprehensiuum. Vt enim productum ad productum, ita producens ad producens ad invicem sumpta. Plus vero potens, maiorem potentiam habet, & vniuersaliorem. Hoc vero vicinius est causæ omnium, *per octauam sexti*. Quod vero vicinius, huic magis est bonum, siquidem ipsa, bonum ipsum est. Plurium ergo causa, secundum essentiam præstantius existit eo, quod pauciora producit.

PROPOSITIO QVINTA septimi Capitis.

Omnis multitudo vicinior vni existens, quantitate quidem est longinquioribus minor, potentia autem maior.

DEMONSTRATIO.

SImile enim magis est vni, id quod vicinius est. Vnum enim omnium erat constitutiuum immultiplicanter. Similius ergo ipsi, plurium causa existit. Siquidem illud omnium vniformius erit, *per octauam sexti*; & impartibilius, si illud erit vnum. Sicuti ergo vni, quod minus multiplicatum est, magis cognatum est. Ita omnium causæ cognatius, quod plurium est productiuum, *per propositionem quartam septimi*. Hoc autem potentius est.

DE AMORIS ORTV, eiusque in quadruplicis essentiæ Chao effluxu.

CAPVT VIII.

HAVD citius immensæ bonitatis splendor seu pulchritudo per rerum facien-

darum ideas in essentia mentis Angelicæ foras emicuit, quum adhuc recens nata & quasi imperfecta incepit amor paulatim nasci, amor (inquam) hoc est desiderium obtinendæ huius perfectionis in mente Angelica, quam prius aliquatenus obtinere videbatur. Cuius lenociniis stimulata mens, ad Deum, vt sui originem, conuertitur, vt perfectionem huius idealis pulchritudinis obtineret, quam quum ab ipso perfectè assequuta fuisset, accreuit Venus seu pulchritudo, & in maturam ætatem prouecta apparuit.

Triplex ergo natura in prima rerum creatione apparuit: bonitatis in rerum creatione, pulchritudinis in attractione, & amoris in perfectione. Quod autem ad bonitatis & pulchritudinis in rebus naturam attinet, videmus internam perfectionem producere externam: illam vt bonitatem, hanc vero vt pulchritudinem nominamus. Quum autem pulchritudo consistat in rebus visibilibus, duoque visus sint, vnus corporeus, alter intellectualis; erunt similiter & duo obiecta visibilia, & per consequens duæ pulchritudines, nempe pulchritudo intellectualis, quæ dicitur Venus cœlestis; secunda antiquior & absque matre nata, Cœlii filia, quæ & in ideis viget, estq; intellectus obiectũ: tum pulchritudo corporea, quæ Venus vulgaris nominatur, iunior, Iouis & Diones filia, quæ colores pro visus obiecto habet. Quumque amor

sit desiderium pulchri, necessario eueniet tot esse debere amores, quot Veneres: amoremque Veneri successisse Pausanias *in conuiuio*, vt pulchre refert Ficinus, affirmat, amoremq; esse Veneris comitem, duasque Veneres duobus amoribus associatas meminit. Vna Venus est cœlestis, vt dictum est, altera vulgaris. Platonici Deum nominant Cœlium, quia sicuti cœlum continet omnia alia corpora, ita Deus comprehendit omnes spiritus: diuersisque nominibus insigniunt Angelicam mentem, quandoque Saturnum, aliquando Iouem, alias Venerem nominant. Quia Mens Angelica est, viuit, & intelligit, essentiam eius Saturnum vocant: vitam autem Iouem: Intelligentiam Venerem. Præterea vocant Animam mundi, similiter Saturnum, Iouem, & Venerem. Quatenus superiora intelligit, dicitur Saturnus: quatenus mouet cœlestia, Iupiter: quatenus inferiora generat, Venus. Prima Venus, quam diximus esse in mente Angelica, dicitur nasci à Cælio absque matre: quia materia à Physicis dicitur mater, sicut & hæc mens longe à materia corporea distat: Secunda Venus, quæ in anima mundi ponitur, est ex Ioue & Dione; ex Ioue, hoc est ex ea virtute animæ mundanæ, quæ cælestia mouet, quia talis virtus creauit potentiam illam quæ inferiora generat. Dicunt præterea hanc Venerem matrem habere, quia ipsa animæ mundi infusa videtur associare mate-

riam. Constat ergo duas esse Veneres: vnam in mente Angelica; alteram in vi generandi quæ est in anima mundi. Vtraque simili amori adiungitur. Prima namque per amorem naturalem rapitur in considerationem pulchritudinis Diuinæ. Secunda rapitur per amorem in creationem pulchritudinis Diuinæ in corporibus. Prima in se comprehendit splendorem Diuinum, deinde influit in secundam Venerem; & secunda hæc transfundit scintillas splendoris recepti in mundi materiam. Per huius splendoris scintillarum præsentiam, omnia corpora totius vniuersi secundum illorum capacitatem resultant & pulchra fiunt. Anima humana hanc pulchritudinem per visum concipit, & hæc anima duas habet potestates. Potestatem quippè tũ cognoscendi, tum generandi. Duæ hæ potestates sunt in nobis duæ Veneres, quæ duobus stipantur amoribus. Nam cum pulchritudo humani corporis se se aspectui obijcit, mens nostra, quæ in nobis est prima Venus, colit & amat hanc Venerem, sicut Diuinam imaginem & ornamentum eiusdem, & ad eam vt plurimum tendit. Præterea potestas generandi, quæ est secunda Venus in nobis, appetit generare formam sibi similem. Ergo amor in vtroque harum potestatum commercio reperitur. Qui in prima est, desiderium contemplandi: in secunda vero pulchritudinis, generandi dicitur. Quod autem ad

amoris originem attinet, dicam quod quondam reuelauit Diotoma Socrati, natum amorem scilicet ex Pori congressu cum Penia in natalibus Veneris. Cuius allegoriæ summa est; in abundantia & indigentia rationem amoris optimè collocari. Nam cum ob Veneris natiuitatem conuiuarentur Dij, & inter alios πόρος opulentiæ Deus, μήτιδος consilij aut prouidentiæ filius, cum cœnati essent, Penia seu paupertas cibum petitura, accessit & pro foribus stetit. Porus prouidentiæ filius nectare inebriatus, (vinum enim adhuc non erat) in Iouis virgultum ingressus, grauatus dormiuit. At paupertas cum ob inopiam consilium excogitasset, quomodo ex insidiis filium ex sensu conciperet, cum ipso concubuit, & amorem concepit, quapropter etiam Veneris comes est & minister, natus in illius natali celebritate.

Totius autem huius allegoriæ vis latet in mundi creationis progressu. Cuius origo, vt hactenus dictum est, à Deo progressa in mundi huius sensibilis imaginem terminatur.

Primò ergo considerandum, Deum esse increatum, omniaque creasse, initium faciendo à natura informi, quæ quidem à Deo formata constituit naturam Angelicam. Quæ natura nihil aliud est, quam idearum omnium in natura informi mirabilis influentia, pulchritudinis primam præ se ferens rationem.

Hæ ideæ in naturam informem ipsi omnino contrariam impositæ, ipsam formant. Sed quantum à priore sede & natura degenerant, tantum imperfectiores deprehenduntur. Angelica igitur mens in se habet idearum pulchritudinem. Sed propter opacitatem suæ substantiæ tenebrosam, obscuram & imperfectam; prima vice non perficitur, vnde accidit necessario desiderium obtinendi idearum perfectionem, quod quum sit desiderium pulchri, rectè amor dici potest. Qui quidem amor, nisi ideæ in Angelis essent, aut si perfectè in ipsis existerent, nunquam nasceretur: res enim desiderata partim possidetur, partim non. Sic creatura intellectualis, nisi esset omnino ante rem amatam, nunquam inter ipsas esset similitudo, quæ amoris causa est.

Amor ergo hic nascitur ex Poro & Penia. Porus enim prouidentiæ filius, nectare inebriatus se se coniunxit Peniæ in virgulto Iouis, ex quo natus est Amor in natiuitate Veneris. Hoc est, quum mens Angelica & anima mundi, quas duas Veneres nominauimus, nascerentur ex Diuina majestate, Dij in conuiuio erant, nempe Cælius, Saturnus & Iupiter, iamque nutriebantur propria esca. Hoc est, quum intelligentia in mente Angelica, & generandi virtus in anima mundi, quas Veneres nominamus, nascerentur, hactenus fuit Deus supremus, quem Cælium voca-

mus. Similiter essentia & vita in Angelica, quas Saturnum & Iouem nominamus. Eodem pacto in anima mundi fuit cognitio rerum supernarum & agitatio cælestium corporum, quas etiam Saturnum & Iouem nominamus. Per virgultum Iouis intelligimus fœcunditatem vitæ Angelicæ, in quam cum Porus, hoc est radius Diuinæ maiestatis descendit, coniungitur Peniæ, hoc est paupertati, quæ primo in Angelo fuit, ibique amorem creat. Vnde fit vt Angelus per Deum sit & viuat. Et quatenus essentia & vita fruitur, nominatur Saturnus & Iupiter. Habet præterea potentiam intelligendi, quæ etiam Venus dicitur.

Hæc potentia nisi à Deo illuminetur, sua natura est informis & obscura, non secus ac oculi virtus, antequam ipsi lumen Solis accesserit. Hanc obscuritatem Peniam vocamus, quasi luminis paupertatem & indigentiam.

Sed hæc intelligendi virtus per instinctum suum proprium reflectitur in patrem, & ab eo radium Diuinæ intelligentiæ recipit, qui Porus siue abundantia dicitur: in quo, non secus ac in semine, includitur omnium rerum causa. Per splendorem huius radii incenditur instinctus naturalis, & fit inflammatio & ardor, qui nascitur ex prioris obscuritate, & scintilla superinfluxa.

Amor est natus ex paupertate & abundan-

tia. Nascitur in virgulto Iouis, hoc est in vmbra vitæ: illico enim sub vitæ vigore nascitur ardens intelligendi desiderium. Porus autem introducitur ebrius nectare, quia titubat transcendendo per rorem Diuinæ viuacitatis.

Sed dices, quare fingitur amor partim diues, partim pauper? Resp. Diues, quia numquam desideramus nisi cognita: at cognoscere res, est easdem aliquo pacto possidere. Desiderium enim non nisi circa res cognitas desideranti versatur, & natura constituit vt omni naturæ cognoscenti adiungeretur virtus appetitiua, quæ quidem amat & simul amplectitur ea quæ noscit sibi vtilia, reijcit autem inutilia. Sed sua natura semper appetitus tendit in bonum, siue illud sit apparens, siue verum. Neque vnquam decipitur, nisi specie veri. Hinc sequitur, virtuti omni desideranti coniunctam esse proprietatem communem, quæ est, quod semper desiderans fruitur aliquatenus re desiderata, aliquatenus non: nam si omnino priuaretur re desiderata, tunc non appeteret. Quod probatur duobus modis.

Primo, quia non desideramus nisi post cognitionem: nullus enim desiderat incognita. In anima enim imprimuntur notæ quædam rerum, antequam eas anima appetat: per quas, quasi per formas exemplares omnium rerum, anima iudicat esse appetitu dignas. Hoc probatur exemplo famis, aut sitis. Qui

siti premitur, liquoris familiaris speciem animo concipiens, cognoscit liquorem sibi profuturum. Huius imaginationis comes indiuiduus est appetitus, & talis imaginatio appetitu iam formata sitis est. Huic imaginationi idem est liquor desideratus. Quia species quæ imaginationem formauit, liquoris propria est: & liquor talis eorum imaginationis officio satisfacere potest. Sic anima sentiens, non appetit cibum aut potum, neque vnquam potiretur, nisi in se haberet notam aliquam, per quam talia appeteret, & cognosceret, hanc rem sibi profuturam. Ergo anima cognoscendo appetit, non incognitum quid, sed perfectionem eius, cuius partem tamen in anima possidet. Vnde liquet, cognoscere res, esse easdem aliquo modo possidere. Præterea cognoscere res est easdem intelligere. Intelligentia autem omnis quum sit plena formis, merito dicimus possidere quæ intelligimus. Vnde fit, vt Aristoteles asserit, animam nostram omnia habere, quoniam omnia intelligit.

Secundus modus, quia est semper inter desiderantem, & rem desideratam, magna conuenientia & similitudo. Omne enim simile conseruatur & gaudet illo quod simile est; & è contra; contristatur, dolet, corrumpitur per illud quod sibi est dissimile. Ex quo necessario accidit, naturam rei desideratæ reperiri aliquo pacto in re desiderante, alioqui inter tales

res nulla eſſet ſimilitudo. Neque omnino ſunt ſimiles, quia vanum eſſet quærere, quod iam omnino poſſidemus. Deſiderium igitur ſequitur cognitionem.

Virtus autem cognoſcens in gradu triplici diſtinguitur in ſenſus, in rationem, & intellectum. His annectuntur tres gradus naturæ deſiderantis, qui dici poſſunt appetitus, electio, & voluntas. Appetitus ſenſus ſequitur, electio rationem, & voluntas intellectum. Appetitus eſt in brutis, electio in hominibus, voluntas in Angelis. Et ſicut ſenſus non cognoſcit niſi res corporeas & ſenſibiles, ſic appetitus non deſiderat niſi res corporeas & ſenſibiles. Et ſicut intellectus Angelicus reſpicit tantum ſpiritualia & ſuperiora, eaque contemplatur, neque vnquam inclinat ad materialia, niſi quantum à materia liberata aut exempta reperiuntur, aut niſi ſpiritualia euaſerint: ſic voluntas Angelica paſcitur tantum rebus ſpiritualibus. Et vt natura rationalis vtriuſque medium verſus vtramque ſortem inclinans, nunc verſus intellectum, iam ad corpus aut naturam & ſenſus: ſic electio animæ rationalis vtriuſque deſiderio complacens, iam huic, nunc iſti annectitur.

Ex quibus omnibus concludi poteſt, quod quoties res deſiderata eſt corporea & ſenſibilis, oportet vt natura deſiderans ſit, aut appetitus, ſenſus ſubſequens, aut electio rationis,

inclinans versus sensus. Sed quoties res est spiritualis & incorporea, oportet vt sit aut voluntas intellectualis & Angelica, aliaque electio rationis, eleuata ad sublimitatem intellectus.

Tres ergo rerum gradus in natura considerantur, supremi, medij, & infimi. Supremi sunt superiorum opera, res mediæ æqualem habent naturam. Causæ amant opera, sicut illarum partes & imagines: opera appetunt causas vt conseruatrices, res æquales reciprocum adferunt amorem vt vnius corporis membra. Quocirca Deus beneuolentia maxima Angelos gubernat, Angeli cum Deo animas, animæ cum Angelis corpora. Per amorem naturalem & mutuum agunt, similia appetūt, ignis ignem, aër aërem, aqua aquā, terra terram, Sal, Sulphur, Mercurius; Salem, Sulphur & Mercurium. Præterea species omnes animalium cognoscunt & appetunt suam speciem mutua beneuolentia. Amor enim non tantum rerum causa est, sed rerum causas concomitatur. Nectit suprema infimis; bonum pulchro, manifestat occulta. Per hunc vniuersi opifex in mundi creatione quasi parturiens sese aperuit, opusque mundi ex mente, velut quadam matrice, prius occultum, quadam sui extensione manifestum fecit. Et quamuis ante mundi creationem sibi tantum luxit, tamen in mundi creatione per amorem lucem omnibus creatis imperti-

uit. Hæc autem lux vndique diffusa speciem omnium rerum repræsentans pulcherrima enituit. Pulchritudo autem quid aliud, quã Diuinæ bonitatis superabundantis radius, cuius radij infusio in mentes Angelicas primũ, deinde in Animas, Naturam, & Materiam, amorem procreat, per quem species omnium rerum in Mente, Animis, Natura, & Materia, depinguntur. Picturæ hæ in Angelis dicuntur ideæ & exemplaria, in Animis ratio, in Natura semina, in Materia mundi forma & imago. Species hæ primo ordine, vt proximo, euidenter relucent: in secundo & tertio, vt remotiori obscurius: in quarto, vt omnium remotissimo, obscurissimè. Mens enim Angelica compedibus corporum haud impedita, in se reflectitur, vbique vultum Diuinum contemplatur, contemplando miratur, mirandoque feruentissimo ardore Deo vnitur, vnita capit species, easque inferioribus ordinibus communicat. Hæc ergo Diuina species, nempe pulchritudo, in omnibus amorem procreat, hoc est pulchri desiderium.

A bonitate igitur pulchrum, à pulchritudine amor, de quo Orpheus, antiquissimus vates, Theologiam Mercurij Trismegisti imitatus, dum rerum principia suauissimo lyræ cantu resonaret coram Chirone & Heroïbus, hoc est hominibus Angelicis, vt pulchrè admodum refert doctissimus Ficinus, dum Chaos ante mundum constituebat, ante Sa-

turnum, Iouem & cæteros Deos, in ſinu eiuſdem Chaos amorem plantauit, aſſerendo amorem fuiſſe antiquiſſimum, ex ſe perfectiſſimum, & magni conſilij. Heſiodus, Parmenides, Pythagoras, multique alij veteres Philoſophi cum Orpheo ipſo & Triſmegiſto conſentiunt. Plato ſimiliter *in Timæo* deſcribit Chaos, in eóque amorem collocat. Platonici appellant Chaos mundum informem: aiuntque mundum eſſe Chaos forma depicta. Et vt quatuor concipi poſſunt mundi, ſimiliter & totidem Chaos. Ante omnia fuit Deus, omnium author, quem vocamus bonum. Et pro mundis Deus primo mentem Angelicam, ſecundo animam, tertio naturam, quarto corpus vniuerſi creauit. Et in hiſce mundis quatuor Chaos conſiderantur. Principio Deus creauit ſubſtantiam mentis Angelicæ.

Hæc primo creationis momento abſque forma fuit & tenebroſa. Sed quia ex Deo nata, per appetitum quendam innatum reflectitur in Deum ſuum principium: reflexa in Deum illius radio illuſtratur, & ſplẽdore talis radij flagrat & exardeſcit. Eius appetitus flagraſcens Deo appropinquat, & recipit formas & ideas rerum. Nam Deus, qui in mente ſibi coniuncta omnia poteſt, omnium rerum creãdarum naturas in ipſa inſcribit. In hac igitur ſpiritualiter depinguntur omnia quæ in hoc vniuerſo reperiuntur. In ipſa verò mente

ſunt

sunt Sphæræ cælorum & Elementorum, in ipsa planetæ & stellæ, ibi natura vaporum, in ipsa formæ omnes, animalia, vegetabilia, & mineralia reperiuntur. Quis igitur dubitat, species istas rerum omnium, per auxilium Diuinum receptas, in hac mente supernaturali non esse ideas?

Sed antequam mens Angelica accepisset perfectè à Deo rerum ideas, illi adhæsit: & priusquam ipsi adhæreret, iam conflagrabat eius appetitus vt ipsi adnecteretur: & priusquam exardesceret appetitus, recepit radium Diuinum: & antequam eiusmodi splendoris capax deprehenderetur, appetitus eius naturalis fuit iam versus Deum suum principium conuersus: & priusquam ab eo recessisset, essentia eius fuit informis & tenebrosa. Cuius essentia cum omni forma destituebatur, verè nominari Chaos poterat. Primus eius à Deo reditus amoris erit ortus. Infusio Diuini radij, erit amoris nutrimentum. Conflagratio subsequens dici potest amoris incrementum. Appropinquatio ad Deum, amoris impetus. Formatio eius amoris, perfectio, tum vnio & recollectio omnium formarum & idearum, vnde extitit pulcher hic mundus, quem Græci *Cosmon*, hoc est ornamentum appellant. Sed gratia huius mundi & ornamenti, est pulchritudo, ad quam, quamprimū natus fuit amor, se se recepit illico. Quæ quanquam per se primo deformis, sua ope

tamen pulchra extitit. Talis ergo est amoris natura, vt rapiat res omnes ad pulchritudinem, & vt nectat deformia pulchris. Quis ergo dixerit amorem subito non insequutum fuisse Chaos, & ante ipsum mundum non extitisse, vt antiquissimum & perfectissimum? Imo in quadruplici mũdo quadruplex Chaos, in quadruplici Chao quadruplex reperitur Amor. Nam quum oriebatur ipsa Angelica mens, in ipsis incunabulis & adhuc informis, per amorem conuersa ad Deum, illico Diuini radij splendore informatur, vnde primus amoris gradus apparuit. Similiter Anima mundi, ad Deum & mentem vnde orta est sese reflectens, quæ quamuis primo fuit Chaos & informis, tamen reflexa per amorem versus mentem Angelicam, eius formas accepit, & in mũdum progressa est, vnde secundũ Chaos & secundus amor apparuit. Haud aliter natura à Deo per animam & mentem attrahit rerum semina. Denique materia à Deo per Mentem, Animam & Naturam attrahit rerum formas. Quadruplex igitur Chaos quadruplexque amor considerantur in omnibus. Amor denique concomitatur ipsum Chaos, præcedit mundum, excitat consopita, illuminat tenebrosa, vitam mortuis impertit, format deformia, perficit imperfecta, denique stupenda quæque conficit.

PROPOSITIO PRIMA octaui Capitis.

Omne progrediens ab aliquo secundum essentiam, conuertitur ad illud, à quo progreditur.

DEMONSTRATIO.

SI enim progrediatur quidem, non conuertatur autem ad causam progressionis huius, non appeteret causam. Omne enim appetens conuersum est ad appetibile. Sed enim omne ens bonum appetit, & illius adeptio per proximam causam singulis. Appetunt ergo & sui & ipsorum causam singula. Per quod enim esse vnicuique, per hoc etiam bene esse: & per quod bene esse, ad hoc appetitus primo. Ad quod vero primũ appetitus, ad hoc & cõuersio. Omne ergo progrediẽs, &c.

PROPOSITIO SECVNDA octaui Capitis.

Omnis conuersio efficitur per similitudinem, conuertentium se, ad id, ad quod conuertitur.

DEMONSTRATIO.

OMne enim conuertens se, ad omne; se coniungere properat, & appetit com-

munionem ad illud, & colligantiam. Colligat autem omnis ſimilitudo, ſicut ſeparat diſſimilitudo, & diuidit. Conuerſio ergo, communio quædam eſt, & contactus. Omnis autem communio, & contactus omnis, per ſimilitudinem. Omnis ergo conuerſio per ſimilitudinem efficietur.

PROPOSITIO TERTIA octaui Capitis.

Omne progrediens ab aliquo & conuerſum, circularem habet actionem.

DEMONSTRATIO.

SI nempe ad id conuertitur, à quo progreditur, coniungit principio finem. Et eſt vnus & continuus motus; hic quidem à manente, hic autem ad manens factus. Quamobrem etiam omnia circulo progrediuntur à cauſis ad cauſas. Maiores vero circuli, & minores, ſi quidem conuerſiones ad proximè ſupra poſita fiant: aliæ vero ad ſuperiora, & vſque ad omnium principium. Ab illo enim omnia, & ad illud. Omne ergo progrediens ab alio.

PROPOSITIO QVARTA octaui Capitis.

Omne cauſatum & manet in ſui cauſa, & progreditur ab ipſa, & conuertitur ad ipſam.

DEMONSTRATIO.

SI enim manet ſolum, non differet à cauſa, indiſtinctum ab ea exiſtens. Simul enim cum diſtinctione, progreſſio eſt. Si autem progrediatur ſolum, inconiunctile erit ad ipſam, & aſympathes, nullatenus cum cauſa communicans. Si vero conuertatur ſolum, quomodo quod eſſentiam ab eo non habet, ſecundum eſſentiam facit conuerſionem ad alienum? Si vero manet & progreditur, non conuertatur autem, quomodo naturalis appetitus vnicuique ad bene eſſe, & ad bonum, & ad gignens intentio? Si vero progrediatur quidem & conuertatur, non maneat autem, quomodo quum diſtet à cauſa, coniungi properat ad ipſam, inconiunctile cum eſſet ante diſceſſum? Si enim coniunctum eſſet, ſecundum illud omnino maneret. Si vero maneat & conuertatur, non congrediatur autem, quomodo non ſeparatum conuerti

potest? Conuertens enim omne rediens in illud assimilatur, à quo diuisum est secundum essentiam. Necesse est autem vel manere solum, vel conuerti solum, vel progredi solum, vel colligare extrema ad inuicem, vel intermedium inter vtraque extrema, vel simul omnia. Relinquitur ergo & manere omne in causa, & progredi ab ipsa, & conuerti ad ipsam.

PROPOSITIO QVINTA octaui Capitis.

Omnium quæ secundum conuersionem subsistunt, prima imperfectiora sunt secundis, & secunda his quę deinceps. Vltima vero perfectiora.

DEMONSTRATIO.

SI enim conuersiones fiunt secundum circulum, vt demonstratum fuit *per tertiam octaui*; & à quo progressus, in hoc etiam conuersio, *per primam octaui*. A perfectissimo autem progressus, *per sextam sexti*. Conuersio ergo in perfectissimum. Atque si ad quod progressus, vltimum est, ab hoc prima conuersio. Progressus autem in vltimum, imperfectissimum, & conuersio ab imperfectissimo.

Prima ergo in ijs, quæ secundum conuersionem, imperfectissima. Vltima autem perfectissima.

PROPOSITIO SEXTA octaui Capitis.

Omne ens, vel essentialiter conuertitur solum, vel vitaliter, vel etiam cognoscenter.

DEMONSTRATIO.

Vel enim esse solum à causa possidet, vel etiam viuere cum ipso esse, vel etiam cognoscentem inde recipit potentiam. Quatenus ergo est, tantummodo essentialem facit conuersionem. Quatenus autem viuit, etiam vitalem. Quatenus vero cognoscit, etiam cognoscitiuam. Vt enim progressum est, ita conuertitur: & mensuræ conuersionis, diffinitæ sunt mensuris secundum progressum. Et appetitus ergo his quidem est, secundum ipsum esse solum, aptitudo existens ad participationem causarum. His vero etiam secundum vitam, quæ est motus ad præstantiora. His autem secundum cognitionem, sensus existens bonitatis causarum.

PROPOSITIO SEPTIMA octaui Capitis.

Omne per se subsistens, ad seipsum est conuersiuum, & è contra; omne ad se ipsum conuersiuum, per se subsistens est.

DEMONSTRATIO.

SI enim à seipso progreditur, etiam conuersionem faciet ad seipsum. A quo enim singulis progressus, & in hoc & progressui coordinata conuersio, *per quintam octaui.* Si enim progreditur à se ipso solum, non autem conuertatur progrediens in se, nunquam proprium bonum appetiuerit, & quod potest sibi ipsi præbere. Potest vero omnis causa ei quod ab ipsa est, largiri cum essentia quam dat, etiam benè esse, essentiæ quam dat coniungi. Itaque & ipsum, sibi. Hoc ergo proprium per se subsistenti bonum est. Hoc vero non appetet, quod conuertitur ad se. Non appetens autem, neque etiam assequetur, & non assequutum, imperfectum fuerit, & non sufficiens. Sed si cui alij conuenit, etiam per se subsistenti, conueniet esse sufficiens, & perfectum. Et assequetur ergo proprium, & ap

petet, & ad ſeipſum conuertetur. Et ſi conuerſum eſt ad ſe ſecundum naturam, & eſt perfectum in conuerſione ad ſe, eſſentiam quoque à ſe ipſo habebit. Ad quod enim conuerſio ſecundum naturam eſt, ab hoc etiam progreſſus eſſentialis eſt vnicuique. Si ergo ſibi bene eſſe præbet, etiam eſſe ſanè, ſibi præbebit, & erit ſui, ipſius ſubſiſtentiæ princeps. Per ſe ſubſiſtens ergo eſt id, quod à ſe poteſt conuerti. Quod fuit demonſtrandũ.

PROPOSITIO OCTAVA octaui Capitis.

Omne quod in ſe conuertitur, incorporeum eſt.

DEMONSTRATIO.

NVllum enim corporum aptum natum eſt in ſe conuerti. Si enim quod vertitur ad aliquid, coniungitur illi ad quod vertitur, clarum ſanè quod etiam partes corporis omnes, ad omnes illius coniunget, quod in ſe vertitur. Hoc enim eſt, in ſe conuerti, quando vnum, vtraque fiunt & id quod conuertitur, & id ad quod conuertitur. Impoſſibile autem eſt id in corpore, & omnino in partibilibus omnibus. Non enim totum, toti ſibi coniungitur, id quod eſt partibile,

ob partium ſeparationem, aliarum alibi ſitarum. Nullum ergo corpus in ſe conuerti natum eſt, ita vt totum conuertatur ad totum. Si quid ergo in ſe conuerſiuum eſt, incorporeum eſt & impartibile.

PROPOSITIO NONA octaui Capitis.

Omne quod in ſe conuertitur, ſeparatam habet eſſentiam ab omni corpore.

DEMONSTRATIO.

SI enim inſeparabile ſit à corpore quouis, non habebit aliquam actionem à corpore ſeparabilem. Feri enim non poteſt vt, ſi eſſentia ſit inſeparabilis à corporibus, actio ab eſſentia (manans, à corporibus) ſit ſeparabilis, ſic enim ipſa actio præſtantior eſſet ipſa eſſentia, contra illud quod demonſtratum fuit, *per propoſitionem quartam quarti.* Si quidem hæc quidem corporibus egent, illa vero ſufficiens, *per primam ſexti*; ſui ipſius ſit, & non corporum. Si ergo aliquid, ſecundum eſſentiam eſt inſeparabile, ſecundum actionem ſimiliter eſt, vel etiam magis inſeparabile. Si vero hoc, non conuertitur in ſe. Quod

enim in se conuertitur, aliud à corpore existens, actionem habet separatam à corpore, neque per corpus, neque cum corpore fit. Si quidem actio, & id ad quod actio est, nihil indiget corpore. Separabile ergo penitus à corporibus est, id quod in se conuertitur.

PROPOSITIO DECIMA octaui Capitis.

Omne se mouens primo, in se conuersiuum est.

DEMONSTRATIO.

SI enim mouet se, etiam motrix actio eius in se est, & vnum simul est mouens, & motum. Vel enim parte quidem mouet, parte vero mouetur, vel totum mouet & mouetur, vel totum quidem mouet, parte vero mouetur, vel è conuerso. Sed si pars alia est mouens, pars alia, quæ mouetur, non erit semobile per se, ex non mobilibus subsistens. Sed apparet quidem semobile, non est autem secundum essentiam tale. Si vero totum mouet, pars vero mouetur, vel è conuerso, erit aliqua pars in vtrisque, secundum vnum, simul mouens & mota, & hoc primo semobile. Si autem vnum & idem mouet, & mouetur, mouendi actionem ad se habebit, motiuum sui ipsius existens, ad quod vero agit, in id

conuersum est. Omne ergo se mouens primo, in se conuersiuum est.

PROPOSITIO VNDECIMA octaui Capitis.

Omne quod secundum actionem ad se est conuersiuum, etiam secundum essentiam conuersiuum ad se est.

DEMONSTRATIO.

SI enim actione possit conuerti ad se, essentia verò non conuersiuum existat: præstantius erit secundum actionem, quam secundum essentiam, illa conuersiua existens; hæc vero nequaquam. Sed contrarium hactenus probatum fuit, *per propositionem quartam quarti.* Quum tunc productiuum non est semper præstantius natura producti, omne ergo quod secundum actionem.

PROPOSITIO DVODECIMA octaui Capitis.

Omne sui ipsius cognoscitiuum, ad se omnino conuersiuum est.

DEMONSTRATIO.

QVod enim actu ad se conuertitur, cognoscens se ipsum manifestum est,

Vnum enim est, cognoscens & cognitum: & cognitio sui, ad se est, vt cognoscibile. Vt cognoscentis actio quædam existens, sui vero ad se, quia sui ipsius cognoscitiuum est. Sed enim quòd etiam essentia, sic actione, demonstratum est, *per propositionem vndecimam octaui.* Omne enim in agendo ad se conuersiuum, & essentiam habet ad seipsam conuertentem & in se existentem.

Nunc autem vt finem hisce rerum adûbrationibus imponã, & mysticum hunc Amoris aut cõuersionis sensum ijs qui in Philosophia veterum exercitati sunt, relinquam: addam solum, coronidis loco, doctissimi Fracastorij de Psyches & Cupidinis amore Carmina, voluptate certè & ingeniosa eruditione refertissima, tum nostro proposito apprimè quadrantia. Per Psyches enim varios casus, discrimina multa, & tandem connubia; nihil aliud repræsentare videtur Platonicus ille Philosophus Apuleius, quam animæ seu Psyches à mente seu Cupidine progressum & peregrinationem ad res corporeas tum denuo reditum per conuersionem ad eandem mentem, celebratasque nuptias statum animæ menti coniunctæ, & à corpore separatæ. Quorum historiam petant qui velint ex 4. 5. & 6. libro Apuleij *de Asino aureo.* Neque mihi hoc imponat ingeniosus lector, aut credat me, ex Poëtarum aut aliorum Authorum fabulis velle veritatem huius artis ad-

struere. Sed æquiori lance omnia perpendat, secumque cogitet, me viatori similem; qui dum sub æstuante Sole iter longum percurrens, nunc sub viridantis arbusti vmbra, iam in susurrantis fluminis ripa, defessus ab itinere aliquod solatium captat. Sic me non ex his veritatem, sed veritatis inquirendæ desiderio talibus perculsum abblandimentis imaginaberis. Amorem autem Psyches & Cupidinis ita cecinit doctissimus Fracastorius libro cuius titulus *Turris*, siue qui de Intellectu inscribitur.

PSYCHE.

Huc Amor ô dilecte, ades ô dilecte Cupido,
Formosum tua te Psyche formosa requirit,
Et poscit te Dia Deum, puerúmque puella.
O tibi iam similis, si te peramátque cupitque,
Nonne & amabis Amor illam, cupiésque Cupido?
Est eadem nobis patria: est cælestis origo
Ab Ioue: nos terris pariter, nos æthere in alto
Versamur pariter, coniunctáque munera obimus.
Ipsa bonum pulchrúmque modis in pectora miris
Insinuo: tu corda feris, tu suggeris ignes,
Accendisque ardore nouo: genus vnde animantum
Concipitur, crescitque sua & connubia iungit.
Me miseram, quod & ipsa meis in me artibus vsa
Ah nimium tenera, & pulchro nimis apta moueri,
Vt te conspexi, vt noui, pulcherrime rerum,
Continuo facibúsque tuis, & Amoris amore
Exarsi, iuuat hoc, paribus si & tu ignibus ardes.

Tolle puer vittas, atque in me lumina solus.
Nempe & amabis Amor pulchram, cupiesque Cupido.
Ipsa tibi tenuem, qua cingas tempora, vittam
Intertexam auro, & molli bombyce laboro:
Pictus vbi Narcissus hiat, Mæander oberrat.
Hic ego te latas terras, atque alta volatu
Nubila tranantem fingo, & maria vda secantem:
Cuncta tibi imperio subdentem, hominesq; feråsque,
Et pictas volucres, & quæ nant æquore monstra.
Dij; quoque nec parcis, curru rex Iupiter aureo
Inuehitur, cinctus humeros & brachia ferro.
Quos inter tua Psyche etiam religata cathenis
It mærens, sequiturque tuos captiua triumphos.

DE SPECIERVM SEV *Idearum ob Amorem distributione per quatuor ordines pulchritudinis, nempe Mentis, Animæ, Naturæ & Materiæ.*

CAPVT IX.

Q Vum ratio posteriorum ex prioribus pendeat, compositorum ex simplicibus,

mediatorum ex immediatis: hactenus talem ordinem & progressum obseruare conati sumus, vt naturæ origo, & rerum naturalium processus intuenti vel leui negotio, imo scirpo læuigatiora inueniantur. Proinde vt appareat quasi causarum omnium mutua combinatio, qualem pauci ante me in hac arte obseruarunt, ab ipsis incunabulis studui totum huius mundi progressum, ὡς ἐν τύπῳ, intuentibus obijcere. Primo itaque demonstratum est, Deum per suam scientiam, cognitionem & voluntatem, causare omnia entia: velle enim in Deo & esse idem sunt. At quum Dei scientia contraria sit nostræ, eius enim est factiua, nostra vero solum speculatiua: quis negarit, species rerum faciendarum in mente diuina non esse quasdam species, quas Plato ideas nominat, ita vsque continuatas, dum in corpus & materiam terminantur? Tali tamen ordine, vt quamuis ideatum Classes plurimæ pro humani ingenij facultate constitui possint, videntur tamen Platonici quatuor potissimum recensere voluisse, omnium quidem circa Deum, à Deo in eundem se se, ordine longè pulcherrimo, reflectentes. Cum enim Deus sit quasi quidam circulus (vt pulchrè Philosophus ille dicebat) cuius centrum vbique extet, circumferentia nusquam appareat; circa eundem orbes quatuor assiduè sese reuoluentes concipiuntur; Mentis, Animæ, Naturæ, atque Materiæ, vnde & Idearum

Classes

Claſſes totidem emergunt. Quarum interiores & Deo proximæ ſunt; quæ ab ipſo in Mentem profluunt,& à Mente in eundem reflectuntur. Secundæ notionum rationalium circa ens ſecundum, ſiue Intellectum, à quo in Animam vibratæ ſuum ſimiliter principium repetunt. Occurrunt tertio rationes ſeminariæ circa ens tertium, nimirum Animam, à qua in Naturam prorogantur: atque hinc reflexæ iterum in Animam conuertuntur. Quartus illarum ordo recenſetur, quas Naturales appellant, circa Naturam aſſiduè volitantes: à qua demum in materiam lapſæ, hinc pro virili rurſus in Naturam attolluntur. Itaque Diuinus ille radius, à Sole æterno in orbem continuum manans, à Mente per Animam in Naturam atque Materiam tranſit, in qua tandem fingit extremas quaſdam atque vmbratiles tantum ſimilitudines, vt lumen colorum imagines in obiecto ſpeculo repræſentat. Nam ex puris paulatim impuræ fiunt, dum à contrariis inquinantur. Vnde & ex vnitis diſſipatæ, ex vniuerſalibus ſingulares, ex ſtabilibus planè inſtabiles atque caducæ, priſtinam requirunt puritatem, atque ex humili in altum, raptu illius magni Dæmonis, ſiue amoris; quantum in ipſis ſitum eſt, rurſus emergunt. Propterea & mundi huius inferioris colonus animus, propter commercium Deorum partim ſublimium, partim fugacis corporis, ceu profugus fato, terris iacta-

tus & alto, aſſumit ipſe quidem per ſenſum has à materia pollutas rerum ſimilitudines: deinde collectas per phantaſiam purgat colatque per rationalis potentiæ cribrum: ligat poſtremo cum vniuerſali mentis Idea, fruiturque iam Pſyche pulchra, pulchri ſui complexibus viri, cæleſtis ſcilicet Cupidinis, vbi pota Nectare, Nepenthe ſaturata atque Ambroſia; menſiſque paulatim aſſueſcens ſuperis;

Multa modis ſimulachra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque Deorum
Conſilio atque imis Acheronta affatur Auernis.

Harum autem Claſſium duæ ſunt inuiſibiles & incorporeæ, nempe Mens & Anima. Natura autem quum magis accedat ad corpoream molem, & tamen eſſentia incorporea non deſtituatur, rectè vtriuſque naturæ capax eſſe dicitur: proinde nectit Mentem & Animam corporeis rebus, recipiendo ſuperiorum ſpecies, vt in pellucido ſpeculo, & rebus inferioribus communicans. Quarta autem Materia, corporea & ſenſibus obuia, ſed duarum priorum Claſſium quarta eſt imago, vt in ſpeculo per naturam tranſmiſſa: corpora enim ſunt vmbræ & veſtigia Animæ & Mentis. Vmbræ autem & veſtigia repræſentant figuram rei cuius ſunt vmbræ & veſtigia, non ſecus vt ſigillatum, ipſum ſigillum.

Proinde hæc quatuor rectè dicuntur circuli. Sed Mens est circulus stabilis & immobilis, quia & operatione, & substantia semper eadem est, quia semper ad idem tendit & vult semper eadem. Neque dici potest Mens mobilis, nisi vna ratione: quia procedens à Deo, sicut cætera omnia, reflectitur, vt in ipsum redeat denuo. Anima mundi aut quæuis alia anima est circulus per se mobilis, quia sua natura non sine discursu cognoscit, neque absq; spatio agit & operatur. Discursus enim diuersarum rerum & operatio temporalis absque dubio dici potest motus. Et si aliqua sit stabilitas in animi cogitatione, est potius beneficio mentis, quam per naturam Animæ. Quum vero dicimus animam, intelligimus potentiam, quæ in ratione & sensu animæ posita est. Cum dicimus naturam, per ipsam intelligimus vires animæ generationi aptas. In nobis virtutem illam proprie hominem appellamus; alteram vero idolum aut vmbram animæ. Virtus hæc generandi verè dicitur mobilis, quia in tempore finit suum opus, & in hoc differt ab animæ proprietate. Anima enim per se & in se mouetur: per se, inquam, quoniam est principium motus: in se, quia in eadem substantia animæ manet operatio sensus & rationis: & ex hoc nullum opus necessario corpori redundare videtur. Sed generandi potestas, quam naturam appellamus, per se quidem mouetur, quum sig

quædam animæ per ſe motæ vis. Dicitur ſimiliter in altero moueri, quoniam omnis eius operatio terminatur in mole corporis, nutriendo, augmentando & generando corpus. Sed Materia & corporis moles eſt circulus mobilis ab alio & in alio. Ab alio, quia ab anima agitatur. Dico in alio, quia in ſpatio aut loco mouetur. Hinc patet ratio, quare antiqui bonitatem in centro collocauerint, pulchritudinem vero in circulo, aut circumferentia. Bonitas rerum omnium eſt vnus ſolus Deus, per quem omnia ſunt bona. Pulchritudo eſt radius Diuinus, infuſus his quatuor circulis, qui circa Deum continuè vertuntur. Hic radius impingit his quatuor circulis ſpecies omnes omnium rerum: & vocamus iſtas ſpecies in Mente Angelica Ideas, in Anima rationes, in Natura ſemina, & formas in Materia. Et in his quatuor circulis quatuor ſplendores apparent. In primo nempe ſplendor Idearum, in ſecundo ſplendor Rationum, in tertio ſplendor Seminum, in quarto ſplendor Formarum. Per hos quatuor circulos omnes ſpecies ſicut à bono producuntur, eodem modo in ipſum redeunt; formæ enim corporum redeunt ad ipſorum principium per Semina, Semina per Rationes, Rationes per Ideas, non ſecus ac vnus radius Solis illuminat quatuor corpora Ignẽ, Aërem, Aquam & Terram. Eodem pacto vnus Diuinus radius illuminat Mentem,

Animam, Naturam, & Materiam, vnde circulatem rerum generationem in corporibus fluentem & refluentem, maximo naturæ silentio, in dies conspicimus.

PROPOSITIO PRIMA noni Capitis.

Omnis intellectus seipsum intelligit. Sed primißimus quidem, seipsum solum, & vnum numero; in hoc est intellectus & intelligibile. Singuli vero sequentes, seipsos simul, & quæ ante eos sunt, & intelligibile est huic partim quidem, id quod est, partim vero id à quo est.

DEMONSTRATIO.

NAm vel se ipsum intelligit omnis intellectus, vel quod supra se est, vel quod post se. Sed si quod est post se, ad deterius conuertetur, quum intellectus sit, nec etiam ita ille id cognoscet ad quod conuersus est. Vtpote qui non est in se ipso, sed extra se; sed typum ab ipso tantum, qui in se factus est ab illo. Quod enim habet, scit, & quod pa-

citur: & non quod non habet, & à quo non patitur. Si vero id quod supra se est intelligit per sui ipsius cognitionem, seipsum simul & illud cognoscet. Si vero illud tantum, seipsum ignorabit quum intellectus sit. Omnino autem, cognoscens id quod ante se est, scit etiam quod causa est illud, & quorum causa. Si enim hæc ignorabit, etiam illud ignorabit, quod ipso esse producit, quæ producit, & quæ producit non cognoscens. Quod vero quis procreat, & quorum causa est, eo quod quæ ante se cognoscit, & seipsum inde procreatum cognoscet. Omnino ergo, quæ ante cognoscens cognoscet etiam se ipsum. Si ergo est aliquis intellectus intelligibilis, ille se ipsum sciens, & intelligibile nouit, intelligibilis existens, quod est esse. Singuli vero eorum qui post illud, id quod in se est intelligibile, intelligit simul, & quod ante ipsum. Est ergo etiam in intellectu intelligibile, & in intelligibili intellectus. Sed aliter quidem intelligibile idem: aliud enim est simpliciter intelligibile, & aliud intelligibile in intelligente.

PROPOSITIO SECVNDA noni Capitis.

Omnis mens, omnia simul intelligit. Sed imparticipabilis quidem mens simpliciter omnia. Illarum vero mentium, quæ post ipsam sunt imparticipabilem mentem una quæque res aliquo modo: sed non perfectè, nec simul omnes cognoscit.

DEMONSTRATIO.

SI enim omnis mens in sempiternitate, & essentiam formauit suam, & simul cum essentia actionem, omnia simul intelliget. Omnia quidem particulariter, & aliàs aliud eorum quæ sequuntur, non in sempiternitate. Nam quod deinceps est, omne in tempore est. Prius enim & posterius, habent quæ sunt deinceps, & non simul omne. Si ergo similiter intelligent omnes, non different ad invicem. Si enim similiter omnia intelligunt, similiter omnia sunt, quum sint quæ intelligunt. Similiter vero omnia existentes, non quidem hic imparticipabilis, hic vero non; quorum enim intellectuales, eædem sunt, &

essentiæ. Siquidem intellectio cuiusque idem cuiusque esse, & vnum quodque ambo est,& intellectio & esse. Relinquitur ergo vel non similiter omnia intelligere, vnumquemque, sed vnum, vel plura, non omnia tamen, vel omnia sigillatim. Sed dicere quidem non omnia intelligere intellectum, est eum facere ignorantem aliquid entium. Etenim transit mens alio, & mouetur, & aliquid cognoscit non simul, sed prius & posterius, quum sit immobilis, & erit anima deterior, eaque dum mouetur anima cognoscit; vnum tantum intelligens, ob manentiam. Omnia ergo intelliget sigillatim. Vel enim omnia, vel vnum, vel omnia singillatim in vno, quod in se continet vim totius intelligentiæ. Semper enim in omnibus mentibus est omnium rerum intelligentia. Omnia verò per vnum omnium fiunt. Quamobrem aliquid est, quod principatum obtinet in ipsa intelligentia, & ijs, quæ per intelligentiam cognoscuntur, quod omnia simul vnum tantum propter ipsum vnum intelligantur, & ipsum vnum ipsi Menti simul omnia figuret, ac repræsentet.

PROPOSITIO TERTIA noni Capitis.

Omnis intellectus impartibilis est essentia.

DEMONSTRATIO.

SI enim sine magnitudine, & incorporeus, & immobilis est, impartilis est. Omne enim quomodocumque partibile vel per magnitudinem, vel per multitudinem, vel per actiones in tempore latum, est partibile. Intellectus vero secundum omnia est sempiternus, & vltra corpora, & vnita est, quæ in ipso est multitudo. Impartibilis ergo est. Quod quidem incorporeus sit intellectus, conuersio eius ad se ipsum declarat. Corporum enim nullum ad se conuertitur, vt demonstratum fuit supra. Quod vero etiam sempiternus sit, actionis identitas ad essentiam ostendit, *per propositionem quartam quinti, & primam septimi.* Quod vero vnita sit multitudo, continuitas intellectualis multitudinis, ad vnitates diuinas, hæ enim sunt prima multitudo, intellectus vero post ipsas. Si ergo etiam multitudo est, omnis intellectus, vnita tamen est multitudo. Ante diuisum enim est, id quod est compactum, & vicinius vni.

PROPOSITIO QVARTA noni Capitis.

Omnis intellectus, ęternorum est proximè & immutabilium, secundum essentiam, procreator.

DEMONSTRATIO.

PRoductum enim ab immobili causa, omne immutabile est, secundum essentiam, intellectus vero immobilis, sempiternè omnia existens, & in sempiternitate manens, & ipso esse producit, quæ producit: Si autem semper est, & eodem modo est, semper producit, & eodem modo. Non ergo causa est, aliquando quidem entium, aliquando non entium, sed semper entium.

PROPOSITIO QVINTA noni Capitis.

Omnis intellectus intellectualiter est, & ea quę ante ipsum, & quę post ipsum.

DEMONSTRATIO.

ILla enim est secundum causam, quæcumquę sunt post ipsum, alia vero per participa-

tionem, quæcumque ante ipsum. Intellectus autem idem est, & intellectualem sortitus est essentiam. Secundum ergo sui essentiam, definit omnia, & quæ secundum causam sunt in alio, & quæ secundum participationem. Etenim vt singula nata sunt, ita participant præstantiora. Sed non vt illa sunt, vel enim eodem modo ab omnibus participarentur. At participant alia aliter. Secundum proprietatem ergo participantium & potentiam, participationes sunt. Intellectualiter ergo in intellectu sunt, ea quæ ante ipsum sunt. At etiam quæ post ipsum sunt, ipse intellectualiter est. Non enim ex effectis est, nec illa habet in se ipso, sed causas illorum. Est autem omnium causa ipso esse. Esse autem eius intellectuale est. Et causas ergo intellectualiter habet omnium. Itaque omnia intellectualiter habet omnis intellectus, & quæ ante se, & quæ post se. Vt ergo intelligibilia intellectualiter habet omnis intellectus, & quæ ante se, & quæ post se. Vt etiam intelligibilia intellectualiter habet omnis, ita etiam sensibilia intellectualiter, &c.

DE ANIMA SEV tertia mundi essentia, eiusque tribus facultatibus Mentali, Rationali, & Phantastica.

CAPVT X.

ANimam Veteres non inconcinnè tertiam essentiam appellabant, quum inter Deum & Angelum quasi supremos gradus, qualitatem & materiam vt infimos, mediam collocabant; nam ad omne extrema itur per media, est & vndique tertia, vnde opus fuit medio, quod partim cum Angelo, partim cum qualitatibus conueniret. Angelus enim à qualitate omnino differt: ille enim manet, hæc mouetur: hæc fit aliquando, ille semper est. At inter hæc nulla est proportio. Proinde medium esse oportet. At hoc aliud fieri posse quam Animam, non video, quum partim cum Angelo, partim cum qualitatibus conueniat. Quippe quod semper est, cum Angelo; quia mouetur, cum qualitate conuenit. Inter hæc ergo Anima quasi quoddam vtrinque vinculum constituitur. Cui quidem in hac re similes quodammodo

ſunt præcipuæ mundani corporis partes. Denique, Deus & corpus ſunt extrema in natura & inuicem diuerſiſſima. Angelus hæc non ligat: in Deum enim, totus erigitur & corpora negligit. Nam iure perfectiſſima & proxima creatura Dei fit tota Diuina, tranſitque in Deum. Qualitas etiam non connectit extrema: nam ad corpus declinat & ſuperiora relinquit, relictiſque incorporeis fit corporea. Atque hæc omnia extrema & vinculo carentia. Verum eſſentia tertia talis exiſtit, vt ſuperiora teneat, inferiora non deſerat, ſed ſuperna infernis colliget: eſt enim immobilis, eſt & mobilis; illinc cum ſuperioribus, hinc cũ inferioribus conuenit, ſic cum vtriſque conuenit, appetit vtraq;. Quapropter naturali inſtinctu aſcendit ad ſupera, deſcendit ad infera: & cum aſcendit, inferiora non relinquit: cumque deſcendit, ſuprema haud negligit. Nam ſi alterutrum deſerat, alterum ad extremum declinabit, neque erit vlterius vera mundi copula. Imo vt planius dicam, idem Anima, quod aër, inter ignem & aquam medius. Cum igne enim in caliditate conuenit, cum aqua vero in humiditate. Illic cum igne ſemper calet, hic cum aqua humida eſt: illic attenuatur & clareſcit, vt ignis: hic viciſſim hebeſcit, vt aqua. Similiter oportet tertiam eſſentiam & Diuinis ſimul hærere, & implere mortalia. Diuinis hæret, quia ſpiritualiter illis vnitur, & ſpiritalis vnio gignit cognitionem. Il-

la cognoſcit, dum implet corpora, & intrinſecus illa mouens, illa viuificat. Eſt igitur Diuinorum ſpeculum, vita mortalium & vtrorumque connexio.

Sed quomodo corporibus iungitur? Num forte quum corpus aliquod ingreditur, vnum quoddam illius corporis tangit punctū, atque ita dicitur vnita corporibus? Nequaquam puncto tantum: hac enim ratione non corpori vniretur, neque totum illud corpus viuificaret, ſed punctum vnum viueret, toto corpore vita carente: & hoc pacto ſibi ipſi ſolum viueret, idemque eſſet quod Angelus. Igitur non vni duntaxat corporis puncto coniungitur, ſed pluribus; atque ita corporis partes implet: ſed non ita implet, vt qualitas quæuis materiam propriam: ſic enim eſſet idem ac qualitas, atque relictis diuinis ad corpus ſolum declinaret; quum etiam qualitas in tota materia cum ipſa æqualiter in partes plurimas diuidi poſſit & extendi. Hoc idem Animæ, quæ tertia eſſentia dicitur, accideret. Quamobrem cum corpus ingreditur, ſingulis corporis particulis tota fit præſens, neque diuiditur aut diſtrahitur in partes varias: nam per vim indiuiduam tangit corpus, non per latitudinis quantitatem, ſed tota integra atque ſimplex ſingulis partibus tota & indiuidua præſens fit. Non ſecus ac vox tota ſignificatioque quodammodo ſimul in ſingulis domus eſt partibus, cum tota penè audiatur,

intelligatur in singulis. Neque impossibile est hanc essentiam, cum sit indiuiduum quiddam in se ipso existens, amplæ corporis moli sic totam esse præsentem. Imo & ex eo quod indiuidua est, & non clauditur loco, potest tota totum quicquid in loco est penetrare & comprehendere. Extensio enim quantitatis vbicumque reperitur, talem vim & præsentiam prohibet, ita vt res extensa per quantitatem nequeat tota esse simul in pluribus. Quinetiam res illa, quæ licet indiuidua sit, tamen alicubi affixa corporis quantitati (sicut punctum quod tanquam lineæ terminus signatur in linea) nequit tota esse simul per partes quaslibet corporis: sic punctum, quod est alicubi in linea aliqua circuli designatum, neque in omnibus alijs lineis inest, neque per totam diffunditur lineam aut circulum. Punctum verò quod circuli centrum est, nullius lineæ proprium, in omnibus quodammodo lineis reperitur, quæ vndique ad circumferentiam deducuntur. Et quum nullum punctum quod in circumferentia designatur, totum circulum æquè respiciat, centrum tamen quod in nulla circumferentia propriè figitur, vniuersum circulum æquè circumspicit. Non potest igitur tota esse simul in pluribus res illa quæ diuidua est. Tertia vero essentia illa neque extensa est, quia esset qualitas: neque in extensione sita alicubi, quia non per se ac liberè moueretur, si non subsisteret

per se ipsam. Quapropter est instar puncti alicuius, in se ipso viuentis, & ab omni penitus quantitate & situ absoluti, ideo ambit æquè omnem corporis situm. Et quando corpus ingreditur, quia ipsa non est proprium quantitatis alicuius punctum, non astringitur ad punctum aliquod corporeæ quantitatis: quippe quum sit extra quantitatis genus, non determinatur ad tangendum punctum aliquod quantitatis, sed est vt centrum in lineis omnibus, & circulo toto.

Hinc etiam illud sequitur, vt hæc essentia & diuidua sit simul, & indiuidua. Diuidua, quia per diuisionem corporis vitalem sui vmbram diffundit, dum diuersis partibus corporis se communicat. Indiuidua, quia integra simul adstat & simplex. Diuidua, inquam, quia vmbra eius in toto corpore est diuiduo. Indiuidua, quia ipsa per modum indiuiduum est in qualibet corporis parte tota. Indiuidua rursus, quoniam stabilem habet vnitamque substantiam. Diuidua, quoniam per operationem in Sphæra diuiditur, dum per motum operatur & tempus. Indiuidua tertio, quia superiora suscipit, quæ admodum sunt vnita. Diuidua, quia ad inferiora declinat, quæ plurimum diuiduntur. Talis autem natura in ordine mundi videtur summopere necessaria, vt post Deum Angelumque, qui neque secundum tempus, neque secundum dimensionem diuidui sunt, ac supra corpus & qua-

litates,

litates, quæ tempore dimensioneque dissipantur, fit medium competens, quod temporali quidem discursione quodammodo diuidatur, non tamen fit dimensione diuisum. Et quia dum corpora regit, hæret quoque diuinis, corporum domina est, non comes. Hoc maximum est naturæ miraculorum: reliqua enim sub Deo vnum quidem, in se singula sunt. Hæc anima simul imagines in se possidet Diuinorum, à quibus ipsa dependet; inferiorum rationes & exemplaria, quæ quodammodo & ipsa producit: & quum media omnium sit, vires possidet omnium. Quod si ita est, transit in omnia, & quia ipsa vera est vniuersorum connexio, dum in alia migrat, non deserit alia, sed migrat in singula, ac semper circa cuncta versatur. Vt merito dici possit centrum naturæ, vniuersorum medium, mundi series, vultus omnium, modusque & copula mundi, vita & viuentium omnium origo. Quod viuat, apparet, quoniam ea in terris viuere dicimus, quæ sua quadam interiori virtute per omnem partem mouentur, sursum, deorsum ante, retro, ad dextram, ad sinistram. Vbi igitur est motus intimus & communis, ibi vita, id est vis illa interna mouendi. Et vis ejusmodi ibi est præcipuè, vbi totius agitationis fons est & origo, primusque motus. Maximè autem est motus intimus, vbi primus. Primus autem iste motus in anima est. Est ibi igitur vita, vita in-

quam talis, vt eius participatione corpora fiant, viuant & moueantur.

PROPOSITIO PRIMA decimi Capitis.

Omnis anima incorporea est essentia, & separabilis à corpore.

DEMONSTRATIO.

SI enim cognoscit seipsam, & omne seipsum cognoscens ad se conuertitur, & quod in se conuertitur, corpus non est. (Omne enim corpus inconuertibile ad se) neque à corpore inseparabile. Etenim quod à corpore inseparabile est, non est natum ad se conuerti: separatur enim hac à corpore. Omnis ergo anima, neque est corporea essentia, neque à corpore inseparabilis. Sed quòd quidem cognoscat se ipsam, clarum est. Si enim quæ super ipsam sunt, cognoscit, & seipsam nata est cognoscere, multo magis, à causis quæ ante ipsam sunt, cognoscens seipsam.

PROPOSITIO SECVNDA decimi Capitis.

Omnis Anima immortalis est, & incorruptibilis.

DEMONSTRATIO.

OMne enim quod quouis modo dissolui, & disperdi potest, vel corporeum est & compositum, vel in subiecto existentiam sortitum est. Et quidem quod dissoluitur, vt ex multis existens corrumpitur. Quod autem in alio natum est esse à subiecto separatum, euanescit in non ens. Sed Anima & incorporea est, & extra omne subiectum, in se ipsa existens, & ad se ipsa sese conuertens, immortalis est sinu, & incorruptibilis.

PROPOSITIO TERTIA decimi Capitis.

Omnis Anima, & vita est, & viuens.

DEMONSTRATIO.

CVi enim aduenit anima, id viuit necessario, & quod est anima priuatum, vita statim priuatum relinquitur. Vel enim per ani-

mam viuit, vel per aliud quid & non per animam. Sed per aliud quid solum, impossibile. Omne enim participatum, vel seipsum, vel sui ipsius aliquid participanti dat, *per proposit. septimam quarti.* Neutrum vero si patiatur, neque etiam participabitur. Anima autem participabitur ab ea, cui adfuerit, & animatum id dicitur, quod animam participat. Si ergo vitam adfert animatis, vel vita est, vel viuens solum, vel vtrumque, vita simul & viuens. Sed si viuens solum, nec amplius vita, fa cè erit ex vita & non vita. Non ergo cognoscit seipsam, neq; conuertitur ad seipsam. Vita enim est cognitio, & cognoscitiuum, qua tale est, viuit. Si ergo aliquid in ipsa non viuens est, hoc non habet per se cognoscendi potentiam. Si autem vita solum est, non participabit intellectualem vitam. Quod enim vitam participat viuens est, & non vita tantum: Vita enim prima est, est & imparticipabilis; quæ vero post illam, viuens simul & vita. Anima vero non est imparticipabilis vita. Simul ergo vita est, & viuens, ipsa anima.

PROPOSITIO QVARTA decimi Capitis.

Omnis anima seuiua est.

DEMONSTRATIO.

SI enim conuersiua est ad seipsam, & conuersiuum ad seipsum omne est, per se sub-

stans, (vt demonstratum fuit, *per propositionem septimam octaui*) anima quoque, per se substans est, etiam seipsam sustinet. Sed enim & vita est, & viuens, & existentia eius est, secundum vitalitatem. Etenim quibuscumque adfuerit, vitam communicat ipso esse: & si fuerit participans idoneum, illico animatum fit, & viuens; non rationante anima neque eligente, neque ratiocinio, & iudicio viuificante: sed ipso esse, quod est, vitam participabili largiente. Esse ergo ipsi idem est cum ipso viuere. Si ergo esse à seipsa habet, & hoc, cum viuere idem est, & habet per essentiam ipsum viuere, & vitam sibi ipsi præbet & à se ipsa habet. Si vero hoc, seuiua sane erit anima; quod probandum fuit, &c.

PROPOSITIO QVINTA decimi Capitis.

Omnis anima, media est inter impartibilia, & quæ circa corpora sunt partibilia.

DEMONSTRATIO.

SI enim seuiua est, *per propositionem quartam decimi*, & per se substans, & separabilem habet à corporibus existentiam, eximitur ac præstantior est partibilibus omnibus, circa

corpora. Illa enim inseparabilia omnino à subiectis sunt compartita molibus, & à se ipsis excesserunt, & ab eorum impartibilitate, corporibusque coextensa sunt. Atque etiamsi in vitis substent, non tamen suæ ipsorum vitæ sunt, sed participantium. Etiamsi in essentia, vel in formis existant, non sunt sui ipsorum formæ, sed & formatorum. Si vero non hæc solum sunt, anima essentia est per se substans, & vita seuiua, & cognitio sui ipsius cognitrix, & separabilis secundum hæc omnia à corporibus. Sed & participans vitam. Si vero hoc etiam essentiam participans, participat autem cognitionem quoque ab aliis causis. Clarum est sane, quod deterior est impartibilibus, quod quidem vita aliunde impletur, & essentia, siquidem & vita, clarum est. Ante enim vitam, est & imparticipabilis vita, & imparticipabilis essentia.

Quod vero etiam, primum cognoscitiuum est, clarũ est. Siquidem qua anima, omnis quidem vitam habet, non autem qua anima, omnis habet cognitionem. Etenim ignorat entia, anima quædam, anima manens. Non ergo primò, cognoscens est, neque ipso esse, cognitio est. Secundam ergo essentiam habet, ab ijs quæ primò, & ipso esse cognoscentia sunt. Cum ergo huius esse diuisum sit à cognitione, non est impartibilium anima. Demonstratum autem est, quod anima nondum est eorum, quæ circa ipsa corpora sunt diuidua. Est igitur inter vtrumque media.

PROPOSITIO SEXTA decimi Capitis.

Omnis anima participabilis, essentiam quidem sempiternam habet, actionem autem in tempore.

DEMONSTRATIO.

Vel enim ambo sempiternè habebit, vel ambo in tempore, vel alterum quidem sempiternè, alterum vero in tempore. Sed neque ambo sempiternè, esset enim impartibilis essentia, & nihil differret ab intellectuali substantia, animæ natura, ab immobili scilicet, ipsa per se mobilis. Neque ambo in tempore, esset enim generabilis tantum, neque seiua, neque per se subsistens. Nihil enim eorum quæ à tempore mensurantur, secundum essentiam est, per se substans. Anima autem est per se substans. Id enim quod secundum actionem ad seipsum conuertitur, & secundum essentiam ad seipsum conuersiuum est, & à se proueniens. Relinquitur ergo, hac quidem sempiternam animam omnem esse, hac autem temporis participem. Vel ergo, secundum essentiam sempiterna est; secundum actionem vero, temporis particeps, vel è conuerso. Sed hoc impossibile. Omnis ergo anima partici-

pabilis quidem, essentiam sempiternam sortita est. Actionem vero secundum tempus.

PROPOSITIO SEPTIMA decimi Capitis.

Omnis Anima proximè ab intellectu consistit.

DEMONSTRATIO.

NAm si immutabilem habet essentiam, & sempiternam, ab immobili progreditur essentia. Nam quod à mobili progreditur essentia, omnino mutatur secundum essentiam. Immobilis ergo est omnis animæ causa. Si vero proximè ab intellectu perficitur, etiam conuertitur ad intellectum, & participat cognitionem, quam intellectus largitur, ijs quæ participare possunt. Omnis enim cognitio ab intellectu, omnibus est, quibus est intellectus. In quod vero omnia conuertuntur secundum naturam, ab hoc etiam progressionem habent secundum essentiam. Omnis ergo anima à mente progreditur.

PROPOSITIO OCTAVA decimi Capitis.

Omnis Anima omnes habet formas, quas intellectus primò habet.

DEMONSTRATIO.

SI enim ab intellectu progreditur, & intellectus productor est animæ, & ipso esse immobilis existens, omnia intellectus producit; dabit animæ etiam à se cõstitutæ omnium quæ in ipso sunt, essentiales rationes. Omne enim quod ipso esse agit, quod ipsum est primo, id producto, secundo tribuit. Intellectualium ergo formarum, anima secundo habet imagines.

PROPOSITIO NONA decimi Capitis.

Omnis Anima omnes est res, exemplariter quidem sensibilia, in imagine vero intelligibilia.

DEMONSTRATIO.

MEdia enim existens impartibilium, & partibilium circa corpora, hæc quidem producit, illa vero causas præstabunt

ante se, à quibus prouenit. Quorum ergo causa præexistit, hæc præaccepit exemplariter. A quibus vero constituta est, hæc per participationem habet, & vt primorum germina. Sensibilia ergo omnia per causam, præaccepit, & rationes materialium immateriales, & corporeorum incorporeas, & distantium indistantes habet. Intelligibilia vero, per imaginem, & formas illorum, impartibilium partibiliter, multipliciter vero, vniformium, per se mobiliter autem immobilium suscepit. Omnia ergo entia, prima quidem illa per participationem, hæc vero exemplariter quæ post ipsam, &c.

PROPOSITIO DECIMA decimi Capitis.

Omnis particularis animæ vehiculum, descendit quidem additione tunicarum materialiorum: Colligitur vero ad ipsam animam per ablationem omnis materialis rei, & per recursum in propriam formam analogicè ad vtentem animam.

DEMONSTRATIO.

ETenim illa quidem descendit, irrationales asciscens vitas, ascendit vero, abijciẽs

omnes generationis potentias quas in descensu amicijt: & cum accessit, imitatur vitas vtentium animarum, & simul mouetur cum ipsis, motis vbique, & aliorum quidem intellectiones repræsentat suis circulationibus, aliarum autem casus, impetibus in generationem: aliarum vero purgationes circumductionibus in immateriale. Quoniam vero ipso esse animarum viuificatur & est cognatum illis, omnifariam mutatur cum illarum mutationibus, & eas sequitur quaqua versum, & patientibus compatitur, & cum purgatis simul redit, & cum reductis simul attollitur, appetentes suam perfectionem. Omne enim perficitur propriam vniuersitatem consequutum.

De Mentali siue intelligibili Animi facultate.

PLotinus in vniuerso tria deducit formarum genera. Prima quidem infimarum & naturalium, quales in mixtis apparent. Alia vero mediarum & rationalium, quales in hominum genere contemplamur. Postrema diuinarum & supra Naturam existentium, vt sunt diuinus Intellectus, mundi opifex, rerumque Ideæ, id est actus primi, diuinæ Intelligentiæ & rerum exemplaria. Harum for-

marum illæ, quas naturales diximus, materiæ simul insunt & adsunt iugiter. Superiores vero & diuinæ ipsi nec inesse videntur, nec adesse iuxta naturæ cognationem. Mediæ vero, medio sese erga illam modo gerere statuuntur. Nam materiæ non insunt quidem, sed propensione quadam assistentes eandem fouent, formant atque hinc pariunt humanum animal, medium inter mentes Angelicas & brutorum animas; totius vniuersi nodus & vinculum, in quo tres præcipuè animorum vires colliguntur, cogitatio, ratio, consilium, hominum quodammodo propria 2. Intelligentia, sapientia, Mens actiua: homini cum Angelo communis. 3. Coniectura, Phantasia, penes quas vix à brutis, præterquam accidentali modo dirimitur, vnde tres homines alicubi in singulis recensebat, Idealem, Rationalem, & Sensualem, in vnius humani animalis speciem adiunctos.

Verum vt animarum omnem animorumque partitionem in tabellam vnam contraham, Animam sanè imprimis simplicem homini datam atque impartibilem dico, iuxta similitudinis rationem, quam ab opifice, cuius germen existit, primum est assecuta. Propter itaque partiri nostrum, nihil penitus huic dignitati derogatur. Etsi enim insectilis est tum Anima, tum animus ipse secundum substantiam: diuiditur tamen à ratione nostra, iuxta facultatum, spirituum, atque actionum nu-

merum. Non secus vt ex Solis radio pulchrè intelliges, qui ex ipso lucido corpore lumen in orbem subiectum deferens, natura vniformis & simplex apparet, per vitreas vero fenestras variè coloratas, hinc inde transmissus, speciem induit diuersi coloris peregrinam. Vnde & animalis spiritus, in cerebro simplicis naturæ atque vniformis generatur, qui postea ad sensuum singulorum organa dimissus, instar Solaris radii momento in plures sese transformat species, secundum partis subiectæ indolem, quarum adminiculo commodum fit ac prorsus analogum, diuersarum actionum animalium instrumentum.

Anima itaque est simplex secundum esse, ratione tamen est diuisibilis. Ac primum quidem vita illius, teste Plotino, duplex existit. Prior sanè & ignobilior, per quam fato quodammodo subiecti sumus, est forma corporis corporibus affixa, in alio subsistens scilicet, & eius veluti pars existens.

Posterior & priore multo sublimior, forma est humani animalis, à corpore libera, præses alterius vitæ, in se ipsa semper permanens, interim per amorem & affectionem ad sensus quandoque aut simulachra delabitur, subinde in se conuertitur, sæpe & ad mentem superiorem alas explicans, tum ad Idearum Ideam vsque conscendens.

Hæc igitur posterior vita, pars nostri immortalis dignior, ac veluti vitæ prioris exem-

plat, iuxta artificis normam exactè Trinitatis imaginem seruat, Intellectu scilicet, Ratione, Phantasia. Quæ quidem potestates tres duobus cursus extremis continentur, Deo nimirum supra omnem Intellectum atque Naturam; sensu atque sensibili, sub Animæ humanæ potestate. Naturæ autem affinitate (iuxta Actuarium) sensibilium iuxta & intelligibilium vnumquodque cognoscimus. Quo quidem argumento vel solo Animorum immortalitas satis demonstrari potest. Sed ad vitam seu Animam redeamus.

NATVRÆ Artifex in fabricandis corporibus principio materiam accipit nudam, mox Elementorum vestit qualitatibus, tum elementa in speciem humorum producit; deinde humores in formas membrorum dirigit, membris addit speciem nutriendi, hinc sentiendi formam, hinc tandem intelligendi. Intellectiua vero Natura duplex est. Vna, quæ adeo à corporibus est aliena, vt nullam illis vitam præstet, quæ ideo materiæ vel corporis forma non dicitur; & ordo corporum in hanc mentis naturam seu propriam formam non desinit. Hunc gradum obtinent apud veteres sublimes Angeli. Sed est altera natura Mentis, quæ corpori iuncta, quodam quasi fœdere cum ipso conspirat, in quam quasi vltimam Materiæ formam progressio corporum ascendit. Hæc simplex est secundum esse; sed facultate triplex concipitur,

Vna, quæ vel

- Homini propria est, & dicitur anima rationalis, substātia simplex, immortalis & indiuisibilis, quæ nullo nititur organo corporeo, nec corpori permista est, sed tantum velut gubernatrix assistit, diciturque
  - Intellectiua quæ rursus in
    - Intellectiuam agentem, tum patientem,
    - Vniuersalem particularem,
    - Speculatiuam & practicam rectè dirimitur, tum in memoratiuam, sublimiorum scilicet notionum formulas ab origine insculptas gerentem. Cuius generis est Appetitiua, Rationalis & voluntas.
- Brutis animantibus communis & dicitur anima sentiens quam aliqui communem omnibus mixtis asserunt, de qua vide Campanellam de sensu rerum; eaque est
  - Apprehensiua quæ apprimè in
    - Sensitiuam quæ in cerebro sita est, quæ rursus est
      - Exterior
        - In quinque sensus distribuitur, Visum nempe, Auditum, Gustum, Olfactum, Tactum.
      - & Interior.
        - In sensum communem, Phantasiam, Rationem passibilem subobscuram, quam memoriam & reminiscentiam vocamus.
    - Et appetitiuam seu irrationale desiderium & cupidinem quandam. Hæc apprimè diuiditur in
      - Irascibilem & concupiscibilem.
  - Motrix siue impulsiua vis, nempe à cerebro dimanans ad subiectos musculos per neruos & membranas, quæ rursus in
    - Vim Volandi.
    - Natandi.
    - Ambulandi.
    - Serpendi.
    - Saltandi.
    - distingui concipitur.
- Plantis communis, & dicitur anima vegetans: recteque distinguitur in
  - Nutritoriam, quæ
    - Coctrix est & consideratur
      - In visceribus,
      - In vasis,
      - In solidis partibus & carnosis, inde fiunt.
        - Attractio,
        - Retentio,
        - Alteratio,
        - in similem Substantiam, & denique expulsio.
    - Elaboratrix perficitur per
      - Appositionem.
      - Agglutinationem.
      - Assimilationem.
  - Aucticem
  - &
  - Generatricem.

Quod autem ad Intellectiuam eius partem propius spectat, dicebant veteres hanc ex actu circa immobilia immmobili atque immutabili refluere. Diuidebaturque in communem & cuique propriam. Propria rursum in agentem & passiuam. Voluntque sic adesse intellectum actiuum passiuo siue possibili, vti oculis simul & coloribus ad visionem lucis externæ radius: est enim & oculis quidam splendor innatus, qualis potissimum Animantium quadrupedum generi circa Amphiblistroidem tunicam & ingressum nerui Optici, in ipsa Vuea tunica illustris apparet; vt sane omnium colorum penè vel ad sensum appareant temperatæ inuicem atque commistæ seminales rationes. Ex hac congerie animalis spiritus immutatus proprium fit visionis instrumentum. Mouetur autem à colorum externis simulachris. Verum aduenienś extrinsecus lumen Solis tum ipsos colores obiecti corporis ad oculum defert atque illustrat, tum colorum seminales species ex aduerso in oculi substantia sepultas excitat, in occursum rapit, in actum denique ex potentia prouocat, vt per vnitum angulorum occursum visio perficiatur. Compara nunc colores cum simulachris sensibilibus cæteris, cum ipsis etiam phantasiæ imaginibus: oculum vero nostrum cum Anima, humorem Crystallinum cum parte rationali: ingenitam vero illam oculorum seminalem speciem, cum

intellectu

intellectu agente & notionum fœcundo genio. Itaque lumen illud externi Solis Intellectui communi optimè est comparabile, qui à patre luminum descendit, qui quidem parens, vel Psalmista teste, Soli se comparat *in Sole ponens tabernaculum suum.* Sicut verò sese pater ad intellectum filium habet: ita & hic ad Intellectum agentem proprium; proprius demum agens ad passibilem Naturæ totius medium, atque vniuersi opificij finem.

Sed vt Mentis per analogiam inquirendæ viam relinquam, delibatis tantum leuioribus eius rationibus, ad intimiorem eius inquirendi modum, scitu sanè difficillimum, & explicatu non minus difficilem me accingam: tam diuina enim & sacra quidem res hæc est, vt per eam Deo ipsi quasi similes fieri videamur, ipsique associari: per quam denique homo vniuersi huius, quem mundum dicimus, speciem quandam & similitudinem præ se ferat, quum vnus quodammodo mundus sit, in quo res omnes, quæ vbique sunt, cælum, sydera, inane, maria, terræ, syluæ, animalia & reliqua omnia reposita sunt. Nam certè mens ex mundo quodam constare videtur. Nunc autem mens superior Anima nostra, excursu ad similia gaudens, species ac notiones primam intelligibiles concipit, sensui è directo opposita, tadium tamen dimittit in facultates ordine inferiores. Intellectus vero, Menti dignitate proximus, à Mente superiori hanc Idea-



rum lucem accipiens, in facultates quæ deinceps sunt spectacula traducit, quantitatis atque coloris expertia.

Hanc deinde excipiens rationis facultas ambigua inter extremas (quippe quæ spectris instabilibus notiones stabiles iungat) imaginationi velut per manus tradit.

Ea demum passioni obnoxia magnitudinem iungit, & qualitatem, figuras, situs, colores, habitus, tempus, & locum: estque eadem ipsa animalibus brutis velut œconomiæ totius apex & regula.

Conuersim rursus à sensibus sumpto initio, vis animi phantastica sensibilium rerum simulachris agitata, alarum quasi suarum explicatu, se se in sublime tollit, cui Mens suprema opposita per diametrum radium diuinæ lucis immittit. Quorum concursus excipiens Ratio, quæ pro natura sua potest ad quæcumque velit annuere, diuersis tamen inter se afflatibus immutata cuncta diuidit atque componit.

Hæc formas intra & extra respicit, hæret Menti vt inde subsistat, alatur cognitione vt perficiatur; hæret corpori vt ipsum regat, vitam præbeat atque perficiat.

Huius gradus sunt Intellectus agens, apex Animæ rationalis, Rationis pater, cuius beneficio formulas obtinemus ab Intellectu communi. Cognoscitque per Ideas notiones seu qualitates infusas atque congenitas, versatur-

quæ circa subiecta vniuersalia, abstracta à materia, immutabilia & æterna, ipse immobilis. Non vtitur instrumento corporeo; descendit tamen aliquando per amorem, idque secundum radium potius quam per essentiam suam; huic & Memoria stabilis adstat.

Intellectus patiens inferior, aliis passiuus siue possibilis vel ratio, cuius beneficio extrema distinguuntur & componuntur variè, media inter diuina & naturam, cognoscit etiam per qualitates infusas, sed mobiles: versatur circa intelligibilia, sed quatenus materiam redolet, ac phantasmatibus complicatur. Circa mobilia modo immobilis, modo circa immobilia mobiliis, motu gaudet magis circulari; habetque adiunctam memoriam instabilem.

Phantasia siue Imaginatio cognoscit per qualitates peregrinas motu penè recto deorsum primo, inde sursum, versaturque circa obiecta mobilia mobilis: circa particularia, concreta materiei & mutabilia prorsus mutabili motu. Astat huic sensus communis, cuius operationes prosequemur quatenùs in nobis sint: quæ sint, & quot, & quo pacto fiant. Quas omnes communi quodam vocabulo intellectionis comprehendimus: per Intellectionem intelligentes cognitionem omnem, quæ post sensus ab Anima introrsum fit.

Constat autem inter omnes, cognitionem omnem per rerum simulachra fieri

quæ aliqui ſpectra vocant, nos in Scholis ſpecies rerum appellamus: per has enim species cognitionem rerum fieri conſtare debet, quoniam & ſenſus per eaſdem fiunt, & memoria indicationem quandam præbet: quandoquidem rebus ipſis abſentibus nihilominus earum recordamur. Quod non aliter fieri poteſt, quam remanente in Anima ſimulachro earum & ſpecie, quæ prius intellectionem fecerat. Præterea manifeſtum eſt per eruditionem mutari animam ab eo, quod prius erat, cum non intelligeret: quam mutationem res ipſa non poteſt facere, quæ extra ipſam eſt, quod ſolet obiectum vocitari: quoniam proximè per ſe animam non attingit, ſed neque anima ſeſe ipſa mutat. Neceſſe igitur eſt immitti aliquid ab obiecto, quod proximè attingat animam, atque illam mutet. Tale autem non aliud eſſe poteſt, quam ſimulachrum & ſpecies rerum, quæ extra ſunt.

Fiunt autem hæ ſpecies à corporibus, & quidem in momento effluunt & diffunduntur in orbem, quacumque medium, per quod tranſeunt. Tale autem medium videtur eſſe perſpicuum & tranſparens corpus, quod diaphanum vocamus, Totus aër harum ſpecierum plenus eſt, mille homines vnam rem ſimul intueri poſſunt, in mille ſpeculis vna res ſimul repræſentatur. Sunt ergo diuerſæ, quia quæ in diuerſis ſubiectis exiſtunt, numero differunt: quanquam ſibi ſimilia inuicem eſſe

censeantur. Possunt vero per totum aëra diffundi; quod hinc apparet. Interponatur inter rem & speculum aliud speculum adhuc; statim in eo apparebit: & quot specula interponentur, tot species in ijs apparent. Possunt autem à corporibus longissimè dispergi. Nam à supremis stellis huc ad nos veniunt, desinunt autem in conum. Quæ causa est, cur res longissimè distans, si non sit ingens, non videatur. Neque de harum specierum subiecto quis sit solicitus. Qualitates enim materiales ita recipiuntur in subiecto, vt ad eius motum moueantur: neque sunt totæ in qualibet parte subiecti, nec in eodem subiecto plures eiusdem speciei numero tantum differentes, non confusæ & distinctæ seruantur. Spiritalia verò eiusmodi & species istæ non recipiuntur in subiecto, vt ad eius motum moueantur. Sunt in quauis parte totæ, in subiecto eodem plures eiusdem speciei, numero tantum differentes, inconfusæ & distinctæ seruantur, vt videre est, cum in alijs, tum in speciebus visibilibus. Licet enim aër ventorum flatu moueatur: ipsæ tamen directò circumquaque à re visibili radiant; quodlibet enim punctum speciei eiusmodi totum visibile repræsentat, radijque visibilium sine confusione medium illustrant. Et licet in eodem loco sint plurimæ res visibiles numero distinctæ: tamen omnes per quodlibet punctum medij sui species mittunt, easque inconfusas & im-

permixtas, vt ab oculis videntium aut speculis omnes distinctæ recipi possint. Ex quibus speciebus seu spiritibus mirandæ rerum sympathiæ oriuntur. Harum specierum mentionem faciens Democritus dementiæ famam ab Abderitanis falsò assequutus est, vt ex epistola Senatus populique Abderitani ad Hippocratem colligere licet. Illi enim dementiæ illum accusabant, quod aërem imaginum fuisse plenum, & innumerabiles sui similes fuisse Democritos aiebat.

Natura autem istarum specierum est repræsentare & offerre ea Animæ, quorum sunt species, ac demum contrarias inter se ipsas non esse species, sed in eodem omnes simul consistere posse. Etsi enim dulce contrarium est amaro, & album nigro, & calidum frigido: horum tamen species contrariæ ipsis non sunt. Quod in aëre manifestum est, in quo species omnes simul esse, & per ipsum simul transire possunt & solent.

Quid autem sit Intellectio, quo pacto gignantur & quomodo sese diffundant & propagent species istæ tum, & quomodo reflecti possint, & vtrum sint eiusdem generis cum suis formis, quarum sunt species: si hoc in loco exactè non tractauero, partim hoc rei difficultati, partim ingenij mei tenuitati tribuendum, qui cum doctissimo Hieron. Fracastor. in harum indagandi difficultate perculsus, elegantissimis illius versibus conqueri

non desinam.

Quid dicam miserum me agere, & quam ducere vitam
Irrequietum animi, & quærentem indagine vana
Naturam semper fugientem: quæ se vbi paulùm
Ostendit mihi, mox facies in mille repentè,
Ceu Proteus, conuersa sequentem eludit, & angit
Mærentem seriique horas, cassumque laborem?
Nuper enim tenues species, simulachráque rerum,
Quæ fluere ex ipsis dicuntur, pérque meare
Omnia dum sector meditans, tacitúsque requiro
Auia syluarum, & secreta silentia solus.
Cognoui tamen his spectris illudier ipsis:
Vt sensus feriant nostros, semperque lacessant,
Pérque fores, caulásque animæ ludántque, meéntque,
Ac remeent, ipsamque nec inter somnia linquant.

Nunc autem vt in hac re dicam quid censeam, videntur ad Intellectionem concurrere primum quidem, quod intelligit, hoc autem est anima: deinde quod intelligitur, quod est obiectum: tertium vero id, per quod fit intellectio, hoc est species.

Intellectio igitur non est anima, quæ intelligit; non obiectum, quod intelligitur; non species, qua fit intellectio: sed si quid est, non aliud certè videtur esse, quam repræsentatio obiecti, quæ animæ interiori fit per receptam obiecti speciem, sicuti & sensatio repræsentatio est obiecti exteriori animæ per receptam obiecti speciem: Natura siquidem specierum est, ea repræsentare, quorum species & imagi-

nes sunt: repræsentare autem non lapidi aut arbori, & similibus, sed animæ tantum, quæ apta est & idonea, cui repræsententur.

Sed vt melius & accuratius hæc expendam, sciendum quæ sit differentia inter exemplum & imaginem, rursusque inter notionem & virtutem seminalem. Exemplar enim ad causæ agentis rationem propius spectat: imago ad patientis conditionem, vnde & mutuò sunt correlatiua: est enim exemplar imaginis exemplar; imago autem exemplaris imago. Sed notionis vocabulum magis ad cognitionem est referendum, ad effectionem vero virtus seu ratio seminalis, si loqui paulo distinctius voles. Postremo & illud particulatim animaduertendum, in anima nostra intellectuales notiones, actiua potissimum facultate præditas, magis exemplarium in nobis locum, quam imaginum obtinere, nisi ad intellectum superiorem conuersæ referantur: Rationales vero species seu discursuum seminaria ambiguam sibi naturam quodammodo vendicasse iuxta rationis indolem: Species vero phantasticas à sensibilibus rebus abstractas, etsi plerique merè passibiles iudicent, id respectu intellectus communis est accipiendum: alioqui enim & ipsæ naturæ ancipitis ab intellectu abstrahuntur per rationem mediam.

Verum è conuerso cum intellectus per descensum in obscuram velut nebulam deuolutus altius dormiat, quam Epimenidis som-

num, necesse fuit species in intellectu positas, essentiales atque reconditas scilicet, à sensibilium notionum & syndromes accidentariæ similitudine vellicari. Quamquam & huius excitamenti principium alterum quoque sit extra corpus constitutum priori oppositum, eóque longè præstantius ipsum scilicet primi intelligibilis lumen, & fax quædam immortalis cognitionis ac naturæ vniuersi parens. Et quanquam intellectuales notiones actu perpetuo in vnitate vigeant, respectu tamen potentiarum inferiorum, quibus se vinciendum tradidit intellectus, nunc per potentiæ nomen à priore quadam indole degenerasse abundè ex monumentis Platonicis constat. Actu enim in nobis subsistit, actuque à Mente superiore formatur, & ad eandem respectum obtinet sempiternum, sed actionis suæ radium non actu semper ad inferiora demittit, vnde & respectu animæ inferioris tantum in potentia dicitur, donec per Animorum ascensus rursum excitetur, vt omne nostrum scire sit verum reminisci. Vnde rectè Socrates non tam scientiarum sese promum erga adolescentes, quam obstetricem prædicaret. Nam & sensus rationi, & ratio vicissim prægnanti notionibus intellectui obstetricatur. Non quod exinde species intellectuales nascantur propriè, vti ex verbis Platonicis malè colligebant Epicurei, cum potius hæc productio specierum istarum sit quædam in rationali parte

coruſcatio, per quam mentis ſpecies antea coarctatæ efflorefcunt latius, vt per intelligentiam eſſentiæ rerum definiantur, per rationem componantur eſſentiæ definitæ, & argumentationes perficiantur. Veras etenim definitiones eſſentiarum non poteſt mens per accidentia rerum ſimulachra formare, ſed eas conſtruit per infuſas ab origine notiones, cum in ſyndrome accidentali ſola deſcriptio quædam lateat, definitionis vmbra & rudimento imperfecto ad veras illas eſſentiæ notiones ſeu manu nos perducente. Quemadmodum igitur Natura non recipit quicquam, niſi ex ſemine ortum trahat, cum potius quodcumque procreatur, ſeminis ſecum ſimilitudinem deferat, vt homo hominis, atque arboris arbor: ſic & animus, ſi veritatem intelligat, neceſſe eſt veri ſeminio fœtuum rationes exhibere, poſtquam fuerit excitatus: quæ quidem (vt Tyrij verbis vtar) & ſint, & ſemper ſint, & ſubſtantiæ veræ & immortales. Quare cum ſui ipſius doctor ſit animus, ipſi profecto, ſi defæcatior fuerit, exiguo principiorum hauſtu ad intelligentiam opus eſt: nam talis ſponte ex ſe ipſo principium capiens viam ingreditur naturæ, opificis ſimilitudine fabricatam, inceditque ad mentis illa ſpectacula, quæ & mente dextera protinus haurit, atque hauſta tenaci memoriæ mandat.

Si quis vero quæ de actu & potentia diximus, probe vix aſſequatur, multas in hoc mun-

do sensibili istorum similitudines vel passim obuias deprehendet. Vide imprimis colorum seminales rationes in oculo, quæ ab externo lumine in actum prodeunt, vide virtutem seminalem in animalibus, plantis, mineralibus, quorum angusto spacio conclusæ rationes non prius in apertum sese oculis proferunt, neque sensibilem vllam fibrarum, fructuum, foliorum, distinctionem obtinent, priusquam illas color externus aliquis Solis, terræ, aut animantis alicuius excitarit.

Quod vero ad intellectionis modum attinet, ipsis humanis mentibus abditissimum, statuit illum Plotinus versari semper circa diuina modo quodam indivisibili. Videtur tamen secundum recessum ab intellectu primo, ac propter affectionem ad potentias inferiores, nonnihil quoque à summi boni stabilitate desciscere & mutabilitatis vmbram induere: in qua nihilominus, supra facultates animæ cæteras, naturæ vnius ac stabilis imago pulcherrima semper elucescat. Quare & supra tres illius intellectus agentis facultates particulares, aliæ velut species à plerisque recensentur; Influere nimirum, Abstrahere, atque intelligibilem speciem procreare. Hæc autem singula velut in momento præstat, ac celeritate tanta in plerisque, vt sua vel inter discurrendum vestigia concitatus animus ægrè aut obseruare, aut persequi possit; multoque facilius sursum, deorsum, in orbem

agitetur, quàm qua via insistere dijudicet. Vnde & intellectum velut lumen Plotinus appellat, mira dexteritate perpetuo in se reflexum.

Etsi vero hic actus illius inconcussus quodammodo atque perpetuus sit; fit tamen, vt ipsi non percipiamus. Quandiu etenim principale agens vim suam vsque ad sensus limites non traducit, nondum per totam animam actio eiusmodi propagatur; quare nec dum agnoscimus, quippe qui vnà cum sentiendi virtute sumus, & perpetuo (nisi vt contenderimus ponere hæc simulachra sensibilia) per eandam ipsam à virtute superiore distrahimus, atque in vmbra potius cognitionis, quam veritatis luce iactati retinemur. Sed vt rem in pauca conferam, vnumquodque animatum quamdiu viuit, tandiu per se ipsum munus suum proprium subit. Verum tunc demum id nobis contingit animaduertere, quando facultatum fit mutua quædam traductio, ac velut actionum anguli diuersis agentibus prorogati circa medium complicantur. Recte igitur Plotinus; Atqui quamdiu in superna extitimus regione, in ipsa mentis natura (inquit) quondam felices nos bene gessimus, & in vnitatem omnia colligentes meditabamur: Intellectus enim tunc erat qui solus intelligebat, Anima vero quietem agebat, mentis officio atque actioni ritè concedens. Postquam vero huc delapsi sumus, vicissim animo per-

ſuaſionem inducere exoptamus, tanquam exemplar volentes in imaginem contemplari, etſi interim ratio naturæ ambiguæ ductu paulatim transferat imaginem in intellectum verum. Qui ſane idem eſt atque illa quæ verè intelliguntur veréque ſunt & omnium prima. Ex quibus facile patet, Mentem ſuperiorem, quæ in patria quondam ſua impartilis fuit, iuxta Platonicos, nunc rationem ſubire nonnihil diuiſibilem; & quæ quondam fuit cognitio pura, ſimplex, determinata, nunc factam vmbratilem, confuſaneam, & determinationis indigam, vel cuiuſdam excitamenti potius per ſenſum & rationem.

Hinc apparet Mentem ſpeciem vniuerſalem hominis, etiam ipſo abſente homine, retinere & conſiderare, non quatenus ab ipſis ſingulis habet hominum perſonis: nam tunc particularis eſſet; ſed quatenus nunc vmbratilis, confuſanea & determinationis indiga vniuerſalis eſt. Ariſt. duas aſſerit habere animam noſtram vires, agentem vnam, alteram vero capacem. Agens eſt, quæ ſpecies agit vniuerſales. Capax quæ eas capit ab agente conceptas. Quando igitur phantaſia in ſe hominis huius, vt Socratis, hoc tale ſimulachrum conſiderat, mox lumen virtutis illius agentis ſimulachrum illud pulſat, non aliter quam Solis radius aquam. Atque vt radius hic Solis ab aqua percuſſus in oppoſitum parietem, ibi circulum procreat ſplendidum atque tre-

mulum: ita lumen ipsum virtutis agentis pulsat particulare simulachrum hominis phantasia conceptum, atque ex eo simulachro in vim intellectus capacem reflexum, in hac ipsa inde speciem refert, sed hominis naturam singulis æquè communem, vbi species illa vniuersalis est.

Hinc manifestum est, quo pacto fit vnum ex illa specie, & intellectu. Quippe circulus ille inde natus, splendidus ac tremulus, parieti non satis vnitur, quia splendoris illius & parietis est nimium diuersa natura. At si in speculum inciderit, arctius vnietur. Tandem si in lumen solis idem redierit, vnde radius ille demissus fuerat, qui splendidum circulum procreauerat, prorsus in vnum coibit. Quid autem illa species est apud Peripateticos, quam peperit Intellectus, nisi scintilla quædam simulachri illius, quod à rebus collegerat phantasia, tum virtutis illius agentis, per quam Mens illa peperit? Quid autem nostra mens est, nisi scintilla quædam mentis superioris? Ergo species illa ita nostræ menti infunditur, vt scintilla rerum scintillæ mentis superioris & vt circulus ille splendidus Solis lumini, cuius radio fuerat procreatus. Quapropter ex mente atque specie ita fit vnum, vt ex duabus scintillis vna communis flamma siue duarum candelarum radiis vnum lumen, siue ex circulo illo splendido & lumine solis, fulgor vnus. Sed vt finem intelligibili huic

facultati imponam, notandum inter Deum & Materiam tria entium genera intercedere, nempe Res Intelligibiles propria appellatione, Res Intellectuales siue Intellectus participes, & Res obiectas: quæ quamquam à plerisque cum rebus intelligibilibus confundantur, in Intellectu habent se potius per modum magis minusue communem. Omnes enim res Intelligibiles sub obiectarum rerum ambitu comprehenduntur. At non obiectum quodlibet intellectu est perceptibile sub ratione qua intellectus existit. Quin etiam in ipso intellectu, si accuratius loqui voles, res omnis Intelligibilis siue Idea à subiecto distinguitur; in cuius gremio delitescit. quamuis, iuxta Platonicos, notiones sensibilium rerum solæ, nuper editæ vel ab anima conquisitæ à rebus sensibilibus separentur. Notiones vero intelligibiles in potentiam Rationalem ab intellectu transmissas vnum quodammodo cum rebus intelligibilibus ipsis esse constituant. Ens Intellectuale (vt ex Plotini verbis elicitur) omne id esse concipimus, quod sit Intellectus atque Intelligentiæ particeps, ex forma intellectus formationem obtinens, sub eiusdem actu vitam atque essentiam. Vnde & intelligentiam Plotinus nominat Actum reflexum essentiæ viuæ à bono dependentis, conatúque eiusmodi quærentis se simul & causam sui.

Intelligibile si cum re ipsa planè coniunxe-

ris, vti Plotinus in formis supremis & maximè abstractis solet, ad intelligentiam naturamque intellectualem velut motor existit, natura prior atque antiquior Verum si à rebus nonnihil separaueris, secundum acceptionem propriam, pulchrè omnem Ideæ rationem tibi ob oculos atque in animo constitueris, quæ nihil sit aliud, quam forma formæ effectricis interior, sic vnita tamen formæ principi atque intelligibili rei, vti Solis lumen luci ipsi; ac tantum per modum vel ordinem quendam differens in ea dimanatione, quæ fit à rebus intelligibilibus in intellectum. Aptè itaque comparabis rem intelligibilem Soli, & causæ effectricis superioris nomine designabis: Intellectum verò velut orbem elementarem, atque Solaris radij receptaculum appellamus: Ideam denique, velut instrumentariam formam atque effectricem secundariam, in Solaris luminis ratione statuimus, vt nihil sit aliud, quam rei intelligibilis emanatio in intellectum. Vel si ad Ideas quoque ignobiliores te conuerteris, radiorum specierumque defluxus à re perceptibili ad cuiusuis percipientis animæ sensum: ita enim & passiuas notiones sub diuisionis ambitu comprehendes, & mediam optimè collocaueris rationalem animam inter obiecta sensibilia atque intelligibilia omnis cognitionis extrema.

PAR-

PARTICVLARIS DE Rationali facultate consideratio.

RATIONALIS anima à mente diuina fit, & iungitur corpori, atque inter mentem & corpus obtinet medium. Si solum hæreret menti, vitam corpori non tribueret. Si solum hæreret corpori, intelligeret vtique nihil. Ergo hæret menti simul & corpori, sicut lumen, quod centrum tangit simul atque circumferentiam. Atque vt anima rationalis se habet ad corpus, sic mens ad animam se habet rationalem. Sed vita ipsa corporalis nihil aliud est, quam actus continuus animæ, transfusus in corporis huius complexionem, ab anima non recedens. Igitur intellectualis animæ vita nihil est aliud, quam intellectus diuini perennis actus, annexus animæ, non solutus à Deo. Et sicut animæ vita corporalia semina inserit rerum generandarum, ita Deus animæ cognoscendarum accendit igniculos. Vita corporalis est animæ rationalis simulachrum. Intellectualis animæ vita simulachrum est vitæ mentisque diuinæ. Corporali vitæ præsidet infima pars animæ, quæ est potentia nutriendi. Si hæc infima pars, quæ corpori iungitur, agit semper, & ipso suo esse quodammodo operatur: multo magis supre-

ma potentia, quæ validior eſt (quia ſuo fonti hæret propinquior) operatur ſemper, & per eſſe ſuum quodammodo operatur. Agit autem circa mentem, vnde effluit proximè. A mente enim ſolum mens effluit. Mens autem quæ ſupra nos eſt, quia purus intellectus eſt, puro intelligibili paſcitur, id eſt, pura fruitur veritate. Eadem noſtra Mens aſſiduè veſcitur, ſi epulis ſuperioris mentis accumbit. Quantoq; laudis & decoris interuallo Mens Rationem ſuperat, tanto & Ratio vim phantaſticam, phantaſia verò ſenſum atque naturam inferiorem. Etenim (vt Actuarij verbis loquar *lib. 1. de Spiritu Animali*) ſenſationum formulas excipiens Imaginatio, quaſi ab anima rationali ſuſcitata, inquirit pertractatque ſingulas, ſed minerua craſſiore. Tantum enim ineſt erroris atque veſaniæ huic infernæ animi parti, vt quæ vel ipſi naturæ conceſſa non ſint, ſibi vt fingat concedi liberum putet. Ac ſane in fœdiſſimos errores hæc nos cito præcipitaret niſi exploratrix ratio inſanos huiuſce impetus obiurgans acriter increpanſque, tanquam è ſpecula cohiberet. Namque hæc in alium rerum apparatum, in altius ſeſe theatrum conferens, ſpectra inania cum ingenitis notionibus confert, mox bonos promos condos imitata, quæcumque ab illa exegeris, partim ad manus habens, partim veſtigans altius, ſurſumque & deorſum verſans ſingula, poſtquam inuenerit elargitur.

Est autem Ratio *Intelligentia quædam latius explicata, quæque modò Intellectum attingens vniuersales rerum ideas intuetur, modo ad Imaginationem deuoluta, perque ipsam ad ingenium animalis vniuersalis, characterismos ad particulares vsque deriuat: modò has cum illis variè comparans, quo consentiant, quoque dissentiant, discernit & iudicat.* Ex quibus facile quisquis ingenio valet, omnem facultatis rationalis indolem perspicere & explorare, haud longa interposita cogitatione, potest.

Ne tamen in principijs ipsis iusto vel strictior sermo, vel obscurior plerisque videatur, paulo hunc latius quam proposueram extendam. Volunt Metaphysici Rationis discursum nobis vel maximè proprium ac penè solum perfectè circularem. Nam quum sit media inter diuina quæ semper manent & quasi consistunt, & naturalia quæ lapsu quodam motúque recto à se ipsis digredi solent: vna hæc meritò plenam ac solidam conuersionem adipiscitur inter statum rectumque motum quodammodo mediam. Idcirco & Plotinus sic Rationem quandoque intelligit, vt quamuis Natura sit vnica, & à cæteris facultatibus extremis actionis vere distincta, triplicem tamen, secundum accessum recessumque & circuitum varium, appellationem mereatur. Etenim quamdiu circa se ipsam voluitur, atque in se reflexa contuetur, propriissimè rationalis apparet totius conuersionis meta,

centrum atque perfectio. Cum ad intellectualem sese naturam recipit, ipsa & intellectualis efficitur. Cum ad imaginationem; animalis siue phantastica. Vt non ineptè illud ex antè dictis statui possit, veros discursionum circulos neque in phantasia, neque in intellectu ipso velut subiectis esse collocandos, sed potius in ratione media.

Nam quum intellectus stabilis sit, actionem non nisi stabilem prodit, qualis ex orbe solis purissimo defluit; dum lucis suæ radium in hæc inferiora transmittit: ille enim licet per lumen atque viuificam qualitatem orbes cælorum perrumpat intermedios, naturamque ęthercam transiens per aërem demum atque elementa cætera vsque ad vniuersi centrum permeet, motum tamen alium à cęlesti nullum habet, nec propriè ad corruptibilem hanc regionem peruenit, sed contingit tantum, secundum radiorum scilicet continuam dimanationem. Imaginatrix potentia instabilis quidem, instabilem actionem suscitat, quę tamen propter ordinis inopiam & cohęrentiæ (quorum vix vmbram satis assequitur) in solidum circuitum suapte vi pertrahi minimè potest. Itaque in intellectu sunt quidem omnium circulorum ideæ perfectissimę & maximè stabiles: sed quia propriè non mouetur, nec ipse est propriè qui discurrendo circuitum facit, verum ipsamet ratio iam intelle- ... intellectus radio perfusa scilicet, atquę

ex illo non aliter quam ex puncto linea nascitur, primam ascensus descensusque semitam ducens. In qua profecto simplex & primum apparet conuersionis totius rudimentum, quale in linea orbiculatiter in se reflexa, quam circuli circumferentiam vocant. Ex hoc principio ascensus descensusque & circuitus primi, vti diximus, fiunt in longitudinem solam & iuxta relationem quę fit æquiuocè ad idem commune punctum siue principium. Banique conuersionem idcirco Metaphysicam dicimus & ab intellectu dependentem, quod quamuis ratio sit causa proxima, hęc tamen non à ratione (vt ratio est) perfici videatur, sed quatenus à notionum radio à mente superiori formetur. In phantasiæ sensu verius conuersionum vmbras quasdam & typos rudiusculos, quam solidos circulos possumus animaduertere: non quidem propter stabilitatem animæ, vt in intellectu vsu venerat; sed propter motionis ἀταξίαν. Nam quamuis ascendat descendatque, variè etiam componat ac diuidat: in orbem tamen hęc minimè venit, nisi intercedens ratio spectrorum mobilitatem, infusæ desuper mentis stabilitate, vinciat ac refrenet. Illa etenim rerum addiscendarum formulas partim ex se ipsa possidens, partim ex alto hauriens, intelligentię lumen in phantasiam defert. Vnde & phantasiam afficit ratio, & ab eadem rursus afficitur iuxta diuersas obiectorum species, quę

per intellectus lumen abstractæ & per rationem sublatæ altius expenduntur, donec in orbem reuolutis omnibus

Concretam exemit labem, purumque relinquit
Æthereum sensum, atque aurai simplicis ignem.

Hic autem orbis secundus nondum quoque ad Sphæræ aut orbis perfecti essentiam vsque pertingens, instar tantum superficiei orbicularis appelletur, qualis rotundi colossi forma (si basim vtrinque acceperis) rudi quodam modo concipi potest. Nascitur quidem ex simulachris, sicut punctis pluribus, à ratione, media iuxta similitudinem superficiei & in se ipsam reflexa circumducitur. A radijs autem superioris intellectus ac notionum occursu vndique, velut lineis quibusdam, terminatur: ideóque non ineptè à sensu ac phantasmatibus orbem alterum educimus, vel potius orbis rudimentum superficiei scilicet orbiculari comparabile, in longitudinem & latitudinem exactam prorogatæ. Quamuis interim latitudinis ratio ab ipsa propriè imaginatrice facultate dimanet, includens longitunem haud aliter quàm superficies lineam, & discursus Physicus priorem hunc Metaphysicum: Et nos hanc quoque conuersionem Physicam appellamus, cum relatione vniuoca scilicet ac secundum idem commune principium. Quod quamuis eam potissimum ratio prętet atque perficiat, non tamen id ratio possit vt ratio solum, sed quatenus rursum à

spectris sensibilibus primum sibi agitationis momentum asciscat, ac deinceps per occursum radiorum ex mente superiore eandem illustret, foueat, atque concludat.

Cæterum proprijssimè rationis, in rationalis animę tanquam meditullio constitutæ, propria quædam virtus est statuenda, qua circà se ipsam voluitur, orbem sibi peculiarem fingens discursu logico, ad medium quendam idearum ordinem (qualis nimirùm cum ratione conuertitur, & rationalis discursus seminarium appellatur) explorans singula hic & se velut in speculo contuetur, atque animi totius extrema componit. Nam quæ similitudinem seruant (vt inquit Max. Tyrius) inuicem comparat & quasi omnia connectit, confusa aut repugnantia diuidit, inordinata in ordinem, dissonantia in consonantiam redigit. Sit ergo hæc species conuersionis tertia, orbem præ se ferens longè absolutissimum, quodammodo rursus ex pluribus compositum, non tanquam partibus, sed principijs à quibus dimanarit, vti corpus à puncto nascitur, producto in longitudinem primo, deinde ex longitudine paulatim in latitudinem atque profunditatem. Nam sicut altitudo corporea siue profunditas & lineam & superficiem continet, ita & ratio quodammodo intellectum, cogitationem, ac phantasiam, partim sanè à facultatibus extremis; partim à seipsa suæ motionis auspicium sumens, easdem rur-

sus extremas plena conuersione ligans atque perficiens.

Sed vt rem alioqui obscurissimam in compendium contraham, Mens primum actiua in totius huius theatri fastigio posita actu perpetuo lucet, quæ tamen potentiis inferioribus non semper æque fit perceptibilis, nisi cum ipsius vicinæ rationis flatu, tum à simulachrorum quadã similitudine prouocata ideis fœcundum radium vsque ad inferiora demittat. Huius enim intuitu ratio, velut amplius animata, in rebus vix benè per sensum animaduersis ordinem deprehendit, connexumque mutuum & relationem ad vnitatem quandam, sed rudem atque vmbratilem; sub nomine finium scilicet, causarum, principiorum atque elementorum in quauis actione atque notitia. Vnde per notiones firmata vis rationalis ascensus descensusque scalam primam, velut in logitudinem trahens, classes constituit, quibus obiecta modò post sensibilia sistat, vt in istis adhuc mobilibus & inconnexis dependentiæ mutuæ seriem deprehendat, atque ita per causæ cognitionem veram scientiam assequatur. Ex aduerso Menti facultas imaginatrix, rationi mediæ conceptas, per sensum & adhuc dispersas species sensibiles profert: à quibus incitata ratio mox vltro citroque fluctuat, orbi priori transuersim alterum ducens & κατ᾽ ὀρθόγωνον, in quo res ante diuulsas secundum idem commune principi-

um spectans in naturarum vnitatem vniuocam trahit, vel vnitam rursus in plures dirimit, donec vtrinque sæpius vel extrema contingat. Quibus peractis adiungit circulum tertium, vti diximus, sibi proprium atque familiarem in notionum atque imaginum copula consistentem, & relatione quæ circa idem circa seipsam voluitur, siue circa ideas potius rationi insculptas, qua ratio verè talis existit. Ergo res primum simplices sese offerunt intellectui nostro, quas sensus multiplices videre facit atque confusas. Ratio vtrinque affecta primum classes caussarum ad finem vnumquemque dirigit secundum ordinis ideam, quam à Mente suscepit, vbi sæpè & plenam conuersionem perficit, deinde adhibitis singularibus per sensum receptis, in phantasiam primum per epilogismum ascendit, rationale atque irrationale in vnius sensibilis speciem colligens (quam actionem plerique compositionem, rectè alii resolutionem nominant, instrumentum naturâ diuisioni oppositum, ipsaque prius multò atque antiquius.) Sensibile veré & insensibile rursus in vnius animati naturam congregat, animatum atque inanime in corporeum, donec ad substantiam recta quadam discursione pertingat. Post eadem rationalis vis subinde aspirans, in circulum per analogismum ex vniuersali notione procedens, substantiam, primo corpoream; in animatam atque inanimem separat, anima-

tam rursus in sensitiuam atque insensilem; sensitiuam in rationalem & rationis expertem. Postremò hæc eadem virtus sui ipsius imaginem contemplata, circa se ipsam vertitur, & res diuersas componens inuicem, aut connexas separans, tertium quendam instrumentorum circulum peragrat, cuncta explorans altiùs per definitiones, diuisiones, & demonstrationes. Atque hic partim ascensus descensusque ordinem subit ex instrumentorum diuersi generis collatione mutua, vt quoties à definitione ad diuisionem, & hinc ad demonstrationem expatiatur; partim eiusdem generis instrumentorum comparatione ad se inuicem facta, vt à definitione communioris ad definitionem minus communis, & è conuerso: partim denique instrumentorum ad suas partes atque principia è quibus contexuntur, vt definitionis ad genus & differentiam.

Hæc nunc de natura & facultate rationis, deq; agendi modo satis prolixè tradita altiùs tamen quisque insigat velim, si & ea quæ à nobis dicta sunt dudum dicendaque & repetenda insuper probè assequi volet.

DE IMAGINATRICE facultate particularis consideratio.

HVMANI sensus, tanquam in vestibulis animæ excubantes, discursionum principia à rebus externis hauriunt, eaque intro ad mentem vsque transmittunt. Mens autem primo à sensu in obscurissimam nebulam præcipitatur, dum imaginum varietas formarum vnitatem prorsus eludit, identitatem altereitas, similitudinem veram adulterina similitudo corrumpit, sic vt animæ nostræ, secundùm Plotinum, hic peruagari tantum iudicentur circa eorum imagines, quorum in patria viderint exemplaria atque archetypum primum. Verum cum Animæ rationalis descensus à Deo summo sit institutus, propter aliud bonum maius, propterque totius fabricæ symmetriam, fit vt idem sensus qui lumen superioris facultatis obscurarit, mediæ rursus rationis felicitati plurimum conferat, processuque continuo tandem & mentis actiuæ radium commouet, qui etsi in actu perpetuo vigeat, quum tamen actu non semper à ratione percipi possit atq; distingui, horum tamen simulachrorum similitudine quadam vmbratili cum speciebus, in suo gremio sepultis, rationi sese communicat, & ad

infimem vſque particulam animæ totius penetrat, ſic vt ex ſenſu & imaginatione naturarum intuitus primi protinus efflorefcant, per relationem, ſecundum commune quoddam genus plurium; vel vnius in plura ſecundum eandem rationem diductæ. Quibus confeſtim intellectus radij certas aſſignant ordinum claſſes. Vis autem rationalis (vti iam ſæpius dixi) & ſpecies ſtabiles & fugaces inuicem miſcens atque contemperans, extremorum omnium iudicem ſe ſimul atque arbitrum præſtat.

Neque modum diſcurſionis in phantaſia quendam, ſed perobſcurum inde denegamus: nam in animantibus brutis animæ totius apicem non vſque adeo ſub ſola imaginatrice potentia collocandum eſſe cenſemus, quam & rationis paſſibilis characterem paulo altius eminentem obtinuerunt, etſi turbidum valde, & à Mentis ordine humanæque rationis præſtantia oppidò alienum cenſeamus. Quin ſi liberius loqui cum Platonicis liceat, videtur & rebus omnibus infuſa diuinæ mentis particula, quæ tamen animabus hiſce inferioribus non ſeſe inſinuat, vt hominibus ratio; neque rurſus aſſiſtit proximè, vti intellectus rationi: verum vt phantaſia potius rationalis, vt exterior tantum dux ac gubernator quiſpiam, diſperſas res in multitudinem, pulchri rurſus afflatu continuaque per gradus ſimilitudine in vnionem atque conſenſum vocans,

quò & illud fortè Maronianum ſpectat:

Eſſe apibus partem diuinæ mentis, & hauſtus
Æthereos.

Tam præceps eſt huius potentiæ ſpiritus, multiplex, rudis, atque inſtabilis, moueri etenim conatur ſurſum, deorſum, at in orbem ægrè perducitur, niſi à ratione velut per manus circumferatur, vnde huius conuerſionem ſubiectiuè non tam in ipſa phantaſia, quam ratione phantaſtica, vt dudum dixi, conſtituo, etſi ab imaginibus ipſis totius circuitus primum auſpicium trahat.

Quumque ita ſit natura comparatum, vt non ſolum imago maiorum in rebus minoribus ab ipſo exortu protinus eluceſcat, ſed & continentium in contentis, atque totius cuiuſque in partibus ſingulis idea perſiſtat: non inutilem imo pernecesſariam ſtudioſo lectori operam nauaſſe credar, ſi omnes Animi facultates accuratiſſima diſtributione ab vnitate in ternionem, & inde ad nouenarium eius quadratum, & inde ad ternarij cubicum 27. non inutili analogia exhibuerim: tum ſi ex aduerſo informationem materiæ, eiuſque ab incorporeo ad corpoream naturam progresſum, principia, elementa, gradus, oculis ſubjecerim, iuxta tabulam & diagramma accuratiſſimum, fini huius capitis appoſitum, quod literis & characteribus ſuis ornatum inue-

nies. Cuius inſpectu omnia quæ hactenus de Anima dicta ſunt, aut quæ deinceps de actu & viribus Animæ, eiuſque in materiam adumbratione dicenda erunt, leui intuitu inuenientur.

Vt omnium igitur Intellectuum mutuam videas colligantiam, ſcito imprimis, *Eſſe* ipſum atque ipſum *vnum* quod ex ſuperfluenti bonitate extra ſe in alia quoque naturarum genera fluxit, paulatim delapſum, velut per gradus à perfectiſſimis naturis per imperfectiores ad imperfectiſſimas defluxere, & demum deſinere in materiam primam, quæ penè nihil eſſe videtur. Hinc in Deo primum colligimus eſſe quoddam abſolutum, verum, & ſupereminens; in intellectu eſſe intelligibile, in anima eſſe naturale. In primo ente ſpecies rerum per modum cauſæ & maximè vnius collocantur; in ſecundo ſiue intellectu per modum ideatum primi in mundo quodam exemplari atque intelligibili primo. Quantòque deinceps inferiorem ordinem mundi res obtinent, tantò magis & ab vno delapſæ in multitudinem, modum nempe ſuæ cognitionis magis mutabilem & partitioni obnoxium trahunt. Proinde Max. Tyrius Philoſophus mentem diuinam rectiſſimè Soli comparat, cuius poteſtas eſt vno ſimul intuitu cæli & terrarum opera omnia latè inſpicere: humanam vero, inquit, more viatorum, non niſi mora longiſſima ac diuerſis temporibus vni-

uersi regiones peragrare.

Pulchrè autem totam hanc extremorum & medij collationem ad pyramidis corporeæ similitudinem referemus, iuxta diagramma in fine capitis, vbi intellectum sane Metaphysicum in A. quasi cono pyramidis pingemus. Imaginatricem vero aptè in pyramidis basi E. I. Sit enim triangulum isosceles A.E.I. loco pyramidis, cuius conus erit A. ad quem velut centrum confluant ex basi E. I. omnes lineæ AE. AF. AG. AH. AI. dicam oculum in A. punctum constitutum, intellectui comparabilem, in C. Rationi, in D. facultati imaginatrici; atque ex A. quidem discursum Metaphysicum, ex E. F. G. H. I. Physicum optimè deprehendi. Ab vltimo enim ad primum discurrens physicè, versus anteriora conscendit: vbi per rationem progressus, simul atque orbem expleuerit, supra ditionis suæ sortem omnia simul pernoscit. At non perdiscit simul, verum discurrens in tempore. Nam cum proprios singulorum conceptus vice ipsa gerat, per singulos ipsorum discurrat est necessarium, vtpote per E. F. G. H. I. huius prius, illius vero posterius, intercedente Ratione C. vniuscuiusque iudicium proferens. Quemadmodum oculus in basi E. F. G. H. I. constitutus non omnia simul puncta circumspicit, verum per agitationem quandam ex vno in alterum. Intellectus verò Metaphysicus omnia per vnum idemque punctum commu-

ne omnibus intuetur, simul cuncta ac velut in momēto perdiscens, de cūctis iudiciū profert.



Sed melius & aptius sensibilia omnia vt & intellectualia per præsentis figuræ delineationem percipies. Sit enim pyramis corporea A. B. C. In cuius pyramidis cono sit oculus existens A. Intellectui Metaphysico, sit D, rationi ad sensibilia inclinanti, sit E, facultati imaginateici, F, vero facultati corporeæ comparabilis. Dico oculum in A, constitutum vno eodemque intuitu per vnum idemque punctum simul cuncta quæ sunt circa pyramidem corpoream in D, E, & F. Velut vno intuitus momento conspicere, perdiscere & de cunctis iudicium ferre. At vero in D, E, F, non simul conspicere, sed per quandam transmigrationem & circuitum & ex vno in aliud quasi translatum non nisi separatim & in tempore de cunctis iudicare.

Hoc pacto Mens, vertex humanæ speciei, penes se ipsam permanens Intellectus agens proprius

proprius appellatur, sursum aspirans intellectui communi adhærescit, & quodammodo diuinus efficitur; vti deorsum tendens, Rationalis. Pari negotio Rationem quoque humanam nunc Rationalem appelles licet, nunc Intellectualem atque Phantasticam. In phantasia demum quis vetet partiri simili modo, atque hanc quidem inter extremas propensiones mediam proprissimæ phantasiæ nomine recensere? Illam, quæ magis ad naturam rationis accedit, phantasiam rationalem? Quæ vero ad sensus lapsa demittitur, sensualem nuncupare? Ita mehercule in infima virtutis imaginatricis regione, sub phantasiæ scilicet sensualis nomine, sensum communem optimè comprehendes, in imaginationis medio diuisionem ac compositionem rudiformem & momentaneam, in eiusdem apice rationem quoque subobscuram siue illationem confusaneam consequentis ex antecedente, qualis vel in brutis apparet, ac non tam ratio verè, quam imaginatio quædam rationalis pulcherrimè à nobis æstimatur. Eam in hisce animantibus, velut præsidem potentiisque cæteris antesignanam constituimus, quippe quæ bruta nobis proximè deuinciat, vti mens actiua nos copulat intellectui primo.

Nunc autem quum ad sensibilium rerum imaginem promptiùs insensibilia cætera intuemur & percipimus, ad similitudinem corporeæ molis, pulchrè animam eiusque facul-



tates primo sub circulo includimus, & ad huius exemplum mundum sensibilem similiter. Sint igitur duo Circuli α. β. γ. Quorum prior mundum insensibilem, secundus sensibilem continebit. Ambo sub cæli & terræ nomine *primo Geneseos* denotati, à Lucretio corporis & inanis sub corporis nomine, mundum sensibilem sub inani, mundum insensibilem significante. Supra diametrum primi circuli A. B. C. D. G. constituentur alij tres circuli B. C. D. Ea proportione vt secundus C. nempe sit vna tertia parte maior prima B. Tertia autem D. tertia vna parte diametri maior secunda C. Qui tres circuli B. C. D. in circulo α. β. γ. repræsentabunt diuisiones animi in Mentem seu Intellectum, Animam seu rationem seminariam, & Phantasiam seu Naturam, vt Animæ diuisionem velut secundum longitudinem ductam. In circulo B. inscribatur cordis forma, cuius apex erit A. basis vero in oppositam circuli peripheriam extendetur. Insuper diuidatur diameter circuli B. in tres æquales partes secundum longitudinem, per arcus ab vna cordis latere ad aliud ductum. Et ita figura illa cordis secabitur in tres æquales partes. Nunc vero duc figuram oualem à basi ad apicem secantem duas priores circuli sectiones ad angulos sphærales rectos secundum latitudinem. Et ita prima hæc figura cordis diuisa erit in 9. regiones, iuxta nouenariam cuiusque facultatis distinctionem. Denique duo alij circuli eodem prop-

sus modo depingantur, vt impleatur Circulus magnus, secundum longitudinem facultatis, vt partes in suo toto: eruntque in singulis, iuxta characteres arithmeticos depictos, duæ scalæ vtrinque vna descendens, altera ascendens; & in vnaquaque tres gradus apparebunt, iuxta reuolutionis ordinem in animæ partibus singulis, à conceptu rerum obiectarum, per compositionem ad memoriam receptricem. Atque inde rursus ex altero latere à memoria promptrice seu reminiscentia per diuisionem ad partum, qui cum conceptu in facultatum vestibulo collocatur, ac voluntatis speciem sub se comprehendit. Tandemque descendendo ab Intellectu communi simili, per mentem intellectualem ad intellectum rationalem ad inferiora descendentem. Sed fœtum suum omnibus formis, vnico semper ac stabili actu conceptum, intus prius parit & inspicit, quam foras emittit. Et si tanto quid est impurius, quanto minus agit & magis patitur, corpus superficie est impurius: superficies vero cedit lineæ, linea puncto; punctum vnitati; quæ neque dimensionibus, neque situ indiget, sed sola in se lucet. Proinde mens omnes omnium formas vnico & stabili semper actu concipit, paritque intus & inspicit. Oportet enim omnem vitam, prolem potius penes se ipsam generare, quam seorsim. Et quo præstantior est vita, eo & præstantiorem sibi generare prolem necesse est. Et hinc ani-

ma rationibus seminarijs grauida proficiscitur, & tanquam mentis æmula similem quoque conceptum, & partum, & intuitum affectat. Itaque quum nequeat anima, mentis instar, vno intuitu totum consequi, conatur saltem, per successionem quandam temporis, actibus in ipsa multiplicibus assequi. Quapropter modò formas viresque alias edit, modò alias: actionesque progressu multiplicat, seminalesque proles explicat multiformes, & in materiam infundit. Hinc Boëtianum illud:

Mentemque profundam
Circuit, & simili conuertit imagine cœlum.

Non quòd species intellectuales nascantur propriè, vt supra dictum; sed partum talem intelligo, cuius productio est quædam in rationali parte coruscatio, per quam mentis species antea coarctatæ efflorescũt altiùs. Quum igitur mens in instanti agat, dicitur circulus immobilis, tum quod vicinior: Anima autem quum in tempore actiones suas proferat, meritò dicitur circulus mobilis, & circa mentis, circulum mouens: omnes enim eius motus sunt in spatio primo, per virtutem videlicet & exemplar. Ascendit igitur ad causas anima, descendit iterum ad effectus. Ad dextram mouetur atque sinistram, coniugia pensitans. Antè procedit, retroque recedit, posterioribus scilicet compensans. Denique mouetur

in rectum, aliud semper ex alio sumens, in obliquum quoque se contuens, in circulum denique. Tum vbi reuolutiones à formis ad formas, easdem denique refert, tum etiam quando à causis ad effectus progressa ad causas iterum regreditur. Tum denique dum ipsa ad parentes suos vnde processit, affectu prorsus, & contemplatione conuertitur. Et quoniam eiusmodi motus ad exemplarium amussim, quæ constans & immobilis esse debet, producuntur, sciendum aut denuò mente reuoluendum, quæ supra de exemplari tam hic, quam alibi dicta fuere. Et imprimis hoc exēplum ad causæ agentis rationem magis spectare, quum agens non nisi ad exemplaris modum & formam agat, vt inde imaginem exemplari similem producat. In omni igitur actione quatuor videntur consideranda, agens, patiens, exemplar, effectus actionis, seu imago ad exemplaris formam fabricata. Et vt hæc proposito nostro quadrent, paradigmate illustrabo. Concipe summum parentem, mundum ex nihilo creantem, cuius radij ex amplitudine diuina in conum primo diffusi pyramidalem, quasi tres diuinæ substantiæ dimanationes, inter primum principium & mundum, essentiæ scilicet, vitæ, & intellectus. In quibus quum in vnita te vigebant in ipsis exemplaria omnium rerum, erant per modum causæ, ad quorum exemplar emicuit intellectus communis siue mundus archetypus atque intelli-

gibilis, primum per radium diuinum formatus, & instar Solis, Dei radios exceptos in continuum ſpargens. Sit ergo mundus archetypus loco exemplaris, intellectus loco actiui principij aut eſſe ſimili, eſſentia loco paſſiui. Vita autem priorum imaginem repræſentabit, vnde tres illi ſupra dicti circuli, ad exemplar mundi archetypi concepti, tres prædictas animi facultates repræſentabunt, nempe Intellectum Ideis rerum refertum, Animam Rationibus ſeminariis, Naturam ſeu vitam priorum imaginibus refertam. Et quoniam omnis vita parentum ſuorum æmulatione in fœtus productione inardeſcit, pari ratione vbi materiam aptam inuenerit; aut ſi non, inuentam infinitis actionum circuitibus elaborã, agitando format & in ſenſibilem tum corpoream naturam, exemplari ſuo conformem, redigit, vnde in mundum ſenſibilem hunc, omnibus ſuis ornatum formis, emergere percipimus. Sed qualis ſit iſta materia, alius & commodior erit dicendi locus. Sufficit ea de hac re in mentem reuocare, quæ *capite ſexto & ſeptimo* demonſtrata fuere: tum quæ *Capite* 12, & 13. huius tractatus, de huius materiæ natura pertractabuntur. Ex quibus palam fit, Deum ex nihilo materiam quandam informem creaſſe. Informem dico, quia adhuc actui ſuo non coæquabatur: ſed erat confuſa quædam maſſa, nullam aliam quam externam & inconnexam formarum faciem obtinens.

Qualem ex sacris literis deprehendimus fuisse terram inanem & vacuam, quam nos Chaos inane & vacuum vocabimus. Inanitas vero & vacuitas quid nisi incorporeitatē eius demonstrat? At quum incorporea talia sint, quæ in minimas partes sensu secari haud possint, quis dubitabit deinceps hanc informem massam ex infinitorum atomorum congerie confusa & inconnexa fuisse compositam? Ex qua, quasi ex infinita abysso corpora ideis, rationibus seminarijs, tum formis congruentia in mundanam scenam proditura supponimus. Et quum esse simplex, præcedere debet esse quantum: & esse quantum corporeum: necesse fuit ad hoc inanime Chaos, ad informationem destinatum, triplices accessisse phœnomenωn rationes, quasi mensuras, tum ad corporeitatem, tum ad ipsam vitam corpoream diuersas, quasi præcursores; locum nempe, tempus, & ordinem. Quibus tres animæ facultates correspondeant. Intellectuali, Locus adaptetur, quem stabilē esse diximus: Rationi seminariæ Tēpus, quū hoc illius circularem motum vndiq; limitet. Vitæ autem ordo indissolubilis vndiq; comes deprehendetur.

Intellectus ergo seu vis vocis illius qui ferebatur super abyssos, vt principium actiuum ab insectilibus huius massæ partibus incipiens, *mox agitat molem & cæco se corpore miscet*, primóque in longitudinem nectit atomos passiui principij, quasi puncta varia: vt

inde ex non quanto & non extenso, fiat secundus gradus corporeitatis, linea nempe per se quanta, & extensa; sed non adhuc corporea. Deinde à lineali ratione per qualitatem & spiritum pergit ad superficialem, multas lineas in Loco & Tempore ad superficialem naturam simul connectens. Tertio ex atomis, lineis & superficiebus, totius corporeitatis rationes (hoc est linealis, superficialis & profunditalis formas præ se ferentes) producit, vnde ordo, & sex dierum series illico apparuit. Primóque lux facta fuit, quasi primus pullus ex incubatione spiritus super aquas, hoc est super atomorum confusam congeriem, aqueam præ se ferens formam. Deinde separata fuit hæc lux à tenebris, nempe à reliqua parte illius massæ.

Nam cælo terras & terris abscidit vndas,
Et liquidum spisso secreuit ab aëre cælum.

Non tamen ita separata fuit, quin remanserit in abyssi penetralibus defæcatior & crassior eius pars, quæ cum elementis maximam habere censetur conuenientiam, vt infra dicetur.

Nunc vt ad exactiorem diagrammatis explicationem me accingam, in vniuerso rerum theatro, in eiusque ex nihilo creatione tria ad humani animi notionem veniunt animaduertenda, nempe Conceptus, Progressus, & Partus vniuersi, per tres magnos circulos characteribus græcis designatos α. β. γ. Quorum su-

perior mũdum Intelligibilem ſeu conceptibilem (in ſacris cæli nomine deſignatum) Ideis, Rationibus ſeminarijs, & formis actiuis rerum fiendarum refertum, repræſentabit locum actiui principij. Inferior verò, (terra inanis & vacua dicta, quam antiquum Chaos veteres Cabaliſtici vocabant) ſit loco principij paſſiui. Et quum agens omne ſubiectum aliquod obtinere cenſeatur, in quo actiones ſuas prodat, ſtatuamus ſuper has aquas ſpiritũ Archetypum, id eſt vim diuinæ virtutis incubaſſe, vnde illico progreſſus rerum primus apparuit, quouſque omnia ſpatio ſex dierum creata fuiſſent: Tunc apparuit Partus ſeu mundus iam ſenſibilis & formatus, per medium Circulum repræſentatus, in quo opera ſex dierum manifeſtè delineantur. Ad prioris igitur circuli exemplar animo concipe creatam fuiſſe inferiorem, & ad vtriuſque formam per actiui & paſſiui mutuam complicationem, tertium ſeu medium.

Nunc vt propiùs ad rem accedam, & ſupremam actiui principij rationem oculis ſubijciam; Intuere ſupremum Circulum, & concipe animo dimanationem omnium Idearum, quaſi radiorum Solarium, non aliter ab vnitate in multitudinem progredientium, quàm quum Solis radius ex orbis illius ampliſſimo, vel orbis diametro potius, per foramen anguſtum in obiectum parietem alterum, conum pyramidalem efformet: atque in ipſo parietis

foramine proximi sic radij obliquati in continuum proferantur, vt transuersi penitus parique proportione digressi, qua dudum colligebantur, in oppositam. Alterius muri planitiem decidant, orbemque fulgidum ad Solis similitudinem referant (quemadmodum pulchrè obseruatores eclipsium docent) tantò sane ampliorem, quanto à foramini: longius transuersi radij in continuum prorogentur, adæquaturi scilicet globi Solaris amplitudinem, si æquali spatio à cono deciderint, atque pridem à Sole defluxerant. Ita & Idearum influxus à superna vita seu luce increata, Solari forma in triangulo depicta, in inferiorem deriuati ex angustissimis maximè in angustiam particularem rediguntur, donec à materia atque corporibus reflexi, iterum in humanos animos, ex singularibus facti vniuersales, amplitudine pristina potiantur. Lux increata concipitur Solari forma, quæ ex angustissimo α, & ω, in angustissimum A. redigitur, & inde protrahitur ad materiam K. L. M. N. O. in quam agere excogitatur, iuxta voluntatem Archetypi radij, extensi ab A. in K. & O. Vndique concipiuntur illi radij distingui in tres gradus maioris & minoris perfectionis, promanantes ab vno, vero, bono, per essentiam siue exemplar in apice A. A quo vsque ad E. & I. qui includunt Circulum B. sit distinctio in Esse & Ideas. In Circulo C. comprehenditur Virtutis & Rationum gradus. Sub circulo

D. continentur gradus actionum & seminum.

His gradibus ex opposito & passiuo principio correspondent supra apicem A. inordinatum & cõfusum Chaos, exatomis infinitis & inconnexis coaceruatum. In apice ipso A. correspondebunt Essentiæ & Exemplari. Atomus & vnitas in circulo B. Esse & Ideis conuenient, in materiali principio Linea & Terminus, in circulo C. Virtuti & Rationibus æquabuntur Superficies & Tempus. In Circulo D. actioni & seminibus, congruent in passiuo principio Corpus & mixtio. Et ex tali conceptu in actiuo, vt masculino principio, tum progressu in passiuo & fœmineo, apparebunt in vtriusque proportione media seu partu, quatuor phænomena parentibus similia, nempe in cælesti regione Lux, in ætherea regione Splendor, in elementari Lumen, in compositis calor & similes qualitates.

Præterea recurrendo ad actiuum principium & ad eius supremum circulum seu orbem B. quasi centrum omnium, inuenies distinctum in nouem ordines, arithmeticis characteribus designatos, qui tamen ad vnum opificem, ad duo, nempe intelligibile & intellectuale; qui tamen tum ad tres referri possunt hoc pacto. Sit 1.7.6. supremus ordo Circuli B. Sit 3.9.4. infimus ordo. Sit 2. 8.5. medius & vtrorumque copula & nexus. Supremus ordo repræsentabit Ideas actiui principij,

infimus passiui, medius proportionem mediam, & ita de alijs.

Præterea ordines hi iuxta proportionem arithmeticam repræsentabunt radicem Quadratam & Cubicam, procedentes ab vnitate ad ternarium, qui in se multiplicatus producit 9. numerum quadratum, qui per 3. multiplicatus producit cubum, 27. ordines per actiuum & passiuum principium dispersos, tum in vtriusque partium medium. Denique ad 6. & 7. si vis non secus ac triangulus isopleurus qui ex senario constitutus ita ∘ resoluatur, vt basis quodammodo ternio ∘∘ ∘∘∘ nem integrum, tum ex actiuo & passiuo principio, tum vtriusque medio seruet. Vnitatem verò superior vertex, sed basin vertici duo connectunt latera, velut binario inter ternarium & vnitatem medio. Vnde cùm ex vnitate, binario, ternario, inuicem copulatis, senarius fiat, merito illum Pythagoras τῆς μεγάλης συγγαμίας seu magni connubij numerum existimat, cùm vniuersi nuptiæ huius mysterio in septenarium maximè celebrentur.

Nunc autem particularior fiat horum ordinum demonstratio. Et primo ad facultatem intellectualem quod attinet, talis erit eius partitio.

VIRTVTIS INTELLEctualis orbis, eiusque velut longitudinis, latitudinis, & profunditatis idea.

A Sinistra scala incipiens per synthesin, vbi conceptus primi rerum obiectarum primò considerantur, & ad memoriam receptricem aut retentricem transmittuntur: inde quasi per analysim ex altero latere à memoria promptrice seu reminiscentia ad partum qui cum conceptu in facultatum vestibulo sese offert.

Primus itaque ordo designabitur à sinistra per figuram 1. & denotabit facultatem conceptricem Notionum, Idearum, seu Exemplarium, rerum faciendarum. Secunda erit conciliatrix Notionum, Idearum, seu Exemplarium conceptricis facultatis cum retentrice. Tertia, ex aduersa & dextra scala erit. Quarta, nempe reminiscentia intellectualis, seu promptrix Idearum. Quinta erit discretrix, seu distinctrix reminiscentiæ. Sexta, quæ est velut obstetrix vtriusque scientiam habens. Septima erit Mens seu intellectus communi similis. Octaua erit intellectualis Mens & centrum penes se consistens, inter intelle-

ctum communi similem, & intellectum rationalem r[illegible]ium actu ad inferiora transmittentem, non solum media, sed superiorum & inferiorum omnium facultatum mutua in vnum colligantia. Et sic de intellectuali.

Sequitur orbis rationalis distributio.

ORBIS RATIONALIS
aut seminarij distributio.

PRIMVS huius ordinis ductus incipiet vt supra, à 10. & erit facultas receptrix Rationum seminariarum. Secundus erit compositiua Rationum seminariarum, notatus per 11. Medius inter receptricem; quæ 10. est, & 12. quæ retentrix seu memoria rationalis dicitur.

Ex aduersa scala erit reminiscentia seu promptrix rationum pro 13. ordine. Eum sequetur diuisiua rationalis, vt extremorum scientifica & media; charactere 14. notata. Hanc obstetrix rationum seu voluntas rationalis sequitur, notata 15. Hanc Ratio intellectualis sursum mobilis 16. Quam cum infima, quæ est Ratio phantastica deorsum fluens, & 18. ligat 17. nempe Ratio rationalis propriè dicta, centrum penes se consistens.

Orbis phantastici distributio.

ORBIS phantastici initium erit à 19. repræsentans phantasmatum seu imaginum facultatem conceptricem. 20. erit compositiua imaginum supremi & infimi ordinis, suæ scalæ media. 21. & est retentrix imaginum seu memoria. 22. erit prōptrix imaginum. 23. erit diuisiua imaginum, facultas extremorum scientifica, & media. 24. erit obstetrix Imaginum. 25. erit Imaginatio rationalis, seu memoria alas sursum explicans. 26. erit imaginatio intima seu phantasia media. 27. Imaginatio sensualis seu sensus communis.

Nunc denuo vt animæ gradus eiusque in materiam ex nihilo creatam actum, atque sic systema vniuersum supra positum viuidius assequar, hoc accurratè prius expendi velim circa animi facultatem vnamquamque, præter formam essentialem, principem atque gubernatricem, tria in memoriam reuocanda esse, ad illius omnem actionem velut instrumenta maximè necessaria. Primum, vt spiritum, quasi animi vim, mente concipias: cuius munus est præcipuum, vt formam inducat, inductamque suo carpento siue vehiculo iungat. Secundum auram quandam tenuem, natura corporea nonnihil superiorem, spiritus quasi præcursorem & vehiculum, in qua & rerum faciendarum Ideæ latent secundum

passibilem rationem quæ seminantur seu trã-ducuntur à mente superiori in spiritum, à spiritu in auram hanc; quarum connexum modò qualitatem Metaphysici vocant, modò syndromen formarum accidentalium. Tertium, extensionem seu corpoream molem quantitate insignem ex actu spirituum per qualitatem seu auram hanc ex incorporea & inconnexa atomorum massa quasi materiá, productam; vnde formam materiæ principi conciliatam concipimus.

Hinc, vt verbo lis absit, facile erit, quomodo forma fiat, à quo, & ex quo, ostendere. Ex certis partibus scilicet, certa ratione coëuntibus paulatim conditur & perficitur, donec Anima ideis, rationibus, & seminibus rerum instructa, quasi artifex, qui per spiritum & qualitatem eam construxerit, iam adaptatam moueat.

Sed vt hæc passiuo nostro principio adaptem, concipe supra apicem A. esse confusum & inextensum Chaos, ex infinitis ferè atomis ita aggregatum, vt vmbræ, tenebrarum, fumi nigerrimi, immo & noctis cognomen apud veteres obtinuerit.

Hanc massam terram inanem & vacuam; ex atomis inextensis & inconnexis constantem, priùs concipe, quàm in illam spiritum vel qualitatem vllam se se insinuantem cogites, vt formis corporeis ipsam grauidam reddat, & proinde puram potentiam, basim &

& sub-

& subiectum vocamus. Absq; quo formæ intelligibiles abstractæ & incorporeæ, in hanc mundanam scenam peregrinaturæ, sensibus minimè obiicerentur. Hanc igitur vt maris & feminæ copulam conceptus sequitur. Hūc vero partus & productio totius huius mundi corporei. Idcirco quum luminosus splendor diuinæ flammæ, qui spiritus igneus primo aquis primigenijs, hoc est atomorum fluori, tanquam vniuersalis genitor, semine grauidus incubaret: ad nullum alium finem tendebat, quam vt atomi, qui propter illorum fluorem indeterminatum, aquæ nomen obtinuerunt impr̨ægnarentur, & fœtui producendo aptæ redderentur. Quapropter vt huic massæ frigidæ & opacæ sese insinuaret, & insinuando vniret, super aquas sese extendit, easque visco seu glutine suo seminario tanquam spiritali Sulphure, antea inextensas, inconnexas & disjunctas eius partes simul connexuit & in ordinem adaptauit; & ex vitæ seminario (quod nihil aliud est quàm scintilla vitæ supercælestis) vitam corpoream huic massæ impertiuit & imposuit: primóque huius massæ atomos, indiuisibilia puncta, in linealem primo & spiritalem quantitatem produxit, vt ad corpoream molem gradus esset, & elementorum corporeorum leue rudimentum. Quantitati qualitatem lucis spiritalem & vigorē suum igneum illico adiunxit, vnde radialis lucis species copiosissimo spiritu, sed tenuissima materia pr̨æ-

dita, illico affulsit, formæ & materiæ corporeæ prima fundamenta iaciens.

Et quum forma hæc corporea, vel rectius formæ corporeæ, primum phænomenon, haud aliter sensibus nostris apparere debeat, quam prius in insensibili mundo latuerat, cogitandum tibi in primis in hoc passiuo principio, sicut in actiuo, eosdem debere atque prius in actiuo ordines. Proinde apicem designatum videbis per A. orbem spiritalem, cælestem, lucidum intelligibili similem. Per B. æthereum, splendidum & coruscantem & Rationis seminariæ ordini similem superficialem tantum. Orbem verò elementarem & corporeum D. in longitudinem, latitudinem, & profunditatem protractum. Prior repræsentabit spiritum; secundus qualitatem, tertius corpus. Si vis, prior lucem, secundus splendorem, tertius lumen. Suprema quæ ad ascensus rapiunt, media quæ ad circuitus ducunt, infima quæ ad descensus trahunt. Prior bonitati, secundus veritati, tertius essentiæ erit comparabilis; vel vnitati, potestati, & pulchritudini; vel virtuti in se permanenti, virtuti copulanti, & virtuti extrorsum fusæ; vel formæ cui apparrentia indefinita annectitur: vel proportioni & connexui extremorum: vel materiei cui gluten vel humor annectitur; vel æquabilitati materiæ, mediocritati materialis glutinis; inæquabilitati siue asperitati materiæ, perspicuitati formæ seu luci; mediocri-

tati apparentiæ in forma, opacitati formæ; proportioni inæqualitatis minoris, proportioni æqualitatis, proportioni maioris inæqualitatis, seu Sulphuri, lineali, superficiali, & corporeo, Mercurio; lineali, superficiali & corporeo; terræ lineali, superficiali, & corporeo; aëri, lineali, superficiali, & corporeo; aquæ lineali, superficiali, & corporeæ; igni lineali, superficiali & corporeo, Sali, lineali, superficiali, & Sali corporeo, siue ad esse simplex, esse determinatum, esse commune: vitæ & vnitati, compositioni & ordini, multiplicitati & pulchritudini comparabilem: siue continenti, vinculo & spiritui, tum contento, siue cælo,ætheri, & sublunari regioni, luci, splendori, & lumini seu colori, animæ, spiritui, & corpori, seruata vbique per tres istos ordines pari analogia.

Iam ad particularem horum ordinum distributionem accedendum, iuxta normam & regulam actiui principij & eius facultatis intelligibilis. Dico quod à primo ductu ordinis intelligibilis qui fuit conceptrix idearum, notionum & exemplarium, in passiuo hoc principio seu materiali, imprimitur conceptrix facultas lucis transpicuæ, in materia atomorum inæquabili & maioris compositionis productæ, per motum formalis principij, linealem & radialem vitri, terræ, seu arenæ rationem concipiens, ex atomis in similem longitudinem adhuc ductis composita, fixa & permanens.

A secundò vero ductu formalis & actiui principij, qui fuit conciliatrix notionum, idearum & exemplarium, imprimitur in passiuo principio facultas conciliatrix præcedentis, vt interioris aut magis intrinsecæ, & subsequentis vt magis extrinsecæ Mercurij radialis & linealis tantum rationem obtinens ex formali motu ambiguo varij vbique & ambigui.

A tertio ductu formalis & actiui principij, qui fuit retentrix notionum, exemplarium, & idearum, sigillatur in passiuo principio retentrix facultas lucis perspicuæ in materia atomorum æquabili, per motum minoris cōpositionis factæ, Sulphuris cælestis linealem & radialē perspicuitatē retinens, leuis & volatilis.

A quarto actiui principij ductu, qui fuit promptrix idearum, notionum, & exemplarium, imprimitur in passiuo principio promptrix facultas lucis opacæ in materia atomorum æquabili, per motum maioris compositionis factæ, aquæ linealem & radialem opacitatem retinens, leuis & volatilis.

A quinto, actiui principij ductu, qui fuit discretrix notionum, idearum & exemplarium, imprimitur in passiuo principio facultas discernendi præcedentis vt externæ, & subsequentis vt magis intrinsecæ, Mercurij cælestis, radialis & linealis tantum rationem referens, ex formali motu ambiguo varij vbique & ambigui.

A sexto, actiui principij ductu, qui fuit obstetrix facultas notionum, idearum, & exemplarium, imprimitur in passiuo principio facultas obstetricandi lucis opacæ in materia atomorum inæquabili, per motum minoris compositionis formalis principij factæ, linealem & radialem Salis cælestis rationem retinens, fixi semper & permanentis.

A septimo actiui principij ductu, qui fuit facultas menti communi similis, imprimitur in passiuo principio per motum simplicissimum lex & norma fabricandi res corporeas ex materia atomica ad regulam notionum, idearum & exemplarium, in mundo intelligibili existentium, sed radiali & lineali tantum modo, ignis cælestis naturam referens, qui fixus semper, permanens & aliorum probator, Salis & terræ (vt vtriusque medij) vinculum & exemplar est.

Huius lex continere dicitur à Seuerino Dano spiritus Mechanicos & tincturas vniuscuiusque propriæ speciei, quibus suum fabricant corpus, colores, sapores, qualitates, magnitudines, figuras, & reliquas signaturas consentaneas officijs & prædestinationibus prædictorum spirituum & rei producendæ. Testemque diuinum Hippocratem adiungit *lib. 1. de Diæta*, vbi naturam ignem nominat, eumque in hominis generatione triplices circuitus diuersos distinxisse ait *Qui*, inquit, *in cauitatibus humiditatum officinis circuitus ha-*

pent, lunæ potestatem referunt: qui vero interius, astrorum imitantur proprietates: qui in medio robustissimi ignis naturam continent: qui intro & foras per omnia transiens, omnibus dominatur, idque occulto silentio, nec enim visu, nec tactu conspicuus est. In hoc igne, id est in astris mediæ huius reuolutionis, Anima, Mens, prudentia, augmentum, motus, diminutio, transmutatio, somnus & vigilia delitescunt. Estque talis lex nihil aliud, quam vis illa generandi, quam Deus in prima creatione sub seminis nomine singulis specierum indiuiduis imposuit. Sed de hac suo loco.

Ab octauo actiui principij ductu, qui fuit facultas menti intellectuali similis, per motum simplicissimum species intelligibiles notionum, ideatum aut exemplarium, in passiuo principio sibi similes, imprimuntur præcedentis vt maximè intrinsecæ, tum subsequentis vt minus intrinsecæ, medij vbique & ambigui, Mercurij cælestis exemplar referens.

A nono actiui principij ductu, qui fuit facultas intellectus rationalis, per motum itidem simplicissimum imprimitur in passiuo principio facultas intellectui rationali similis, rationem aëris cælestis linealem & radialem, aquæ & Sulphuris linealem referens, vt vtriusque media, sed leuis semper & volatilis.

De secundo ordine paßiui principij.

PRIMVS huius ordinis ductus repræsentabit per actiui principij impressionem in passiuo aut materiali atomorum fluore inæquabili, conceptricem facultatem splendoris transpicui, per motum maioris compositionis formalis principij producti, superficialem vitri, arenæ seu terræ æthereæ seminariam rationem concipiens, ex atomis in similem superficiem à se inuicem positis, compositam, fixam semper grauem & permanentem.

A secundo, ductu imprimitur in passiuo principio facultas conciliatrix præcedentis vt interioris & intrinsecæ, & subsequentis vt magis extrinsecæ, Mercurij superficialis & in latitudinem extensi, rationem seminariam connectens, ex formali motu ambiguo; varij vbique & ambigui.

A tertio, qui fuit retentrix imprimitur in passiuo principio retentrix facultas splendoris in materia seu abysso atomorum æquabili, per motum minoris compositionis facti, Sulphuris etherei, superficialem & seminariam perspicuitatis rationem retinens, leuis & volatilis.

A quarto, qui fuit promptrix, sigillatur in passiuo principio promptrix facultas splendoris opaci in materia seu abysso atomorum æquabili, per motum maioris compositionis

facti, seminariam & superficialem perspicuitatem aquæ retinens, leuis & volatilis.

A quinto, qui fuit discretrix, imprimitur in passiuo principio facultas discernendi præcedentis & externæ, & subsequentis vt magis intrinsecæ, Mercurij superficialis & ætherei tantum rationem seminariam referens, ex formali motu ambiguo, varij vbique & ambigui.

A sexto, qui fuit obstetrix, imprimitur in passiuo principio facultas obstetricandi rationes seminarias splendoris opaci in materia seu abysso atomorum inæquabili, per motum minoris compositionis facti, superficialem Salis ætherei opacitatem retinens, fixa semper & permanens.

A septimo, qui fuit facultas Menti communi similis, imprimitur à passiuo principio per simplicissimum eius motum lex & norma fabricandi seminarias rationes rerum corporearum ex principijs incorporeis, ad regulam exemplarium in mundo intelligibili existentium, sed superficiali tantum modo, ignis ætherei naturam referens: sed fixi semper & aliorum probatorij Salis & terræ ætherei, vinculum & exemplar.

Ab octauo, qui fuit facultas menti intellectuali similis, per simplicissimum motum species intelligibiles exemplarium, in passiuo principio sibi similes imprimuntur, præcedentis vt maxime intrinsecæ, tum subsequen-

tis vt minus intrinsecæ, medij vbique & ambigui, Mercurij ætherei rationem seminariam referens.

A nono, qui fuit facultas intellectus rationalis, per simplicissimum motum imprimitur in passiuo principio, facultas intellectui rationali similis, rationem seminariam aëris ætherei superficialem referens, aquæ, & Sulphuris superficiale vinculum, sed leuis semper & volatilis.

De tertio ordine paßiui principij.

PRIMVS huius ordinis ductus repræsentabit, per actiui principij impressionem, in passiuo ordine, conceptricem facultatem luminis transpicui & corporei, terræ seu arenæ elementaris & sublunaris, rationem referens, fixæ semper grauis & permanentis.

A secundo in secundum imprimitur facultas conciliatrix præcedentis, tum subsequentis, Mercurij corporei & iam extensi rationem obtinens, ex formali motu ambiguo, varij semper & ambigui.

A tertio ductu in tertium, qui fuit retentrix, fit retentrix facultas luminis perspicui, sulphuris sublunaris combustibilis & corporei rationem retinens, leuis semper & volatilis.

A quarto in quartum sigillatur promptrix facultas luminis opaci, aquæ sublunaris & corporei opacitatem referens, leuis & volatilis.

A quinto in quintum imprimitur diſcretrix facultas diſcernendi aquam corpoream à Sale corporeo, Mercurij ſublunaris & corporei ingenium ſemper imitata, *ex formali motu ambiguo* varia & ambigua.

A ſexto in ſextum imprimitur obſtetricandi facultas luminis opaci, corpoream Salis rationem referens, fixa ſemper & permanens.

A ſeptimo in ſeptimum imprimitur facultas memorialis mouendi res ſibi appoſitas, iuxta normam ſuperiorum facultatum ſibi traditam, ſed corporeo more, ignem, corporeum, fixum & deſtructiuum referens, Salis & terræ corporeæ vinculum indiſſociabile.

Ab octauo qui fuit Phantaſia, imprimuntur phantaſmata Mercurij corporei ſublunaris & ambigui, aërem & ignem corporeum connectentia.

A nono & vltimo imprimitur in paſſiuo, facultas ſenſui communi ſimilis, aëris corporei naturam referens, aquæ & Sulphuris exemplum & vinculum, ſed leuis & volatilis.

Denique ex actiui & paſſiui huius principij coïtu oritur compoſitum, nempe mundus hic ſenſibilis, & corporeus, cuius diametrer eſt K. L. M. N. O. & cuius tota compages ad commune exemplar mundi archetypi exſurgit, perque eius perpetuam radiorum immiſſionem nutritur, & in ſuo eſſe conſeruatur. Quapropter haud inepte ſenſiſſe videbatur

Hermes Triſmegiſtus *in Smaragdina tabula*, QVOD EST INFERIVS, EST IDEM QVOD EST SVPERIVS.

Cæterum, quum rerum omnium duo ſint prima genera, quorum alia in mente duntaxat, alia in eſſe concipiantur natura: equidem quo cunctis vno negotio ſatisfacerem, mistam ex vtriſque generibus formam, compoſitionis tertium genus inueni & in diagrammate collocaui.

Rurſus cum in conſideratione qualibet ſiue ordinibus ſingulis, alij ſint exemplares maximè, tanquam in Deo reſides, in mente opificis primi: eorumdem alij rurſus ab intellectu inferiore, tanquam imagines & receptacula efflореſcant, quarum & priores aliquæ, poſteriores cæteræ, ſeu magis effuſæ nobiſque familiariores appellantur; idcircò & Trinitate in ſe ducta, claſſes vniuerſim effinximus nouem, ſic tamen vt omnes ad tres potiſſimum reſluant; ſintque in ſingulis trium, archetypæ quædam, velut ſigilla & exemplaria; quædam vti effigies primæ; quædam poſtremò vt harum imagines poſteriores.

Vnde & omnis vita, nexus, & pulchritudo, ſimiliter & ſtatus, aſcenſus, deſcenſus, atque conuerſio, velut à radij triplicis continua quadam dimanatione procedunt. Nihil enim in tota Philoſophia verius, quam Deum vnum, Florem mentis & Caput (vt Zoroaſtri verbis vtar) vbique veluti vnitatis ſuæ & Trinitatis

indiuidua imaginem sacro-sanctam in rebus conditis expressisse: vt sit ab infimis ad suprema vsque, & hinc conuersim ad infima, raptus quidam perpetuus. Qualem profecto per scalam immensam à terræ radicibus ad plagas vsque æthereas exporrectam; perque accessus Angelorum regressusque varios ostendit in somnis Deus Patriarchæ summo atque Philosopho Iacob. Cuius sane pulcherrima ratio pręclarè à Iudęo Philone reddita est *lib. de Somniis*, & ab Hermete *in tabula Smaragdina* pari analogia depingitur. Sic ad Mentis opificis primi exemplar configurabis tibi virtutem stabilem, vnde esse simpliciter prodit. A cuius virtutis radio in rectum prorogato oritur esse commune atque protensum indefinitè, tanquam generationis rudis inchoatio, ex quo principiorum ortus planè indeterminatus.

Ea numero tria statuimus ex radiorum impulsu in longitudinem abyssi seu materiæ atomicæ: materiam primam ex impulsu in longitudinem, in latitudinem formam: ex impetu tertio in altitudinem & omnes dimensiones, proportionem extremorum vinculum.

Ex quorum diuersa combinatione oriuntur elementa corporea, ad tria animę facultatum exemplaria fabricata. Ea sunt Mens seu intellectus communi similis, rerum archeus, cuius imago est Mercurius elementa-

ris, seu aura ignis prodromus & vehiculum. Secunda erit Mens intellectualis, cuius imago erit ignis omnia mouens probans & in actum prouocans. Tertia erit Intellectus rationalis, cuius imago erit aër vulgo dictus. Ex ductu denique in longitudinem, latitudinem & profunditatem, & ad trium horum exemplaria exsurgunt reliqua elementa, in longum, latum, profundum producta; quorum duo sunt mascula, per motum minoris compositionis nata; & totidem fæminea per motum maioris compositionis facta. Sulphur ratione aquæ vt fæmineæ, mas erit, cui innatat, & quam pingui suo seminio vt visco fœcundat. Sed ambo volatilia ad communis seminarii exemplum & motum simplicissimum, quod est aër, composita. Alterum erit Sal masculus, ratione terræ, quam arenam nominamus, cui pariter in fluore innatat & ad concipiendum fœtum aptam reddit. Sed ambo fixa ad communis seminarii exemplum, quod est ignis, composita. Pariter ex tribus reliquis facultatibus animæ vnum solum constituetur elementum, nempe Auræ titulo insignitum, quod & Mercurium elementarem nominabis, ignis & aëris commune vinculum, & exemplar. Reliquæ autem animę facultates duæ, quum nullam habeant seminariam radicem, sed in Mercurii vt medii satellitio constitutæ, & vt eius quasi irradiationum propagines, ab elemen-

torum numero haud immerito excludimus. Cæterùm horum omnium Sulphur, aqua & aër erunt volatilia. Terra, Sal & ignis fixa. Mercurius ambiguus. Volatilia Lunę motus imitantur, teſtante Hippocrat. *primo de Diæta.* Ambigua aſtrorum motus imitabuntur. Fixa robuſtiſſimi ignis naturam ſequuntur, qui intro & foras per omnia tranſiens, omnibus dominatur, idque occulto ſilentio, nec viſu, nec tactu conſpicuus.

Denique horum ſeptem quatuor ſunt viſibilia receptacula & matrices, nempe Sulphur aqua, terra, & Sal. Tria inuiſibilia & ſeminaria Ignis, Aura ſeu Mercurius, & Aër.

Neque credas velim, hæc eſſe tam craſſa elementa, vt in conſpectum noſtrum prodeant, quemadmodum mixta corpora. Sed vocabis corpora ſpiritalia, & ſuperficiali tantum modo ſenſibus noſtris ſeſe obijcientia. Quare non ineptè doctiſſimus Seuerinus ea vocat loca, matrices, ſuperficies, domicilia, vt legere potes ex Idea ſua Medicinę Hippocrat. Gal. & Paracelſicæ.

Poſtremo tria erunt exemplaria ignis, aura, & aër. Quatuor exemplarium imagines, ſiue matrices terra, Sal, Sulphur & aqua; quatuorq; imaginum, duo per motum minoris cõpoſitionis, nempe Sal & Sulphur; duo per motum maioris compoſitionis, terra & aqua nempe, ſubſiſtunt. Quæ minoris compoſitionis, actiua dicuntur; quæ maioris, fæminea.

Quæ minoris ſunt compoſitionis, ad incorpoream magis accedunt naturam, & per conſequens actiuiora ſunt. Quæ maioris è contra. Minoris compoſitionis elementa motum ſimpliciſſimum, qualis fit in examplaribus, imitantur. Maioris vero è contra motum minoris compoſitionis ſequuntur. Prætetea ex his omnibus tria ſunt ſeminalis naturę exemplaria, nempe ignis, aura & aër. Duo principia corporum Sal, & Sulphur. Duo elementa aqua & terra. Exemplarium ignis calorem natiuum, aura ſeu Mercurius ſpiritum, & aër humidum primigenium denotant. Sed illa ſemper cæleſtia & ætherea.

Nunc autem hæc ita eſſe & ad tales animi facultates talia elementa linealia, ſuperficialia & corporea exſurgere, & quo pacto ex horum elementorum coïtu ad communis ſeminarij exemplar partus ſeu compoſitum fiat, quod neque à forma ſola, nec materia vires ſuas edat, ſed à toto compoſito: non minùs breui quàm vtili demonſtratione per figuras Geometricas, perque ipſa à rebus pauliſper abſtracta Mathemata, tradere conabor. Opus, vt liberè dicam à nullo ante me pari ratione exaratum. Cuius demonſtrationis adminiculo, omnium fermè quę ſunt in vniuerſo proprietates occultæ, vel facultates abditę (vt vulgus vocat) tanquam vno ex fonte promuntur.

Confirmatio præcedentium per demonstrationem Geometricam.

QVandoquidem ſeminaria cuiuſque rei propagatio in actione & paſſione conſiſtit, quumque omnis actionis & paſſionis ratio ſit in triangulis poſita, in quibus per angulum forma, per aream ſpiritus magis, per baſim & latera corpus atque corporea qualitas aſſignetur: fit vti per angulorum contactus, vel laterum proportiones, totæ inter triangulos plures emergant, ita & agentis & paſſi analogiam mutuam deprehendamus.

Detur autem triangulus rectangulus figurarum omnium elementum primum, vt P. quidem in actione naturali actiuum principium ſignet: Secundo triangulus Q. priorem contingens ad angulum rectum ſit loco paſſibilis rei: At tertius triangulus R. vtriuſque prioris contingens angulum rectum in T. commune illud exemplar referat, producta prius Y. X. linea ſubtenſa angulo recto, ab extremitate lateris T. Y. trianguli Q. ad extremitatem T. X. trianguli P. quæ rectum angulum intra ſe comprehendant. Producam rurſus Y. Z. lineam ad angulos rectos ſupra lineam Y. X. eidem ſubtenſæ Y. X. ęqualem, & connectam vtraſque per X. Z. lineam, ſubtenſam angulo recto Y. trianguli maioris &

quarti

quarti per S. signati. Dicam postremò, quod per exemplar R. vtriusque trianguli P. & Q. talis sit mutua necessitudo, vt cum vterque in vno communicet latere, & communi angulo T. habeat & suas subtensas analogas X. ω. & Y. α. ad subtensam communis trianguli X. Y. Et per consequens trianguli fabricati super X. ω. & Y. α. latera continentia angulum rectum T. erunt æquales triangulo, qui iuxta prædictam rationem erectus est super lineam X.Y, quandoquidem trium triangulorum singuli medium ambientes, medietatem quadrati constituunt. Quorum duo, quæ sunt à lateribus medij trianguli, continentibus angulum rectum, æqualia demonstrantur quadrato, quod super lineam consistit subtensam angulo recto, per penultimam primi Elementi Euclidis. Quod autem ille quadratis tribuit, nos & triangulis illorum orthogonis assignamus, qui fiunt quadrato per dimetientem intersecto. Vnde nasci per dissolutionem æquales vtrinque rectangulos trigonos sit necessarium. Si autem ab æqualibus demantur æqualia, & ea quæ remanent sunt æqualia. Itaque vt ad naturam demonstratio propius referatur, quia basis X.Y. ideam mundi corpoream & diuisibilem maximè repræsentat T. Y. T. X. latera spiritalem maximè & T. formam omniparam; in qua rationes formarum sine omnium adhuc vnitæ actu, distinctæ secundum potentiam; Quia sectione facta eiusdem

trianguli totius in partes proportionales quotlibet, à quibus recta, & transuersim ad angulos rectos productæ lineæ siue cancelli per vtriusque annexi trianguli planum, in ijsdem quoque & segmentorum omnium rationem analogam præstet: necesse est penitus, vt cum Corpus Corpori coit proportione media, iungantur mox spiritus & qualitates vtriusque, tandem & forma vniuersa, idque particulatim in vno composito, quod ex duobus principijs ante distinctis, nunc per vnius medij exemplaris communem rationem ita statuitur vt ambo sua principia sub vna & simplici forma intra se comprehendat. Sunt enim, vt verbo absoluam, primi trianguli duo, velut parentes alterius, mas & fæmina, medius vt exemplar commune omnibus: maior siue postremus, vt omnium soboles. Quod si autem inter parentes vel inuicem commissa principia nulla proportio fuerit, erit & dispar ratio ad compositionem trianguli quarti, propter dissonantiam in medio exemplari. Cum enim cuiusq; agentis ad passum habitudo, sit vel amica mutuo, vel hostilis (quam Græci συμπαθείαν καὶ δυσπαθείαν nominant proinde & actio omnis eò contendit, vt vel se mutuo separent, vel componant. Compositio vel vnio fit per virtutem consimilem: Repulsio per contrariam. Idcirco si inter agentem & id quod patitur, communis sit quædam forma specifica, erit & circumfusi proximi

exemplaris communis ratio, vtrumque copulans, ad actionem excitans atque perficiens. Ipse etenim ab occurrẽte cõmuni similitudine (quam in exẽplari videt) ex vtroq; principio actiuo & passiuo cõcitatus spiritus, quam celerrimè in continuum fertur. At nisi quid obstet extrinsecum, quodque vim illius interturbet, necesse est similes & qualitatis & corporis dimanationes fieri, nobis plerumque occultas, & inuisibiles: Quæ cum iusta proportione inter se fuerint coaptata, mouetur & mundi spiritus, & illa communis ratio exemplaris, quam qualitatis specificæ norma & vnius corporis comitatur: vt cum in exactam symmetriam cuncta coierint, ex circumfusæ ideæ gremio & forma communis introducatur, fiatque mox vnum compositum naturale. Sin è contrario inter agens & patiens ea quæ assistit vtrisque communior forma dissentierit, mox pro dissensus ratione pugna quoque & velitatio mutua incrudescit propter dimanationem triplicem, tam in vtrisque principiis, quam horum communi seminio inuicem aduersantes. Adeo quod si inter principia sit quædam proportio firma, sed propter mixturæ inæquabilitatem inæqualiter distributa, vt inter magnetem & ferrum, quibus nec vna species conuenit, nec omnino diuersa est, hic quoque & dimanationes inæquales fieri est necessarium. Vnde cum ad normam communis ideæ spiritus vtrinque

delati partim se pellant, partim recipiant mutuo & complectentur: nascitur & aliorum effluxuum congressus inæqualis fitque idcirco in quadam atomorum nube, aliis celeriter, aliis retrogradis, vt non tam prompte coeat intermedius aër, per luctam hanc inæqualiter ante diuulsus, vt vacuum possit implere: vnde feruntur & corpora grauia præter naturam sursum, deorsum leuia. Indæ repulsus congressusque illius species admirandæ. Quod nisi hoc pacto inter agens & patiens communem statuas exemplarem formam communemque spiritum & vim corpoream vndique circumfusam, quæ nutu suo in particularibus sibi subiectis mixturam incipiat, regat atque perficiat: Equidem in rerum illis occultis rationibus, quorsum te conferas, minime video. Cur enim non potius ferrum à ferro trahatur, quam à magnete? Obserua paulisper plantarum & animalium odia & amicitias mutuas, ab ipsa natiuitate congenitas. Cur canis amicus homini: Lupus tamen non multum absimilis, ita sit inimicus, vt qui vel solo aspectu adimat vocem, dicanturque raucos vel aphonos lupi vidisse priores. Cur equum nec antea visum vrsus si conspexerit, mox sese ad pugnam parat? Similiter contra marinum Draconem, Elephas, contra Serpentem, Araneus animatur, Simia Testudinem horret, Hyænam Panthera, Acanthis Asinum, Pullus autem gallinaceus Leonis terror, ad conspectum Miluii protinus ex-

pauescit, quid nisi communem formam amborum vbilibet statuas quæ ad congressus particularium excitata, pugnantes, vel copulantes se mutuo faciat? Idem de illis intelligas, qui, feles natura sic abhorrent, vt si vel in vase conclusi à conspectu illorum remoueantur, præsentibus tamen occultum sensum non subterfugiant, quin mox deficiant, animo, nisi à moueris procul. Simili modo ex his patet & ex præcedente demonstratione ratum est, particularium rerum vultus in communioribus quibusdam contineri, & animi imagines inferiores superiori idea altera esse comprehensas, & ad eius exemplar sensibilia rerum simulachra in materia in dies producere. Quam generationis diuinam administrationem Hippocrates docta profundaque interpretatione persecutus est *libro de Diæta*, vbi ad hominis particularem naturam descendens, posteaquam fluxum & refluxum seminum ex luce in orcum & ex orco in lucem ostendisset, ad hominis descendit naturam, inquiens. *Et alia omnia, & anima hominis, corpus vero animæ consentaneum fabricatur.* Hanc alibi θερμὸν, vt *libro de carnibus*, alibi πῦρ & qualescumque fuerint scientiæ & dona huius animi, calidi, & ignis, tales signaturas in corporibus exprimi & contineri asserit. Ita anima est principium corporis organici: ab hac enim fluit corpus, huiusque virtute elementa, principia miscentur, & è spiritalibus

corporea fiunt. Sed non velim vt credas actiones has corporeas à sola fieri anima, nisi vnum accipias hominem, cui quædam est anima corpori immersa, & vt clauo gubernator assistens. Nam quamuis forma seu anima agat vt plurimum, imò liberiùs absque commercio corporum vel qualitatum: tamen hoc fit quoties inuicem actu sunt separatæ. Cõplicatæ verò inuicem actiones suas nunquam nisi coniunctim produnt, vt omnium vnica vis, scopus vnus, atque consensio videatur. Ac ne in verbis sit difficultas, diuersis partibus compositi diuersa quidem munia viresque contrarias inesse vel sensus docet. Ad cõmunissimam tamen atque antedictam vnicam, velut multarum præsidem, quæ cunctas ambitu in se continet, appositissimè referuntur. Ac sanè inest & animali toti, imò & partibus singulis sua quædam communis ratio, formaque, eò latiùs patens, quantò pars vnaquæque in plures alias membratim dirimi potest. Quemadmodum itaque magis cõmune quodlibet minus communium rationem in se cõplectatur, actu, tamen ad hoc vel illud fit indefinitum; ita & forma communis siue essentia rei cuiuslibet formarum particularium & actionum ideas optimè nouit particulatim differentes, tamen penes essentiam absque partium diuersitate non assequitur, vti ne accidentariam in iisdem actionibus differentiam explet, absque illa quæ fit in

singulis accidentium quoque natura diuersa. Quare inter agens passumque quodlibet formarum, spirituum, totius denique syndromes accidentariæ vna est & indiuisa proportio, si ductus longitudinem spectes: eadem rursus diuersa & multiplex, si partium quarumcunque figuras singulas, & in his nonnihil diuisam totius syndromes effigiem, vnaque & spiritalis vehiculi partes, velut pro latitudine, cōtemplaris, vti in subnexis triangulis liquet. Sit enim superior agens quodlibet, inferior autem rei passibilis loco, A quidem vtrobique, supremus apex & angulus formæ sit indiuisæ, quæ tamen progressu sit diuisibilis primo secundum longitudinis radium in B. spiritibus sese communicat, in C. syndromæ accidentariæ in D. corporeæ Moli siue Materiæ, ita enim & B. spiritus transit in C: & D. vti C. duntaxat in D. Iuxtaque hanc habitudinem proportio simplex est penitus, A. superioris ad A. inferius, similiter B. ad B. & C, ad C. & D. ad D. Totius denique trianguli vnius ad alterum totum. Sed si nunc & latitudinem seces E. in partes proportionales vtrinque, E. F. G. H. I. vt E. quidem sit & F. à dextris cuiusque principij: H. & I. sint à sinistris positæ, G. autem in medio: Mox & totius syndromes, totius spiritus, atque materiæ distinctæ formæ, distinctas efficient proportionum species in K. L. M. N. & O. iuxta radiorum occursus ab vno in multitu-

dinem dissectam, ordine confluentium. Vnde si A. angulo prioris trigoni æqualis fuerit A. postremi, & lineæ continentes angulum A. erunt æquales, iuxta doctrinam theorematis tertiæ, primi lib. Eucl. Conuersim si partes E. F. & F. G. quæque deinceps fuerint mutuo correspondeant, correspondebit & tota basis E. I. vnius trianguli, cum E. I. alterius. Quare si vtrinque accesserit æqualitas A. E. alterum & A. I. vnius ad A. I. alterius trigoni latus, confestim per propositionem octauam primi Eucl. respondebit & A. angulus superioris trigoni cum A. secundi. Vides vtique vt forma sequatur materiam, & è conuerso materies formam, proportioque vnius proportionem alterius principij. Vt si materia tota vnius alterius toti responderit, non sit necesse aliam à forma analogiam quærere, vel ab ipso spiritu, quod fuerat demonstrandum. Solus enim trigonus A. E. I. continet cæteros omnes, & non continetur ab alio: Contra triangulus I. D. E. situs est intra priores omnes, alium non comprehendit. Horum medij sunt C. E. I. superior & sequens, inferior D. E. I. qui tum subjectos trigonos continēt, tum à supernis comprehenduntur. Interim licet superioris anguli sit illa potestas, vt in inferiores quilibet suam vim omnem, velut ex vnitate collectam, habeat, est tamen & inferiori cuique trigono ea potestas conuersim indita, vt propter angustiorem basim supe-

riorum ideas in se recipiat promptè, nihilque possit superius quodlibet absque eo, vt per proportionales partes infernæ basis siue trianguli non transfundatur. Vnde neque ab A. dimanat quippiam quod fugiat lineã E.I. nec in E.I. facultas est aliqua A. non cõprehensa. quis morosior rerum analogias ineptè nos putet per trigonos ostendisse, illud cogitet moneo, figuram quamlibet rectilineam resolui in triangulos, vt prima quædam omnium principia vel elementa. Qui si & arcus Circuli lineæ rectæ commensurabilis sit, vt in doctrina sinuum liquet, possuntque Mathematici assignare quadratum vel trigonum æquale Circulo dato, licet eiusdem à nullo, quod sciam, hactenus inuenta sit demonstratio: cõstabit sanè & rerum proportiones omnium figuris trilateris primario demonstrari. Nunc vt à Geometricis denuo ad naturalia reuertamur, infinita sunt animalibus odiorum & amicitiarum semina. Paruus pisciculus Echeneis pulsa vi venti nauigia sistit. Trahit ferrum herculeus lapis, interdum abigit. Trahunt festucas & surculos electrum, Adamas quoque nec aquæ, nec olei capax est. Aurum argento viuo inebriatur. Taceo marinæ torpedinis tactum, venenatorum morsuum plagas, vim fulminis admirandam, vim tot liquorum, gemmarum, & stirpium. Stupenda est fascinij ratio, ipsarumq; imaginum, quæ prolem in vtero matris sæpè transformant. Vir-

tutes has à forma proficisci dicere cuiuis licet, quodque sit quædam forma occulta. Nec hoc quidem male. Verum quid aliud nobis responsa eiusmodi, quam meræ ignorantiæ, ineptiarumque descriptio, qua immensos struimus ignauiæ pontes? Vnde non alios tantum à veri cognitione deterremus, sed & nos ipsos in æternum Chaos noctemque præcipitamus. Nonne, vt dicam, in ante traditis, est & in magnete vis vnica, quæ ferrum mouet, quæ partus accelerat, quæ amorem fert atque concordiam (si fide res digna est) quæ crassos humores educit, quæque (vt hematites) ex vlla corporis parte ruentem sanguinem sistit; quin & si in eiusdem partibus vna sit quæ ferrum abigat, & altera quæ trahat: concludam sane pugnantium maximè facultatum eandem esse & vnicam formam, quæ per spiritum agat; & qualitatem, vt instrumenta coacta inuicem in vnitatem, virtute principis formæ ac velut in longitudine solum, dispersa denuo in latitudine, propter materiam, velut externam atque sensibilem totius trianguli basim. Nam si alia virtus à forma, alia sit à materia, necesse foret vnius rationem intra alterius non cõtineri, & per consequens non vnum esse compositum naturale, sed diuersorum laterum & angulorum quasi triangulos plures. Loquor autem non semper de angulo, vt ipsum partibilem docet Euclides; sed pro contactu sæpius puncti indiuisibilis

cum indiuisibili altero: alia enim in definitionibus fere, alia in theorematibus eiusdem acceptio est. Illic nimirum vt punctus plane insectilis est, hic vt infinitum penes spacium, scilicet quod à lateribus angulum comprehendentibus est interceptum. Idem iudicium in rebus naturalibus cæteris, vt in lactuca, quæ eadem menses mouet & sistit; in plantaginis radice, quæ eadem refrigerat & calefacit, aperit, astringit, densat & rarefacit. Vbique sane ex rerum sensibili basi nata est multiplicitas, primum, eo confusior scilicet, quanto ab angulo magis & vnitate recesserit. Idque ita natura rectè est comparatum, vt mundi res omnes hac ratione simplices simul atque multiplices oriantur. Simplices autem propter actionis robur atque essentiam; multiplices magis propter passibilem vim ac pulchritudinem, quæ tamen ceu medium in vnitate & multitudinis compositione magis apparet, velut dispersorum ante consensus multorumque reductio in vnitatem seminariam.

AVTHORIS DE HIS quæ dicta sunt obtestatiò.

GEnerose lector, ne verborum licentia, de rebus ad animam spectantibus, & ad intelligendum difficillimis, offensionem religiosis tuis auribus pariam, aut dubiam de me ex rebus quæ hic significantur opinionem tibi relinquam: te humillimè rogatum volo, ne forte per imprudentiam tibi aut vlli sim offendiculo, neue ex scriptis hisce, in hoc negotio difficillimo, alia ratiocineris quam vel ipse concesserim, vel Christiana fides cōcedenda abnuerit. Et si quid ab eius sensu alienū tibi videatur, id omne ex prisca gentilium Theologia, ex Academiæ spaciis, & Ægyptiorum Schola, à nobis esse deprомptum scias. Nullo quidem probandi tantopere vel asserendi studio, sed partim ornatus solius, atque illustrandæ doctrinæ gratia, partim vt omnes intelligant me non tam hic Theologum, quàm Philosophum agere, nec res diuinas adeò ad viuam naturæ imaginem, quam contra naturam ad suum exemplar: siue opificem cogere voluisse, quod

plures illustrissimi viri & percelebres absque calumnia hucusque præstiterunt. Et si ægrius hoc à quibusdam acceptum senserim (quod malum omen Deus auertat) in hoc casu flectendum ocyus moneo, ne argumentis lubricis fretus Pelio Ossam imponere, & Gygantum more bella cum Dijs gerere videar. Sed imprimis velim mihi hanc veniam dari, si iuxta totius animæ diuisæ characteres, in minorum partium partitione operam, paulo supra quam par sit superstitiosam, collocauerim, cùm sine magno huius artis dispendio tractatum eiusmodi præterire non potuerim.

Similiter nec te pigeat, quæso, insuetam hanc elementorum trutinam (obiter superficiali tantum ratione hic intertextam) cum iis quæ Capite 14. habentur conferre, vt faciliori & ad horum explicationem magis trita semita incedas.

Omnium facultatum animæ, tum Elementorum characteres ex aduerso diagrammate accipe.

Diagrammatis breuis explicatio per ſeptem elementorum delineationem.

IN hoc diagrammate tres magni ſunt Circuli, quorum ſuperior repræſentat Animam, inferior actum Animæ, quaſi formæ agentis in materiam. Origo formæ, reſpondet luci ſupra ſupremum circulum depictæ. Origo materiæ atomis infra infimum circulum, inanibus & vacuis. Anima res vna eſt & indiuiſibilis. At ratione noſtri conceptus, diuidi intelligitur in tres facultates, tribus minoribus circulis reſpondentes, in Mentalem, Rationalem, & Phantaſticam. Ruiſus multiplicando has tres in ſe, fit numerus quadratus, nempe nouem, qui per tria multiplicatus facit 27. Cubum, vnde erunt 27. facultates ſubalternæ in anima, 9. in Mentali, totidem in Rationali, & in Phantaſtica. Illæ autem ſunt, Conceptrix, Conſiliatrix, Retentrix, Promptrix, Diſcretrix, Obſtetrix, Memoria, Phantaſia, Senſus communis, quarum diſcretrix & conſiliatrix, ambæ ſub Phantaſiæ imperio includuntur, quaſi extremorum vna copula. Iam Anima agit in materiam atomicam, vt ex ea conficiat corpus. Et primo multas atomos in linealem primo rationem colligit, ſecundum 9. animæ facultates, vnde fiunt Elementa totidem incorporea in primo paruo circulo, Cælo correſpondentia. Dein-

de colligit atomos in superficialem, vnde totidem fiunt in æthere, secundo paruo circulo inclusa. Denique colligit in corpoream molem, vnde fiunt Elementa nostra corporea, in vltimo circulo. Et sicut lux intelligibilis & actiua, concipitur recipi ab Anima, diuersimodè secundum varias eius facultates actui suo subiecta; ita & Anima eadem, ratione materiæ actiuâ, distribuere concipitur, in materiam diuersimodè agitatam, varias suas facultates, Idearum & Exemplarium rerum faciẽdarum luci intelligibili assimilatas. Vnde ex materia producta in linealem rationem, exsurgit imago conceptricis facultatis animæ in Cælo, terram seu arenam cælestem referens, in superficialem æthercam. In profunditatem, sublunarem & corpoream terram referens. Simili modo, imago Consiliatricis facultatis erit Mercurius, Retentricis Sulphur, Promptricis Aqua, Discretricis iterum Mercurius, Obstetricis Sal, Memoriæ Ignis, Phantasiæ Mercurius seu Aura, Sensus communis Aer. Horum Consiliatrix & Discretrix quum aliquid reale non constituant, sub Mercurio seu Aura collocatur. Horum elementorum tria sunt exemplaria maximè, Ignis Mercurius & Aër. Duo sunt masculea & actiua, Sal & Sulphur. Duo passiua & fæminea, Aqua & Terra. Similiter tria volatilia, Sulphur, Aer & Aqua. Tria fixa, Terra Ignis & Sal, Mercurius medius, tria etiam inuisibilia

Ignis, Mercurius & Aër. Quatuor sensibilia Terra, Sulphur, Aqua, Sal. Tertius autem circulus repræsentat mundum, vt iam ex Cælestibus, Æthereis & Sublunaribus Elementis compositum.

DE NATVRA SEV mundi spiritu & communi eius seminario veterumque Philosophorum de eius naturæ concursu opiniones.

CAPVT XI.

ANIMAM hactenus, veterum authoritate innixi, tertiam essentiam vocanimus, quippe quam medium inter species intelligibiles & corpoaeas situm obtinat, cognitionem superiorum, & inferiorum actuum æqualiter obtinens, tum motum omnem & vitam, immo & talem, vt eius participatione corpora fiant & viuant si corporia adhuc dici possint, non crassa elementata aut materiata, sed elementantia, spiritalia & materiantia. Primum proinde huius vitæ & motus participatus, aut vis animæ generandi in corporibus,

Diagramma totius Naturæ corporeæ, et incorporeæ.

Lux Intellectualis

Triangulus activi principij

Triangulus passivi principij

Ratio

Phantasia

Triangulus communis seminarij.

Basis formarum generalium

Regio Cælestis

Triangulus

Splendor

Regio Æætherea

Basis

Lumen

specialium

Regio Elementaris

compositi naturalis

Natura

Corpo- reitas.

Super ficies

Anima

Li nea.

Lux Tenebrosa seu vacua

Chaos Terra Inanis et Incorporeum

Punctum.

1 Conceptrix.
2 Conciliatrix.
3 Retentrix.
4 Promptrix.
5 Discretrix.
6 Obstetrix.
7 Memoria.
8 Phantasia.
9 Sensus communis.

Terra

Ignis


Sal

Sulphur

Mercurius

Aer

Aqua


0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

poribus, quam naturam. Appellamus, sumit materiam. Sed qualem? Non alienam vt ars, sed suam, nempe potentiam sui actus, quam sacræ literæ terram inanem & vacuam nominant, nempe potentiæ suæ naturam. Et quia ab extremo ad extremum omnia per medium transeunt, & inter animam, & corpus nulla est proportio, ex vtroque diffunditur vitalis proventus. Qui quoniam partim ex anima prodit, imitatur virtutem animæ penetrantem. Quatenus ipse penetrans vniuersum, omnibus est infusus, hinc illud *spiritus intus alit*. Imitatur rursus & virtutem animæ continentem quatenus ipse suo quodam visco (vt ita loquar) velut oleum super alia natat & ambit. Huc forsan spectat & illud: *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas vel incubabat aquis*, fouens videlicet materiam per se frigidam, quo ipso vitaliter, quamuis occultè, calent: atque hinc calefaciendi vim sortiuntur, quamuis occultam. Hoc flatu, hoc animæ primę verbo (quantum Platonicè loqui licet) factum est cœlum. Imò eiusmodi spiritus est ipsum cœlum. Spiritus, id est ignis, tanto saltem nostro hoc igne subtilior atque efficacior, quantò noster ignis acutior & aëre valentior. Spiritus hic quasi visus quidam est, actusque naturę, nullam habens ad visum tactumque nostrum proportionem. Est & ipsius animæ verbum iam extra prolatum. Primum enim animæ verbum est in

mente, simplex omninò secundum in rationē ibi distinctum. Tertium in imaginatione, naturaque, motum affectumque accipiens. Quartum in prolatione, id est cœlum admittens iam vnà cum motu & dimensione. Magnitudo siquidem virtutis in anima & viribus eius, inter se longè distantibus, magnitudinem facit dimensionis in cœlo. Motio animæ facit in cœlo motum, effectus, efficaciā ad effectum. Virtus quidem rationalis alias gignit formas in cœlo. Intellectualis autem claritas præstat lumen. Est ergo cœlum quasi spiritus efflatus ex ore diuinioris animæ, ideoque omnia viuificans, atque nutriens. Est iterum quasi oculus quidam visusque animæ, quo affectus ac consilium animæ nobis indicantur, cuius intuitu omnia coalescunt. Lumen in cœlo, quantum est in perspicuo, intellectum animæ representat, quantum in motu, lætitiam. Solum quidem lumen, est intelligentiæ ipsius imago: cæteræ formę siue in cœlo, siue in aliis sint per cœlum, alias ideas referunt, in ipso intellectu conceptas: quæ ita per intelligentiam illic concipiuntur, & discernuntur, sicut per lumen hîc cæteræ qualitates. Et sicut per totum mundum intelligibilem, est idem actus intelligentiæ: ita per hanc totum perspicuum quidem, lucidusque spiritus illius imago, formas passim efficiens, atque discernens sicut ille. Hinc Iulianus Platonicus ait, ex Theologia Phœnicum dif-

fusam esse per vniuersam naturam, quandam translucidam atque lucentem in se ipsa, quasi ex diaphano & lumine temperatam, neque mixtioni vnquam alienæ, neque passionibus vllis obnoxiam: quæ sanè sit actus quidam puræ intelligentiæ. Purus quidem, sed quodammodo extra procedens; habeatque inuisibile lumen & incorporeum, luminis huius visibilis quidem, sed incorporei causam. Hinc ille eiusmodi ferme lumen omnia mundi sub actu mentis primæ propria mente conceptum, parit in natura sua vbique & cum motu copulat & affectu, atque inde quasi spirituum formas efflat, & cum dimensione protendit: neque dispergit tamen, sed suo quodam circuitu, in orbem penes se cohibet: & quatenus ipsa se fundit, eatenus circumfundit, atque promit origine prima continuum, quasi spiritum vnum spirantis vnius. Sed aliæ animæ hanc animam subinde comitantes, sua quæque similiter spiritali virtute spirantes, in spiritum hunc, iam vbique vigentem, singulæ ad intimi proprijque circuitus formam redigunt & figuram. Quamobrem aliæ deinceps alibi inter se distinguntur Sphæræ: sic fermè dispositæ situ, sicut spirantes animæ dispositæ sunt natura. Sed cunctæ semper animæ in communi perpetuaque primæ animæ spiratione conspirant. Eiusmodi verò spiritales orbes propè mundi medium angustia situs densiores euadunt, & den-

siores rursus circa se generant, & qui densissimus est, orbi terræ restat infusus. At si comparetur ad terram, tenuis admodum iudicabitur, & ad motum agilis, ac densa viuificans. Ne quæras igitur, quam ob causam ad medium densa descendant. Hæc enim ideò densa sunt, quoniam ab initio sortita sunt medium. Rursus quantum rarefactio, & condensatio in gignendis inuicem elementis valeat considera, ne forte neges, pro varia primi spiritus densitate, varia præter ipsum Elementa contingere. Sed interim memento raritatem & densitatem in rebus generandis idearum actionibus, formationibusque inseruire. Conclude animalem quendam spiritum semper ab anima mundi, quasi interioris vitæ propaginem, pullulare, ignemque hunc esse, & quasi animale lumen ipsum, in dimensiones iam porrectum, spiritum actu omnium vbique fomitem, cœlum inquam, non circumfusum solum, sed etiam cunctis infusum, cœlumque cœlorum, flatum animæ diuinioris, sub forma quadam animæ proxima, id est, cælesti, id est ignea: hoc est translucida, lucida, calida; protinus euolantem, mox in aërem dissimiliorem animæ tumescentem, subinde in aquam terramque compactum. His autem tribus cœlestem spiritum passim inesse effectorem omnium, atque seruatorem, proximum quidem flamen, & velamen animæ, & omnium alimentum. Vbicumque igitur

alia sunt, ibidem cœlestem subesse spiritum. Non tamen vbicumque hic est, alia statim adesse dixeris. Sic itaque Cælo proximè reguntur omnia, in quæ cœli substantia non solum virtute cælesti, quæ suam vbique substantiam necessariò postulat, sed etiam sub terra, quædam, quasi cælestia generantur. Sic solo calore viuunt omnia, & occulto quodam calore viuunt, quæ manifestus calor destituisse videtur. Sic vbi extremum apparet frigus, ignis accenditur, & in frigidorum collisione mutua procreatur, cœlo videlicet procreante. Similiter in quolibet animali anima continuè profert spiritum, membris quidem cunctis infusum, sed alicubi etiam solum, alicubi verò humoribus, alibi membris insuper inuolutum. Sed animæ particulares spiritum hunc, qui vapor sanguinis est ducunt: spiritum verò cælestem rationales animæ, quo quasi proximè se inuoluunt, ab ipsa cæli substantia vbique præsente suscipiunt. Ex quo patet, vbique cœlum esse, vt & totum singulaque perfectè continuataque seriè ac mira facilitate regantur à cœlo, & animæ rationales, vbicumque cæleste corpus inueniunt, possident, & pro naturali habeant. Verum cælestis hic ignis, de quo ille inquit.

Igneus est illis vigor & cœlestis origo.

Seminibus, quamuis cunctis infusus, nullis tamen mixtus est: quando neq; visibile lumen in- procedens alicubi cō miscetur, neq; mani-

festus ignis facilè patitur mixtionē. Est autem cœlestis ignis, solus purusque ignis, neque vim patiens, neque inferens: mirificè lucens, sed super aspectum suauissimè calens. At noster comburens, non ignis est purus, sed ignitum potiùs elementum. Qui sanè quod facilius, quam alia generetur, generetque & amplificet se ipsum & longissimè luceat, & ad se omnia trahat, & nascatur vbique, totum habet à Cœlo quod viget vbique. Hinc Theophrastus *libro integro*, ignis potentiam admiratur. Hinc forsan est ille spiritus, quem Stoïci rebus infusum omnibus appellant, naturalium genitorem & mundi seminarium. Hunc Hippocrates *primo de Diæta* etiam ignem nominat. Circulum & conspirationem naturæ in corporibus eo in locò demonstrans. *Fecit ignis*, inquit, *triplices circuitus*. Quasi diceret, fecit natura. Veteres autem hunc spiritum totius mundi vinculum, quo mundus hic ex tam diuersis rebus constans, vnus tamen appellatur, nominabant, quod nihil aliud dici potest, vt Christianè loquar, quam Dei præsentis (quem Theologi naturam naturantem nominant) continua operatio mediante hoc spiritu, igne seu communi seminario quasi proximo instrumento, quam nos naturam naturatam propriè appellamus. Prima igitur natura Deus est. Secunda verò propriè natura est, quæ diuiditur in vniuersalem & particularem. Vniuersalis est ordinaria il-

la Dei potentia, per totum orbem diffusa. Sumiturque pro virtute Diuina, quam Deus omnibus creaturis indidit. Vnde dicebant antiqui Dei omnia plena esse. Præterea ea est natura vniuersalis, de qua Plato loquitur in Timeo, cum ait: Natura est quædam vis infusa per omnia, corporum moderatrix & nutrix, principium motus & quietis per se in ipsis. Quam naturam Hermes iisdem ferè verbis dicit esse vim quandam à prima causa subortam, per omnia corpora diffusam, per se principium motus & quietis in ipsis. Hanc vim Anaxagoras, Democritus, Parmenides, Pythagoras, aliique Philosophi sapientissimi Mentem per vniuersum orbem diffusam, rerum omnium auctorem nutricemque agnouerunt, quam Deum ipsum, ab Orpheo Iouis nomine designatum, intellexerunt. Quæ quidem Platonis fuit sententia, à quo Virgilius hæc mutuatus est *quarto Georg.*

Deum namque ire per omnes
Terrasque tractuque maris cœlumq; profundum.

Item

Principio, cœlum & terras camposque liquentes
Lucentemque globum lunæ titaniaque astra,
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem & caeco se corpore miscet.

Pythagoras quem sapientissimum veterum monumenta proclamant, vt refert Polydorus Virgilius *lib. 7. cap. 1. de rerum inuent.* definit Deum esse animam per naturam rerum

omnium intentam & remeantem, ex quo omnia quæ nascuntur animalia vitam capiunt. Nec dubium idem tenuisse Leucippum; aliosque Democriti discipulos, qui multùm Platonis tempora præcesserunt, cum nihil dixisse videatur, quam quæ vetustissimus ille vates Orpheus cecinerat *libro de mundo*. Hanc eandem fuisse omnium Academicorum sententiam testatur Picolomineus *in fine secundi Physicorum*, ex Platonis sententia. Causæ, inquit, secundæ solum sunt instrumenta primæ causæ, non autem sunt primæ causæ & summæ productionis, vt putabant Aristoteles & Auerroës: sicut & non fuisse necessariam in omnibus Dei præsentiam. Contra quorum impietatem, cum his quibus sacra consonant eloquia, antiquorum vniuersum subsidium adferemus, vt quid de Deo censuerint ipsi referant. Et primo de Mercurio Trismegisto, cuius Pœmander huiusmodi rebus refertus est: Mundum esse vas plenùm Deo, Dei spiritum animam continere. Idem ex Orpheo, Holoastro, Musæo, & aliis. Hinc illud Virgilij:

----- Iouis omnia plena.

Et Lucanus.

Iupiter est quodcumque vides.

Empedocles, cuius mentio fit ab Aristotele *libro de mundo*, asserit omnia esse plena Deo.

Quis clarius Manilio, hanc Dei præsentiam astruit, de congruo rerum ordine scribente.

Nec quicquam in tanta magis est mirabile mole
Quam ratio, & certis quod legibus omnia parent.
Nusquam turba nocet, nihil vllis partibus errat
Laxius & leuius mutatoue ordine fertur.
Quid tam confusum specie, quid tam vice certum
est?
At mihi tam præsens ratio non vlla videtur,
Qua pateat mundum Diuino numine verti.
Atque ipsum esse Deum.

Et alibi similiter,

Hoc opus immensi constructum corpore mundi,
Membraque naturæ, diuersa condita forma.
Aeris atque ignis, terræ pelagique iacentis,
Vis animæ Diuina regit sacróque meatu
Conspirat Deus & tacita ratione gubernat.

His consonant sacra Eloquia. Iob cap. 10. *Manus tuæ fecerunt, & plasmauerunt me totum in circuitu, et sic repente præcipitas me? Memento quæso, quod sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Nonne sicut lac mulxisti me, & sicut caseum me coagulasti? Pelle & carnibus vestisti me, &c.* Diuinus etiam Psaltes *Psalmo* 139. In huius admirabilis opificij contemplationem extra sese rapitur, dum quocumque tendit Deum comitem, & renum suorum scrutatorem, ante membrorum conformationem agnoscit, atque graphicè hanc operationem distinguit.

Vtramque hanc naturam intellexisse videtur Diuinus Hippocrates, modò eam indoctam vocans, vt *in libro de alimento*; modò do-

ctam, vt in *libro de arte.* Quod mutuatus est Galenus *libro decimo de vsu partium*, & *libro sexto de locis affectis.* Nempe indoctam vocauit, quia in se consilij & rationis expers est. Doctam, quatenus eius intelligẽtia instat, ipsamque regit. At ipsa hæc intelligentia, nihil aliud est quam ille Deus, gloriosus artifex, omnia sua opera in optimum & certissimum finem perducens. Natura enim naturata per se cæca est & nescit quo tendit. Quomodo enim tenderet in certum finem, cum ipsum non cognoscat? Proinde necessum est vt ad fines suos ordinetur. Et hoc ipsum conuincit esse causam aliquam vniuersalem, omnium finibus prouidentem. Platonici hunc spiritum animam mundi vocauerunt.

Sed qua ratione hæc inferiora moderetur, generationesque rerum suscitet, inter illos non satis constat. Qui tamen acutius inter ipsos philosophati sunt, statuerunt mundum hunc esse quasi quoddam animal, cuius partes connexæ videbantur, & in motum, & in actionem procliues, non minus quam cæterorum animantium partes, quæ sub anima vitam degunt. Et sicut in his nulla vel minima corporis pars deprehenditur, quæ non ab anima actiones suas proferat; eodem pacto nullam vel minimam immensi huius corporis partem fuisse asseuerabant, quæ beneficio illius animæ mundi non animaretur, ac sustentaretur. Similiter, argumento à minori

ducto, si animalium corpora vitam ab anima qua fruuntur hauriunt, consentaneum magis est vt id accidat in longè nobiliori ac præstantiori totius mundi corpore, idque à potentiore & longè illustriore anima, qua præditum est mundanum illud corpus; qua cum mundi partes singulares potiantur, sequitur & totum viuere. Si quidem à toto partes vitam hauriunt, & ex eo separatæ intereunt. Inde vero inferunt Cœlum omnia ambiens, animam eius esse quæ cuncta fouet ac sustinet. Ac quemadmodum anima & corpus in vnum colliguntur spiritus beneficio; sic anima & corpus mundi, vnita sunt & cohærent mediantibus ac intercedentibus spiritibus æthereis. Hinc Augurelli sententia, *libro primo de Chrysopœia.*

Nonnulli quicquid diffunditur vndique Cœli,
Aeraque & terras & lati marmoris æquor,
Intus agi referunt anima qua viuere mundi
Cuncta putant, ipsumque hanc mundum ducere vitam
Ast animæ quoniam nil est non corporis expers,
Mundus & vt mundi partes quoque corpore constant,
Spiritus hos inter medius sit, quem neque corpus
Aut animam dicunt, sed eum qui solus vtroque
Participans in idem, simul hæc extrema reducat.

Neç tamen inde inferendum, quod nonnulli Platonici censuerunt, vt Aphrodisæus & Philoponus, mundum esse animal quod-

dam ingens, ſenſu ac intellectu præditum. Quæ abſurdiſſima vtique & falſiſſima opinio eſt, ab omnibus Chriſtianis exploſa.

Plato autem de ea *in libro de anima mundi*, ſcribit, quod ipſum Deus in medio ipſius mundi indiderit, & extra duxerit, ſeu, vt Timæo placet, quod animam Deus in medio mundi collocarit, & per totum extenderit, & corpore veſtiuerit, eamque, vt dominam & imperatricem, obedienti præfecerit corpori, vt vniuerſi mundi curam gereret. Eſt enim Platoni anima mundi, nihil aliud, quam δέσμος ille, contrariarum rerum συναγωγὸς, omnis εὐταξίας in mundo fons & principium. Quod antiquiſſimum dogma apud omnes, eſt celeberrimum, omneſque Platonicorum libri eius commendatione ſunt pleni. Animam enim mundi vbique per terram & aquas ſpiritualia, & viuifica ſemina in ſe continere & per ſe gignere vbicumque corpora ſeminalia deſunt: Semina rurſum relicta ab animatis fouere, vbicumque generans deeſt: ſolæque apparent qualitates accidentales, quæ generationem efficiant: vicemque generatricis ſubſtantiæ gerere ſtatuunt, vt Marſilius Ficinus pluribus docet *lib. 4. Theologiæ Platonicorum*. Plotinus exiſtimauit ab hac anima vi ſua illa genitali quaſi turgida ſpiritum promanare, qui per cuncta diffuſus & cunctis inditus, omniumque fit proximus author, totuſque vitalis, vitæ ſeminaria ſingulis rebus infundit.

Ab aliis describitur anima mundi, esse virtutem Dei & quasi ipsius naturæ Deum seu animam mediæ naturæ, per quam Deus in mundo vbique esse, omniaque implere & iugiter conseruare dicitur. Hanc mundi animam siue spiritum planè negare non videtur Aristoteles, dum *libro 3. de generatione animal. cap.* 11. scribit humorem in terra, spiritum in humore, calorem animalem in vniuerso esse, ita vt quodammodo plena sint animæ omnia.

Non absimilis est his spiritus corporeus Stoicorum, seu spiritus corpore tenuissimo indutus, quem omnibus elementis, & rebus communem sapientissimè agnouerunt. Qui quidem in omnibus idem esset, quod ventus à follibus in organa immissus vnde sonum edant: sic ab illo spiritu ineunte res cunctas moueri, prout ipsarum fert aptitudo. Si enim materiam ignis iubeat, eius quam acutissimos aculeos motu quam aptissimo diducit mouetque, prout eorum naturæ conditio postulat. Eodem pacto, si aëris, si aquæ, aut terræ materiam ineat, vnicuique mensuram dat congruam, partes quoad requirunt, alias remouens ab aliis, atque mouens vnumquodque, prout à mente ordinatum est, & prout suæ naturæ competit. Sic cum ignis materia, ignem; cum aëre, aërem efficit, & ita de reliquis, estque in rebus omnibus vel sicut omnium forma, vel seminarium tertium, vel forma specifica, intra communioris ideæ am-

bitum comprehensa. Et enim ex multis particularibus formis in mundo intelligibili, forma quædam est cōflata vnica, qualem vel omnicorpoream vel παντόμορφον visus est appellare Mercurius. Deinde ex specificis pluribus paulatim in vnam genericam subalternam, & hinc in generalissimā refertur. Itaque gignendarum species quamdiu in illo communi seminario delitescunt, re vera vnum sunt quid, distinctæ solum secundum potentiam siue respectum ad speciem, qualitatem, corpus atque materiam informandam.

Eiusdem quoque communis formæ in vniuerso communis est spiritus. Cuius qualitas communis atque subjectum, est Mundus scilicet sensibilis, mundo huic minori vndique circumfusus, quemadmodum passim totius ratio assistit partibus singulis, vt idea communis speciebus inferioribus, vt Sol suo calore, & lucis viuifico radio plantarum seminibus, & terræ simul assistit, eaque potestate in actum prouocat. Quæ sanè consona videntur his quæ Moyses, *primo Geneseos*, affirmat, dicens, Deum rebus creatis indidisse semen, quo potestatem haberent gignendi similia quæque, iuxta suam speciem. Seminis autem ratio in eo consistit, vt debita sit inter elementa proportio, qua possint inuicem agere & pati. Alioquin si vel frigidum comprimeret vt nequiret agere, vel calidum frigus dissolueret & humidum, non fieret gene-

ratio. Priori namque modo pugna non erit contrariorum. Posteriori vero tota compages dissoluetur, calore abeunte. Generatio enim est moderata contrariorum pugna, iuxta illud Empedoclis, *discors concordia fœtibus apta*, Atque hunc in mundum Heraclitus verissimè enuntiauit, naturam ex bello esse genitam. Et Homerus cecinit, eam in contentione & lite esse positam. Melius tamen Empedocles, quando litem cum amicitia junxit, ex quibus omnia prodire affirmauit, eo quod elementa in suo consensu discordent: concordant verò vinculo Vnitatis, per quod omnes actiones, attractiones, retentiones, conjunctiones. expulsiones fiunt: Deus enim per hunc spiritum non aliter singula elementa mouet, quam ipsamet res se moueret, si vis illa motrix ipsi innata esset: V. G. conjuncta ipsa appeterent maximè sui solutionem, vt vnum quodque regionem sibi debitam similiumque consortium obtineret. Quod ipsum intendit hic spiritus, vt vnumquodque elementorum solutione eò deducat, quo ipsorum natura propendet, in eòque potissimum occupatur, vt similia segreget in singulis, & singula in suum locum vehat. Ergo in hac elementorum varia pro subjecti natura proportione, quam compositi naturalis semen meritò appellauit Moses, & in hoc maxima ex parte ratio sita est, qua ad horum attractionem extima elementa coeant in συγκρισιν. Et

in hoc relucet immensa Creatoris sapientia, quod talem ordinem, talemque rerum proportionem constituit, dum hic vnus spiritus materiæ diuersissimæ partes quasque mouet, quatenus earum natura postulat, vnoque motu locali tam diuersas, tamque mirificas rerum mutationes edit. Et proculdubio naturalium mutationum causæ hoc vno locali motu certius deprehenduntur, quam Peripateticorum infinitis qualitatibus, formarumque substantialium creatione, in quibus particulatim continuè creandis author naturæ sit assiduus.

Hinc ostendi potest, nihil de nouo fieri, omnesque rerum mutationes nihil esse aliud, quam migrationem huius spiritus ex vna parte in aliam, prout fit materiæ mutatio. Excedat enim hic spiritus, quid erit ignis? Contrahetur ocyus, formamque aut terræ, aut pulueris subibit, nihilque virtutis in eo supererit, nisi illa instrumentalis aptitudo, qua in alium motum finemque ordinatus est, quam sit aëris, aquæ, aut terræ materia. De quibus idem pro modulo suo censendum est. Adeò vt ausim cum bona venia dicere, de hoc spiritu Prophetam loquutum his verbis. *Auertente te faciem tuam turbabuntur gentes, auferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Similiter te dante illis colligent, componente te manum tuam, & omnia replentur bonis.* Vbi sanè & spiritus huius quædam immistio

mistio insinuatur: & *Psalmo* 104. qui vniuersi compositionem satis ostendit. *Emittes Spiritum tuum, & renouabis faciem terræ.* Quæ spiritus emissio nihil aliud esse videtur, quam spiritus Elohim, quem scribit Moses instar gallinæ incubuisse aquis, & ita fouentem vt possint ad educendos fœtus præparatio. Quod ex filo orationis apparet. Nam versu sequenti docet, quanta fuerit vis illius spiritus. Lux enim ceu pullus primus, exclusus fuit de massa, postea reliquæ creaturæ. Huius etiam virtutis meminit Ezechiel *cap.* 3. Et huic spiritui tribuit vim & officium viuificandi etiam res mortuas, & dicit eum occupare totum mundum, sicut Moses aiebat eum incubuisse aquis, *A quatuor ventis veni ô spiritus & spira in interfectos istos, & viuent. Et ita factum est.* Confirmantur hæc authoritate Patrum sanctissimorum, & nonnullorum Rabinorum, tum etiam Poëtarum prophanorum, qui aut Mosis libros legerunt, aut doctrinam de creatione ab aliis haustam acceperant. Platonici hunc spiritum animam mundi vocabant. Non quod propriè & formaliter Spiritus sanctus sit anima mundi (hoc enim esset blasphemum) sed efficienter, nempe quod hic spiritus animet & viuificet mundum. Idem enim sunt re & nomine spiritus, & anima, distincta solum per gradus. Anima enim ab ἄνεμος, qui ventus dicitur, deducitur. Ventus autem & spiritus idem sunt. De qui-

bus consule Hippocratem *lib. De Flatibus*. De hac anima multa *in libro de Legibus*. Plato retulit. Mercurius Trismegistus idem scribit, ferè ac Moses, & mirabilia certè sunt eius verba: *Spiritu*, inquit, *agitur & gubernatur omnis in orbe spiritus, implet omnia. Mundus nutrit corpora, spiritus animas. Spiritu administrantur omnia, & vegetantur in hoc mundo. Item nunc quòd restat*, inquit, *in hac ratione audito. Hoc spiritu, vt sæpè antea diximus, omnia indigent: omnia enim portat pro cuiusque dignitate, omnia viuificat, & alit, à fonte sancto producitur spiritus & vita fœcundissimus.* Hæc Trismegistus. Quæ omnia consentanea sunt his quæ scripsit Moses. Imò & eius verborum explicatio videtur, & *spiritus Elohim*, id est diuina voluntas, *incubabat aquis*. Sæpè apud Poëtas sumitur pro Deo. Vt Ouidius *in Metamorphosi*, Deum vocat illum, qui quæ confusa erant in Chao, sua virtute secreuit & distinxit.

Hanc Deus & melior litem natura diremit
Nam cœlo terras, & terris abscidit vndas,
Et liquidum spisso secreuit ab aëre cœlum.

Anaxagoras scripsit vim accessisse ad Chaos, & inde res secreuisse; mentemque vocauit illam, quem Moyses spiritum Elohim. Docuimus igitur hunc spiritum non fuisse ventum, sed spiritum diuinum.

Non hîc contendo, vt gentilium Poëtarum mentem per has scripturas interpreter: sed vt ostendam hæc adeò esse vera, vt Philosophi

gentiles, & prophani scriptores illa confirment. Ex quorum verbis, vt ex diuinis, liquet colligere, æthereum hunc, & viuificum spiritum vbique in omnes res esse infusum ac insitum. Vnde non erit absurdum, vires, potestates omniumque rerum actiones à spiritibus, tanquam à causis deriuare. Fabricauit enim Deus hanc mundi compagem harmonia atque musica ad inuicem proportione cohærentem, vt quæ in mundo superiori sunt, ea quoque in mundo inferiori sint, sed modo terrestri: quæ item sunt in inferioribus, etiam in superioribus videantur, sed modo cœlesti, imposuitque virtutem specificam in singulis rebus, per quam in singulis ipse deprehenditur: ipse enim in omnibus & omnia in ipso, vt supra ostensum fuit. Non secus ac omnis numerus est in vnitate; aut sicut omnes lineæ rectæ sunt in centro, & sicut membrorum vires sunt in anima. Et quidem habita ratione substantiæ suæ indiuiduæ, rectrix est sui corpusculi, & tota toti corpori, eiusque cuique parti præsens est: Ita Deus in hoc mundo vbique est, eumque implet & moderatur, iugiterque conseruat per spiritum, quem à perenni fonte immisit singulis rebus, implens singula liberalitate sua. Vnde rectè, per quandam similitudinem animæ Deum, atque Dei virtutem, quæ omnes res sustinet, animam mundi, naturam aut mundi animam appellamus. Non quod mundus sit animal, vt supra explosum

est, sed illum filo orationis eminentiori contexere persuadet materiæ sublimitas. Ipsa nempè est quæ intrat omnia corpora, quæ impedit vacuum, quæ materiæ diuersissimas partes colligit, separat, disponit, prout rerum species postulant; partesque materiæ diducit, dissimilium expulsionem, similium ab vnaquaque particula attractionem ac retentionem intendit.

Describitur virtus cognoscendi primum, deinde generandi seu educendi omnes species secundum exemplar & sigillum diuinæ pulchritudinis sibi impressum, commissum à Deo primo per Mentem & Animam, fluens in materiam mundanam, in quam infundendo recepti splendoris scintillas corpora constituit speciebus simillima, eaque omnia vita, luce, & actu ornare non desinit.

Eius proprietates sunt pœne infinitæ: nam omnium rerum vita, lux & actus primus dicitur: omnia sua fœcunditate impellit, nutrit, animat, & viuificat res mortuas, omnibus rebus formam specificam impertit, & dat esse rei: Materiam primam tum interna, tum externa forma carentem impellit, & informat, partes diuersissimas & minutissimas diducit & separat, & subtilitate inter se credibili sese insinuat, cogendo homogenea, separandoque heterogenea, ne fiat vacuum.

Per compositionem & resolutionem rerum, primum eius actio innotuit, proinde materiæ

tenebrosæ imposita lucem & seminales rationes eduxit: & sic facta est lux. Secundò per hanc actionem lucem à tenebris separauit, tenebras ad centrum dejecit, lucem verò vndique effudit. Vltimò verò innotuit huius actio per progressum & ordinem compositionis, nimirum mixtorum. Primo enim composuit elementa, & ex elementis variè inter se mixtis Vegetabilia, Animalia, & Mineralia, de quibus postea dicetur.

DEMONSTRATVR essentiam hylæ informem, sigillo Idearum iam impressam & adęquatam fuisse infinitarum atomorum confusam congeriem: tum elementorum elementantium molem indigestam & inconnexam, quam vulgo Chaos vocamus, ex quarum diuersissimo situ diuersas formas corporeas exsurgere in dies conspicimus.

CAPVT XII.

NATVRALIVM corporum ordo ita est institutus, vt in primam descendat

materiam, & in vltimam ascendat formam. Et quo magis materia quæuis ad materiam primam accedit, eo potior materia fit, id est verior puriorque materia. Quo magis aliqua forma ad vltimam formam, perfectior. Materia enim prima materiarum materia est. Forma vltima est forma formarum. Vtrumque duobus exemplis accipe. Vnum pro suprema forma; alterum pro infima materia inuestiganda. Cùm Deus, vt sacræ testantur literæ, hominem fecerit ad suam imaginem, certè est in homine Dei statua, quamuis additamentis multis abscondita. Primò igitur separa corpus ab anima. Secundò ab eadem corporeas passiones. Tertiò imaginationes à ratione. Quartò rationales discursus ab intellectu. Quintò intellectualem multiformitatem ab ipsa animæ vnitate. Sextò, in hac vnitate animalem intellectualemque conditionem. Septimo gradu, vt arbitror, conquiesces. Inuenies enim ipsam simpliciter vnitatem, Deum, sub tali vnitate latentem, quæ suprema seu vltima forma est. Similiter mundum quoque statuam suam fabrefecit Deus, sed multis velaminibus opertam. Subtrahe primo materiam, relinque cætera, iam habes vbique cælum, cui materiam ademperis, Deme rursum cælesti huic mundo dimensionem, serua omnes formas omnesque formarum motus: nactus eris animam vniuersam. Tolle motus, formis omnino reseruatis, vniuersum mox

possides intellectum. Sed hinc aufer dimisos inter se, velut in cœlo, formarum radios, accipies lumen ipsum in se principium radiorum, neque dispersum per radios, nec radiorum speciebus determinatum, sed absolutissimum & simplicissimum & immensum, quod & ipsum est bonum, suprema nempe forma. Vltimam autem materiam inueniemus, diuidendo corpus animalis in membra quasi materiam, membrum quodlibet in humores quatuor qui sunt quædam membri materia.

Similiter humorem quemlibet in quatuor elementa. Elementum vero in materiam simplicem, ad quam deuenire tandem oportet, ne descendamus in infinitum, neve compellamur è conuerso ascendere sine fine. Nusquam enim erit actus mixtus, si nusquam mixta potentia fuerit. Nusquam rursus actus purus inuenietur, si nusquam potentia pura valeat, reperiri. Et cum actio ab actu puro exordium habeat, passio à pura potentia, actiones passionesque nusquam essent, nisi ab aliquo simplici originem ducerent. Sit ergo subiectum simplex. Oportet vtique hoc subijci actui simplici subiectum quod prima materia nominatur. Quocirca ipse naturæ artifex in corporibus fabricandis principio hanc materiam accipit nudam, mox elementorum vestit qualitatibus atque formis, dein elementa in speciem producit humorum, deinde humores in formas membrorum digerit: membris ad-

dit ſpeciem nutriendi, huic ſentiendi formam, huic tandem intelligendi.

Cognoſcitur autem iſta prima materia per analogiam ad materiam artificialem. Naturam enim ars imitatur. Ars opera ſua hoc facit ordine. Videlicet in ſubiecta quadam materia formas alias ac alias imprimit, quarum nullam ſibi propriam habet materia. Nullam enim propriam vaſis alicuius formam habet lutum, ſed varias viciſſim capit à figulo, & fractis vaſis ſupereſt lutum, ex quo alia reparentur. Similiter & ipſa natura rerum artifex ſubiectam ſibi quandam materiam habet, omnium formarum expertem ad omnes ſuſcipiendas pariter præparatam. Et ſicut in ſummo rerum gradu eſt actus purus, nullius indigus, formarum omnium effector: ita & in infimo aliquid eſſe debet, quod ſit pura potentia, omnium egena & ipſa per ſe informis, ſed formarum omnium ſuſceptiua. Sic vniuerſali artifici atque naturæ ſubeſt vniuerſalis, materia, formarum quarumlibet indifferens ſuſceptaculum, quam hactenus informem Hylam nominauimus.

Hæc prima vocatur materia, quæ elementorum aliorumque corporum formis per varias modificationes æquè ſubijcitur, & modo hanc à vi naturali accipit, modo illam, nequo yllam materia habet propriam. Non enim eſſet infima, ſi aliquam haberet perfectionem & agendi facultatem ſibi ex forma propria

naturalem. Neque eſſet ad aliam formam, formæ ſuæ repugnantem, idonea, nam ſi in materia proprietas frigiditatis ei naturalis eſſet, quonam pacto calorem ſuſciperet? & ſi humiditas, quomodo ſiccitatem? Sic quando cernimus aquæ formam, vbi prius terræ forma apparuit, dicere non poſſumus aquæ formam quæ nuper aduenit, in terræ formam recipi, quum ſint omnino contrariæ. Forma igitur terræ non ſuſcipit formam aquæ, ſed terræ forma redit in atomicum chaos.

Neceſſe erit igitur vnum præſupponere rerum omnium ſubiectum informe, & omnium receptiuum, quod Hyla ſeu prima materia nominatur.

Hanc Plato infinitudinem nominat, dicendo ipſum bonum infinitudinem & terminum peperiſſe, ſtatimque inuicem immiſcuiſſe, atque ex hac mixtione ſingula compoſuiſſe, id eſt ex potentia quadam formabili & forma accedente, quæ indefinitam potentiam definiat, & in ſpecie optata perficiat. Et ex his duobus intelligibilem mundum à Deo proximè conſtitui aſſerit: ſenſibilem vero ex iiſdem vel ſimilibus conſtitutum, ita vt intellectus ille proximus, mundi viſibilis architectus, materiam ab ipſo bono acceperit quodammodo ſpiritalem, ſed iam ſub ſe in dimenſionis molem degenerantem, informemque & vacuam.

Intelligibilis ergo mundus medius videtur eſſe inter viſibilem & ſuperintelligibilem,

nempe ipsum bonum. Est enim imago boni, exemplar corporei, eodemque modo à bono pendet, sicut splendor extra Solem, à luce intra Solem, producentem extra se mundi animam, sicut splendor effundit ex se lumen, perque animam singula generat, & sicut splendor per calorem corporea gignit. A bono igitur bonitatis suæ infinitæ, creata est materia hæc, vt omnium rerum subiectum primum receptiuum, in qua imprimuntur, sigillantur & figurantur, iuxta simplicissimam ideam Diuinæ mentis, rerum omnium faciendarum quasi genera generalissima.

Cælum & terras campo[s]que liquentes
Lucentemque globum Lunæ Titaniaque astra.

Et non secus ac figura ceræ à sigillo impressa figuram sigilli repræsentat, non destructa cera; eodem pacto hæc materia ideali sigillo admota & adæquata, non destruitur, quin potius in esse pristino suo per illius essendi modos confirmatur, & in speciem suam redintegratur: (sequens enim actus roboratur à primò) sed iam primis speciebus rerum faciendarum modificata. Prima autem illa modificatio non solum adæquatiua, sed & separatiua apparuit. Diuisam enim huius massæ materialis essentiam in quatuor essendi ordines intelligimus, nempe in essentiam Mentis, Animæ, Naturæ & Materiæ. Illamque mentis adhuc inanem & vacuam primo formalibus rationibus, vt radijs idealibus diuini vul-

tus, accendit diuinus opifex, quas diffudit in Animam, eiusque essentiam prius obscuram & intellectuali radio carentem rationibus multiplicibus rerum ornauit. Et sic creatus fuit mundus intelligibilis, cœlum à sacris dictum superintelligibilis imago, & huius exemplar. Visibilem pariter mundi materiam, terram inanem & vacuam, in duas essentias diuisit. Vnam, vt puriorem & spiritali radio proximiorem, seminibus rerum omnium decorauit, Alteram, vt crassiorem & corporeæ molis, proximum subiectum fecit omnium formarum corporearum.

Hanc vt impurissimam & tenebrosissimam massæ partem à lucidiori & puriori separatam ad centrum expulit, proinde ait tenebras fuisse super faciem abyssi. In hac parte aderat summa imperfectio & rerũ faciẽdarum summa confusio. Proinde dicit terram fuisse inanem & vacuam, hoc est nihil aliud terram fuisse, nisi materiam informem, vastam tenebrosam, in qua omnium rerum faciendarum materia latebat confusa, quousque educta fuerunt singula, propriisque formis adaptata, dum Spiritus Domini incubabat aquis. Qui quum totus igneus & lucidus fuerit, nonne æquum erit credere, hunc spiritum vigorem specificum & formam specificam toti huic massæ impertiuisse, lucem nempe & seminales rerum rationes reliquisse, quousque singulæ formæ, secundum exemplar suum, pro-

priis & domesticis conuenirent materiis, sed adhuc incorporeis & indiuisibilibus, quas postea ex massa hac separauit per operationem sex dierum. Primoque die separauit aut eduxit lucem ipsam, ipsamque diffudit & extendit à terra ad cœlum empyreum (quod spatium aqua fuit repletum) corporeæ mediæ inquam forma, per actum nempe animæ agitantis massam illam, ligantis & connectentis atomos massæ aqueæ, lucis ideis, signatas, in lineam aut plures lineales radios inuicem per motum animæ in materiam atomicam à centro ad circumferentiam diffusos. Hanc cœlum sacræ literæ appellant, stellis radiantibus vbique munitum, inter substantiam corpoream & incorpoream mediam naturam obtinens, quintum Elementum à Philosophis nominatum. Ita ex atomis homogeneis facta sunt homogenea, ex heterogeneis heterogenea. Ita corpora sunt vel contigua aut continua, ob harum atomorum inter se continuitatem, vel contiguitatem. Ex maxime continuis enim & heterogeneis facta sunt Sal, Ignis, & Mercurius. Ex minus continuis heterogeneis Aër, Aqua & Sulphur. Ex minime continuis & maxime homogeneis Terra rerum omnium mater.

Ex quibus patet nihil esse reale in corporibus, præter atomos, ex quarum diuerso situ & primo charactere omnia corpora composita esse conspiciuntur. Cæterum non casu con-

fluxisse, sicut putabat Epicurius, credere velim, sed Dei manifesta prouidentia, secundùm quam vnamquamque atomum suo disposuit loco. Ex his etiam corporum mixtio fieri solet, quatenus Elementorum atomi variè inter se commiscentur, definiente Scaligero, *esse motum minimarum partium ad mutuum contactum vt fiat vnio.* Partes minimæ sunt atomi, quæ variè commiscentur. Hæ mutuo se debent contingere. Si enim se inuicem haud contingant, quomodo corpus inde fiet vnum? Neque tollitur hic contactus per continuitatem, sed manet. Quomodo enim corpus possit esse vnum continuum, nisi partes se inuicem contingerent. Neque hæ atomi ita mixtæ, fiunt vnum ens: neque tale quid ex ijs fit, quamuis totum illud sit vnum continuum; mouentur enim vt fiat vnio atomorũ, non vnitas. Quando autem res in sua principia, rursus resoluitur hæ atomi ita mixtæ à se inuicem segregantur & atomi terræ congregantur, atomi aquæ itidem in vnum colliguntur.

Ex his atomis diuersimodè positis ratio redditur rarefactionis & condensationis, corporeitatis & incorporeitatis. Hæc enim quomodo fierent absque penetratione corporum? Quæ si admitteretur, corpora neque extendi, nec contrahi possent. Nam quum atomi sint minimæ species, quæ ob indiuisibilitatem minores fieri nequeunt, necesse est vt si totum corpus contrahatur, multæ atomi se inuicem

penetrent. At nos multo manifestius causas dabimus rarefactionis & condensationis, nempe corpora rarefiunt, quando hæ atomi à se inuicem segregantur, & intermedius interuenit spiritus aëreus. Ita in fumo sunt minimæ partes ignis, olei, Salis, & Mercurii, aëris, aquæ, & terræ, sed à se inuicem separatæ, interiecto inter illas spiritu aërio. Quando vero condensantur aut in corpus redeunt, spiritus ille aërius expellitur, & partes fiunt propiores. Proinde quid mirum, si Platonici appellent corpora vmbras quasi & imagines entium, potius quam vera entia. Intercedente enim hoc spiritu entia in primo suo esse confirmantur: recedente vero à priori actu, maximè recedunt & ad vacuum declinant. Sic hoc intercedente rarefiunt corpora & lucis referunt formam: recedente, ad tenebras & noctem festinant.

Cæterum has rerum atomos pro materia prima statuebant non solum Democritus, Empedocles, Anaxagoras, alijque quam plurimi nobiles Philosophi & Chymici: sed Plato etiam ipse, pro materia prima naturas quasdam diuersas minutissimas & tenuissimas, ex quarum diuersa coniunctione res fierent. Quæ quidem naturæ siue sint quatuor elementa, siue quid aliud prius, ex quo hæc elementa componantur, speciei diuersissimæ fuisse constituebant. Porrò has naturas, quæ ad ignem conficiendum magis idoneæ sunt, nos ignem

vocamus, & ita de cæteris.

Quamquam autem veteres discrepare inter se videbantur ex Aristotelis relatione, in assignatione horum principiorum: in eo tamen concordarunt, quod ad rei cuiusque generationem, principiorum eiusmodi præexistentium, diuersam compositionem requirerent, qua structura variante, res quotidie diuersimode mutarentur. Haud secus atque videmus Typographum ex ijsdem characteribus aliter atque aliter dispositis, alias atque alias orationes effingere. Quam diuersam posituram elegantissimis exprimit verbis Lucretius:

Dissimiles igitur formæ glomeramen in vnum
Conueniunt & res permisto semine constant.
Quin etiam passim nostris in versibus ipsis
Multa elementa vides multis communia verbis
Cum tamen inter se versus, ac verba necesse est
Confiteare alia ex alijs constare elementis,
Tantum elementa queunt permutato ordine solo.

In eum modum ex quibusdam principijs: sed quæ interitum nescirent, diuersimodè coeuntibus, omnes omnium rerum mutationes fieri autumabant. Hæc autem in compositis propriam naturam seruare credebant, neque aliter agere, quam vi alicuius formæ, quæ fuit in composito vel mixto. Singularis exemplum artis sumamus. Conuersio cibi assumpti in propriam partis naturam; nihil aliud est, quam post resolutionem sufficientem massæ

sanguineæ; dissimilium expulsionem, similiumque ab vnaquaque particula attractionem atque retentionem, quæ vni namque parti, carni puta, dissentiunt ac preterea ab illa reijciuntur, alijs plerumque similes V.G. neruo & ossi, ab ijsdemque in communem prolectæ amicitiæ vinculo retinentur. Itaque cum prius essent per cibum dispersæ hæ particulæ, atque ab alijs quibusdam confusæ & impeditæ, facta iam resolutione per multiplicem coctionem discretæ & liberiores redditæ, similes iunguntur similibus, vimque iam nactæ aliæ aliò facile secedunt, partem illam singulis quærentibus, cui se propter conformitatem adiungant. Hinc certum est nihil de nouo generari vel augeri, vel vllo modo ex alio fieri, nisi partium noxiarum preuia depulsione, aliarumque debita copulatione. Sic ex cibo fit chylus, ex chylo sanguis: ex sanguine lac, ex lacte butyrum, ex butyro caseus & vermis. Quæ mutationes fiunt, non introductione nouæ substantiæ, vt voluit Aristoteles, sed partium diuersarum separatione & congregatione.

Cæterum quod erat vinculum harum diuersarum partium, in optimum finem conuenientium diximus.

Hoc argumento adducti Chymici quidam illustres, per duo rerum principia, διάκρισιν nempe & σύγκρισιν, vniuersas naturæ operationes perfici constituerunt: per quas constat

vnum-

vnumquodque Physicum corpus, in œconomia sui indiuidui, Chymicas operationes absoluere.

Prædictam autem partium varietatem, pulchrè, sensu primum, deinde ratione in singulis rebus vigere experimur. Diuersitasque hæc tanta videtur esse, quanta gradus fixationis & volatilisationis. At gradus iste sensu multiplex inuenitur. Imo in eodem elemento sensu simplici mille eiusmodi gradus conspiciuntur. Si enim æquè volatiles aut fixi essent, numquam profectò generationum aut corruptionum leges absoluerent.

Præterea nos docet experientia, in artificiali & Chymica resolutione & compositione, quæ per distillationes exercentur; perfectam duorum aut plurium corporum, mixtionem non fieri, nisi in subtili vapore. Quæ cum in artificialibus tam tenuium partium inueniatur, quanto subtiliorem in naturalibus desiderabis.

Præterea cuiusque rei διάκρισις seu dissolutio, hoc idem ostendit, omnia enim in ea resoluuntur, ex quibus componuntur. Atqui compositum non primo resoluitur in ipsa prima elementa, sed in partes quasdam inter se natura discrepantes, quarum singulæ species rursus in alias multiplices diuiduntur, & hæ in alias minores conciduntur. Exemplo sit vua, quæ primo nascitur insipida; deinde fit accida, denique dulcis, pressa in mustum & recre-

menta resoluitur. Mustum feruescẽs partim in vapores abit, partim in spumas, partim in fæces subsidet. Nobilissima, vero pars vinum est, quod rursus si distilletur, eius pars magis ignea sublime petit, reliquum vero facessit in acetum, ex quo longa fermentatione & circulatione super suo sale elici potest spiritus φλογιςὸς tandem egreditur spiritus aceti acerrimus, & remanet in fundo materia quædam crassa & terrestris, ex qua per calcinationem elici potest Sal: demum remanet terra, ex qua cum salibus appropriatis educitur vitrum. Similiter tenuitas partium & quasi insensibilitas latet in multis partibus rerum compositarum, & per dissolutionem manifestarum. Sic odores, sapores, caliditas, frigus, sonus, venti, radij, sunt in corporibus quasi in propriis subiectis, quamuis penè insensibilibus. Et tamen esse corpora sentimus: odoribus enim pereuntibus, perit etiam substantia compositi, partium subtilium exspiratione. Et nos hoc docent aromatopolum scrinia, qui atomata, curant diligentissime occludi, ne quid expiret, certum edentes testimonium, illarum partium quæ expirant, partes eas esse quæ tuas nares subeunt, vt talem sensum ijs præbeant.

Præterea exacta experientia fidem huic rei præstare potest. Sume aromatica sicut cinnamomum fragrans & optimum. Distilla per balneum ex vase vitreo optime occluso absque additione, quousque omnis spiritus &

pars inflammabilis & odorifera extracta fuerit. Tunc aufer cinnamomum è vase, & inuenies materiam insipidam, & inodoram: in recipiēte vero inuenies materiam sapidissimam, spiritum nimirum, odore mixti perfusum.

Ex quibus patet incredibilem istam partium tenuitatē, quæ reperitur in omnibus odoribus, quæ procul dubio non est (vt volunt Aristotelici) species spiritalis aut intentionalis, sed ipsissima & tenuissima, imo & corporea substantia mixti. Similiter in Sulphure, in Mercurio, in Antimonio, in plumbo, mille eiusmodi corpora inueniuntur. Similiter quoq; id quod ex aquis fortibus & spiritibus vitrioli exhalat, feriens nares, non est species intentionalis, sed ipsissima mixti substantia. Sic canes, heri, ferarumque vestigia subsequuntur per contactum exuuiarum animalis, relinquentis minutissima corpora in aëre, prædita odore specifico ipsius animalis. Tales corporum exuuiæ deponuntur partim per spiritum quem amittimus: partim per continuam perspirationem, sicut cernimus in perpetua deperditione substantiæ corporis, quæ resarciri non potest, nisi noui alimenti assumptione. Hæc sensibiliter deprehenduntur in felibus, cum inuersis pilis manu suauiter in loco aliquo tenebroso demulcentur: percipies enim exeuntis ignis scintillas, non minus ac è silice contra ferrum illiso. Hoc ipsum etiam in aliquibus equis generosis deprehendimus. Imo & Faber nota-

uit historiam Virginis, quæ dum pectine deducebat capillos, decidebant scintillæ ignis. Quæ omnia certum nobis edunt testimonium, omnia corpora viuentia emittere exiguas siue tenuissimas substantias sulphureas, per corporis poros retinentes materiam mixti ex quo demissæ fuerant. Ita vt si quis in corpore sano seueriori examine adhibito velit penitius rem ipsam introspicere inueniet non solum tertiam partem cibi assumpti, & è chylo in sanguinem, & è sanguine in igneam & sulphuream substantiam, conuersam (spiritui vini non absimilem) indies per corporis poros transpirari non secus ac alia excrementa per vrinas & aluum sed etiam in morbido hoc ipsum calidissimum effluuium siue à pororum reseratione, siue à crassitie substantiæ effluentis accidat, retentum, & ad cor transmissum, febres omnes accendere, aliquando putridas, aliquando non putridas, quæ profecto obseruatio ad febrium putridarum dignoscendam naturam, magnopere conferre videtur, & cui sententiæ suffragrari etiam videtur Gal. 1. *de differentijs Febr. cap. 3. Si corpus vitiosis humoribus plenum fuerit, nulla vero obstructio aliquod ex visceribus obsideat, libere autem totum animal per cutim difflatur ac refrigeretur: sanitate quidem fruetur animal, sed dubia & momentanea. Cum autem constringi terminum exteriorem, aut obstrui penitiorum partium meatus contigerit: in constrictionibus quidem febres consequuntur ephe-*

patra, in obstructionibus putridæ.

Præterea cum morbum sanatio ostendat, si methodum curandi febres quam Galenus tradidit videamus 11. *Method. cap.* 10. idem inde euinci posse videtur. Nam ibi Galenus febrem deducit à putredine; putredinem à prohibita transpiratione; prohibitam transpirationem ab obstructione; à qua, vt inter causas prima, curandi initium facere præcipit: propterea iure merito in omnibus febribus putridis venæ sectio vt epigenemonicum præsidium maxime admittitur, aperto enim vaso quasi vno poro infinitorum aliorum effluuiorum & calidissimorum spirituum, propter crassitiem retentorum, sed iam cum sanguine effluentium, datur recompensatio, quod ex riuuloso venæ fluxu satis superque innotescit, spiritus enim huius & effluuij calidissimi collectio cum impetu sanguinem erumpere cogunt. Hæc cum sint supra modum tenues substantiæ & in continuo fluxu. Quid mirum si visum nostrum fugiant & magnum aëris tractum illorum vestigiis imbutum derelinquant, hinc canes heri & ferarum vestigia subsequuntur, quorum odor illico ab animali recipitur & distinguitur. Sic boues transeuntes per loca, vbi mactati fuerint alij, illico mugiunt & terram cornibus & pedibus feriunt. Multi felem vel arca inclusum sentiũt. Sic, vt refert Plutarchus *in vita Alexandri Magni*, homines lætabantur & confortabantur in

eius approximatione, quoniam carnes eius suauiter redolebant. Sic ventus per eiusmodi corpora immanes quercus & montes euellit & prosternit, ingentes naues euertit. Sunt igitur, vt Lucretij verbis vtar, venti nimirum corpora cæca. Quibus consonat illud Virgilij *libro primo Georgic.*

Omnia ventorum concurrere prælia vidi,
Quæ grauidam late segetem ab radicibus imis
Sublime expulsam eruerent.

Pari ratione Lucretius referens doctrinam Epicureorum, probat eiusmodi species spiritales esse corpora.

Nec calidos æstus tuimur, nec frigora quimus
Vsurpare oculis, nec voces cernere suemus.
Quæ tamen omnia corporeâ constare necesse est
Natura, quoniam sensus impellere possunt:
Tangere enim & tangi, nisi corpus, nulla potest res.

Hanc Democriti doctrinam de minutissimis corporibus, si vis atomis, ab Epicuro receptam sensus & ratio confirmat. Probat enim esse quædam corpora ita exilia, vt præ tenuitate vix conspiciantur. Vtiturque argumento, in quo omnes Philosophi consentiunt, quod & ipse Aristoteles *libro quarto Physicorum*, refert; putant, inquit, omnes Philosophi illud esse corpus, quod tangi potest. Imò ipse Aristoteles, experientia teste, pro Democrito stabit, omnia corpora ex atomis constare. Elementorum enim componere mixtionem, obscuro sermone reuelare, neque reticere

omnino voluit ingeniosus Philosophus, quæ vt naturæ intentioni congruat, per minima & actu indiuisibilia corpuscula fieri necesse est. Alioquin in corpus continuum aut naturale non coalescerent. Neque ex fortuito harum atomorum concursu corpora fieri dicebat, sed generationem nihil aliud fuisse, quam σύγκρισιν & διάκρισιν. Has autem primas particulas adeò minutas fuisse asserebant, vt nisi plurimæ simul coirent, sensum non afficerent.

Quare qui has atomos similes putant illis, quæ in Solis radijs conspiciuntur, valde errant: nam in singulis, mille, quales sunt Democriti atomi, inueniuntur. Neque enim credibile est ἄριστον φύσεως καὶ κόσμου ἑρμηνευτὴν, optimum naturæ & mundi interpretem, vt eum appellat *in Epistola* Hippocrates, & qui in Persia, Arabia, Æthiopia, & Ægypto versatus, Magos & Sapientes illorum locorum consuluerat, vt habet Plinius *lib. 3. cap. 1.* tam absurda de atomis & rerum generatione sensisse, qualia ipsi vulgo attribuuntur. Prisci etenim veteres illorum doctrinam sub verborum inuolucris tradebant. Vnde factum est, vt posteri contra verba potius, quam mentem illorum quam non intelligebant, aut intelligere nolebant scriberent. Non enim intelligit atomos esse solum prima & remotissima rerum principia, sed esse prima corpora sensibilia, quæ in resolutione rei apparent, in quo cum Empedocle consentiebat atomos illas fuisse varias

ignis, aëris, aquæ, terræ ſpecies. In diſſolutione enim non ſemper ad prima elementa & materiam primam deuenimus, ſed ex corpuſculis iam antea in ſua eſſentia conſtitutis & variè inter ſe compoſitis noua mixta generari poſſe aiebat.

Chymici autem exactiori analyſi corporum naturas ſenſibus obiiciunt. Illi namque adhuc alias atomos, quæ poſteriores videntur ratione naturæ elementaris ſeu ſubſtantiæ corporeæ, ſed non dignitatis & eſſentiæ. Taleſque eſſe videntur, quales in mixtione ab Hippocrate agnoſcuntur *in libro de priſca Medicina*, vbi ait, non ſolum miſceri elementa, ſed etiam ſalſum, amarum, acre, inſipidum, dulce & παντοῖον. Qui effectus non deprehenduntur niſi in corporibus, in quibus vigent Sal, Sulphur, & Mercurius, quæ ſunt ſubſtantiæ ſubiectæ odoribus, coloribus, & ſaporibus, in eiuſmodi facultatibus, quæ ex nulla elementari poteſtate educi queunt, vt probabitur *Capite de Principiis*.

Neque ipſe Ariſtoteles hanc σύγκρισιν & διάκρισιν Democriti plane reiicere poteſt in rerum generatione & corruptione, cum paſſim res συνίστασθαι, ἀπὸ κρίσεως καὶ πήξει generari doceat. Et *primo Meteor. cap. 9.* expreſſe ſcribit, quod præcipuum mouens in generandis meteoris ſit ἡ τοῦ ἡλίου φορὰ διακρινοῦσα καὶ συγκρινοῦσα, *Solis latio quæ ſegregat congregatque*. Ipſeque Galenus has minimas particulas haud reiicit, quamuis *lib. 1.*

de Elementis cap. 2. contra Democritum disputet, ac si ea mens fuisset Democriti, quam ibi proponit Galenus. Quæ si talis esset, proculdubio ratio & experientia pro Galeno staret contra Democritum. Sed vt dictum est, in prauum & non genuinum sensum huius naturæ interpretis, verba detorserunt. Neque atomos omnino reiicere videtur *libro de Elementis cap. vltimo*, postea quam quæstionem mouisset, quomodo per totum temperentur ea quæ temperaturam recipiunt, an qualitatibus solis vicissim agentibus & patientibus, vel etiam corpus substantijs coëuntibus: concludit tandem, quod miscibilia ad minimas particulas confringantur, vnde illis mutuò actus & passio contingit, quæ tanto promptior & facilior, quanto ad minimas particulas confringantur.

Sed expendamus hæc omnia in operibus naturæ & artis. Arte corruptionem fieri διάκρισει plurima testantur. Videmus certe, vbi ex re aliqua quæ vel putrescit, vel comburitur, vel alia resolutione Chimica resoluitur, vapor aut fumus attollitur, vbi visus è longinquo continuum esse iudicat, cum tamen sint atomorum multa millia inter se confusa, sicut ex pice accensa, terebenthina, resinis, cera & eiusmodi quæ maximum aëris spatium occupant, atomis igne resolutis; sic in sublimationibus Sulphuris atomi illæ semper retinent naturam mixti. Imo & vapores omnes in recipiens excepti, ex diuersis corporibus, diuersam natu-

ram retinent. Sic in aquis, in quibus decoquuntur vitriolum, alumen, nitrum & omnes species salium essentialium; in pane & vino Sal qui inest, non conspicitur: at separato humore facile se conspiciendum præbet. Ita in pane est chylus, sanguis, lac, caseus, vermis, quamuis non cernantur. Et quid aliud sunt digestiones, concoctiones, fermentationes, quæ arte instituuntur, quam quæ à natura in corporibus plantarũ & animalium per διάκρισιν, exercentur hoc est per corporum miscendorum in minimas partes resolutio: iterumque, pro rei cuiusque natura & vsu, σύγκρισις & concretio.

Sume v. g. auri ℥. ij. argenti ℥. ß. simul fusi. Ita per minima miscebũtur, vt visu deprehendi argentum ab auro nullo modo possit; his affunde aquam fortem vulgo separatoriã. Et ita soluetur argẽtum per minima in aqua forti, vt nullũ corpus in ipsa aqua deprehẽdi visu possit. Aurum autem intactum remanebit, eãdem ipsam formam quam prius obtinens. In aqua autem forti quamuis nullum corpus ibi appareat, tamen re vera in ipsa per minima in mille atomos dissoluitur, quæ per affusionem aquæ salitæ in fundum vasis præcipitantur in subtilissimam calcem, quæ nihil aliud est quam congeries atomorum innumerabilium, quæ fusione iterum in pristinam naturam redeunt. Et quamuis in illa mixtione mutauerit argentum externam formam, tamen remansit semper interna natura. Ex quo patet

atomos esse, vt ait Democritus, impassibiles, & retinere semper pristinam naturam. Quis Mercurij variationes ignorat, qui seu præcipitatus, sublimatus seu in oleum & puluerem redactus, semper redit in pristinam naturam, sicut & omnia alia metalla.

Hæc autem omnia in medium adduxi, vt quilibet quæ in natura fiunt diligenter consideret, & hinc de partibus minutissimis mixti attentius cogitet, neque in sensum prauum detorqueat veterum Philosophorum sententias, ratione & experientia comprobatas. Temerarium est, quos tanquam sapientissimos antiquitas venerata est, eos pro stultissimis reputare, eorumque sententias, vt aniles nugas, aut febricitantium somnia irrisui habere. Ridiculus Empedocles, delirus Democritus, insanus Pythagoras, ineptus Plato, stulti alij quicumque Philosophiam professi sunt. Quàm diuersa fuit veterum de illis opinio? qui vt veraces naturæ vates, fidelesque eius interpretes summo honore prosecuti sunt. Equidem de Platone quid referam, de quo sapientissimo, non aliter quam de Deorum oraculo, docti pariter indoctique locuti sunt. Insanus Pythagoras, cuius fama nulli mortalium cessit, à quo Plato magnam suæ Philosophiæ partem sumpsit, vt quem in omni genere disciplinarum vix vllus adæquarit. Vnde docens non pauciores auditores sexcentis habuit, de quo illud Ouidij *Metamorphos.* 1.

Mente Deos adijt, & quæ natura negauit
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.

De Empedocle vero ne plura dicam, sufficiat honoratissimum illud Lucretij Elogium.

Carmina quinetiam Diuini pectoris eius
Vociferantur, & exponit præclara reperta,
Vt vix humana videatur stirpe creatus.

Democritum autem adeo in omni genere Philosophiæ profecisse memorant, vt Pentathlos siue Quinquercio dici posset, quod Naturalia, Moralia, Mathematica, Liberales disciplinas Artiumque omnium peritiam calleret, quem Plinius virum sagacem, & vitæ vtilissimum fuisse refert. Dementem reputant aliqui petulantiores in ipsum quam Aristoteles, qui eius opinionem Platonis sententiæ præfert, quum *capite 2. lib. 1. de generatione* Aristot. sententiæ communi veterum & Democriti suffragatus, de Democrito non prætermittendum tulit testimonium, ita suam concludens sententiam. *Ad summum de nulla mutatione, nisi superficie tenus, quicquam vllus definiuit, præterquam Democritus, cui omnia curæ videbantur fuisse, in modo tamen atque ratione discrepauit.* Similiter *initio libri 1. de generatione.* Productis veterum de rerum generatione sententijs Democritum præfert, cuius sententiam suo tempore communem fuisse testatur. De quo ac Leucippo *cap. 8. textu 57.* verba faciens, eorum sententiam ab vniuersitate laudat, eo quod talia posuerint principia, vt ex ijs possint om-

nium rationem reddere, & omnes tueri mutationes. Idcirco *cap. 2. eiusdem libri.* Democritum Platoni anteponit, quem dicit extra cancellos rationis egredi. Ideo dicit magis rationi consentaneum esse quod Democritus dicit. Et liceti id quoque putet absurdum, rursus tamen de eo ita loquitur. *At Democritus rationibus proprijs naturæque accommodatis persuasus esse profecto videbatur.*

Hæc pauca de Democrito placuit notare, propter eos qui hoc scientiarum omnium pelagus, quem *initio eiusdem secundi capitis*, Aristoteles de omnibus inquisiuisse testatur, tanquam delirum aut insanum ludibrio habent.

Delirus igitur atque insanus magis ipse sapientissimus diuinusque Plato, quem in his principijs assignandis Aristoteles Democrito postponit. In his, inquam, atomis, propter quas Democritus insanis istis insaniuisse videtur. Sed enim facile est deridere quod ignores. Non irrisit communis Philosophorum schola, qui & ex libris eius genuinum sensum rimati, vni Democrito, teste Aristotele, adhæserunt. Sed pro omnibus his vnus prodeat Hippocrates, ex cuius vnius doctrina diuina liceat de illis, à quibus doctrinam suam hauserat iudicare, & ex quo ipse Aristoteles multa præclara docuit, vt ait Laërtius, quod ex vtriusque collatione videre est. Omnia enim quæ de natura animalium scriptis mandauerit, ab vno Hippocrate didicit, cum tamen eius ingratis-

ſimus nunquam meminerit.

Ecce Hippocratem, longè ante Ariſtotelem, ex veterum principiis optimè Philoſophatum, ijs denique principijs inſiſtentem, quibus tum veteres, tum hodierni ſaniores Chymici. Animaduertendum tamen, corpora iſta prima in reſolutione rerum differre ratione tenuitatis & craſſitiei. Alia enim ſunt magis corporea & paſſiua, alia vero magis ſpiritualia & actiua, ſecundum gradum quem attingunt formæ viciniorem. Iam vero, an præter has particulas materiales, quas prima principia dicimus, ſit aliquod vinculum, deinceps dicemus.

DE MATERIA MVNDI proxima, eius, ex quadruplicis eſſentię chao, origine & progreſſu: deque eius eſſentia inextenſa & incorporea, tum gradibus medijs vſque ad extenſam & corpoream eius naturam, quæ vniuerſæ machinę materiam vltimam cõprehendere videtur.

CAPVT XIII.

BONITAS Diuina ex ſapientiæ ſuæ theſauro incomprehenſibili mundum condi-

tura, præparauit prius materiam per multos essendi modos, antequam aptam redderet ad formam elementorum accipiendam, primóq; informem Hylam, vmbram immensam, essentiam rudem creauit, quam Idearum sigillo primo adæquauit, & secundum ordines in mente Diuina conceptos, eam in varios gradus diuisit, & in chaos confusum coëgit. Cuius modificationem commodiori exemplo illusttare non possum, quam figuli. Figulus enim principio sibi lutum præparat quasi materiam, vt in ipsa vasculorum formam fingat, quæ prius in mente habebat; in vna inquam mente, quasi subiecto intelligibili & incorporeo multas habet figuras, non secus ac domus in archetypo habetur, aut formæ membrorum in vegetabili seminariaque natura, igneus in Sole calor, in vnitate numeri, longitudo lineæ in circuli centro, radij omnes in centro Solis, in lumine colores. Similiter figulus in luto. Imo vt in materia corporea extensa & sensibili multas effingit formas, dum informe lutum prius à se formabile factum extendit, atque extendendo figurat. Similiter Deus primo creationis momento creauit essentiam quandam primam, quam in quatuor diuisit partes, ex puriore essentiam mentis, quam ideis quasi rerum faciendarum formis repleuit. Et quia vita longius se se extendit quàm intellectus, sic vitæ essentiam vlterius produxit, eamque rationibus seminarijs decorauit, hosque duos

ordines, cœlum seu mundum intelligibilem, constituit. Tertiam vero essentiam pari ratione extendit per dimensionum aliquot gradus, id est longitudinem & latitudinem absque profunditate, hancque naturæ essentiam instituit, quam sic extensam partim corpoream, partim incorpoream; partim actiuam, partim passiuam fecit, eamque seminibus omnium rerum ornauit, quam cœlum ornatum stellis & æthera seu quintam essentiam vulgo dictam appellamus. Denique materiam illam extendit in trinam dimensionem. Et materia sic extensa corpus facta est, & corpus hoc agere desijt, multisque ornauit formis, scilicet elementorum, vaporum, lapidum, metallorum, plantarum, & animalium.

Fuit igitur vnica tantum essentia, varijs his distincta ordinibus, & idearum, rationum seminalium, & formarum characteribus ornata, quam veteres chaos appellabant tenebrosum. Primoque apparuit chaos incorporeum, hoc est essentia, longitudine, latitudine & profunditate carens, ideoque abyssum, terram inanem & vacuam nominauit Moyses, cuius limites describi nequeant. Hæc autem quo magis à fonte recedebat, eo magis vergebat ad corpoream naturam, vt ex diagrammate suprà posito perspicere est. Proinde materia per gradus intermedios terminatur in mole corporea. Corpus autem est longum, latum & profundum. Et quoniam nullum corpus est infinitum

tum, ideóque finem habet profunditatis: finitur enim in superficiem non profundam. Sic iam habes superficiem, longam quidem & latam, sicut corpus, sed profunditate carentem, atque ex vna hac parte surgentem ad incorporea. Superficiei quoque latitudo finita ad longam lineam duabus partibus ad spiritum accedit. Sed hæc ipsa lineæ longitudo quia finita est ad punctum, dicitur non profunditate: solùm & latitudine priuatum, sed etiam longitudine. Habes punctum tribus partibus ad naturam vergens incorpoream. Sed hoc quoniam lineæ terminus est, ideo centrum habet situm in corpore, neque implet totum, neque viuificat. Separetur hoc punctum à linea mentali separatione: potest enim sola cogitatione à linea separari illud quod est lineæ terminus: prius enim est in seipso quam terminet lineam. Quod autem prius est, separari potest ab hoc quod est posterius. Habebimus ergo punctum quodammodo, id est sola cogitatione à linea solutum, quarto iam gradu à corpore discedens. In hac ipsa solutione sequetur, vt omnes partes corporis æquè respiciat, fundatur per omnes & moueat. Hic vegetans & sentiens anima sedem habet. Et quoniam rationalis cogitatio non fallitur ascendendo, ideo sicut inuenit punctum à corpore cogitatione liberum, sic reuera inueniet punctum, hoc est indiuiduum aliquid, re ipsa à corpore solutum, quod non modo impleat corpus & moueat,

sed quo ipsum liberè moueatur & tollatur ad supera, quod iam vnitatis nomine appellatur. Hic viget anima rationalis, quinto gradu à mole corporis aliena. Et si tanto quid est impurius, quanto minus agit & magis patitur, corpus superficie erit impurius: superficies vero cedet lineæ, linea puncto, punctum vnitati, quæ neque dimensionibus, neque situ indiget, sed sola in se lucet. Proinde mens omnes omnium formas vnico & stabili semper actu concipit, paritque intus & inspicit. Oportet enim omnem vitam prolem priùs penes se ipsam generare, quam seorsim. Et quo præstantior est vita, eo & præstantiorem sibi generare prolem necesse est. Et hinc anima rationibus seminarijs grauida proficiscitur, & tanquam mentis æmula similem quoque conceptum, partum & intuitum affectat. Itaque quum nequeat anima, mentis instar, vno intuitu totum consequi, conatur saltem, per successionem quandam temporis, actibus in ipsa multiplicibus assequi. Quapropter modò formas viresque alias edit, modo alias, actionesque progressu multiplicat: seminalesque proles explicat multiformes, & in materiam infundit. Hinc Boëtianum illud.

---- Mentemque profundam
Circuit & simili conuertit imagine cælum.

Non quod species intellectuales nascantur propriè, vt supra dictum, sed partum talem intelligo, cuius productio sit quædam in ra-

tionali parte coruſcatio, per quam mentis ſpecies antea coarctatæ efflo reſcunt altius.

Quum igitur mens in inſtanti agat, dicitur circulus immobilis, tum quod viciniorvni. Anima autem quum in tēpore actiones ſuas proferat, merito dicitur circulus mobilis, & circa mentis circulum mouens, omnes enim eius motus ſunt in ſpatio primo, per virtutem videlicet & exemplar. Aſcendit igitur ad cauſas anima, deſcendit iterum ad effectus. Ad dextram mouetur atque ſiniſtram, coniugia penſitans. Antè procedit, retróque recedit, poſterioribus ſcilicet compenſans. Denique mouetur in rectum, aliud ſemper ex alio ſumens. In obliquum quoque ſe conuertens, in circulum denique. Tum vbi reuolutiones à formis ad formas, eaſdem denique repetens. Quandó à cauſis ad effectus progreſſa, ad cauſas iterum regreditur. Tum denique ipſa ad parentes ſuos, vnde proceſſit, affectu prorſus, & contemplatione conuertitur. Frequenter vero in motibus enarrandis actiuo quodam Verbo Parmenides vtitur μεταβάλλειν. Quo ſignificat animam non aliunde mutari, ſed mutare ſe ipſam, & migrare ex ſtatu in motum; atque contra à motu, rurſus oppoſito, in oppoſitum, & inter omnia hæc oppoſita æternum quiddam, indiuiduumque ſeruare. Anima ergo eſt circulus mobilis, & ſi quæ in animæ cognitione ſtabilitas eſt, ea mentis conſtat potius quam animæ beneficio. Natura etiam dicitur

circulis mobilis. Naturam autem vocamus vim animæ in generando locatam.

Hæc ſane generandi facultas ideo mobilis dicitur, quia temporis ſpatio opus ſuum peragit. Verum in hoc ab animi facultate diſcrepat, quod anima per ſe propriè & in ſe mouetur. Per ſe inquam, quia principium ſui motus exiſtit. In ſe, quia in ipſo, animæ ſubiecto, rationis & ſenſus remanet operatio, ex quibus opus nullum reſultat in corpore. Generandi vero illa vis, quam vocamus naturam, per ſe quidem mouetur, quum animæ per ſe motæ vis quædam ſit. Moueri autem in alio dicitur: quia in mole corporis omnis eius operatio terminatur: corpus enim nutrit, auget & generat. Sed cum dico corpus, intelligo corpus adhuc ſpirituoſum, ſola longitudine & latitudine, ſed abſque profunditate, præditum, ex materia iam extenſa conflatum.

Et talia corpora dicuntur ſeminum domicilia; quæ quum ſenſibus primo apparere videãtur, quaſi ex inuiſibilibus ad viſibilem naturam accedentes. Dum enim guſtui innoteſcunt, ſaporem omnibus rebus impertiunt, ſaliſque nomine & proprietatibus non iniuria gaudent. Dum viſui, colorem omnibus rebus impertiunt. Similiter & dum guſtui odores omnes exhibent: Sulphuriſque nomine decorantur, dum auditui & tactui innoteſcunt, impetum faciunt & ſtrepitum, tum corroſiuam & deſtructiuam vim ſenſibus hiſce imprimunt,

vnde spiritus nomen non iniuria merentur.

Materia vero & corporis moles perfecta, orbis est ab alio & in alio mobilis. Ab alio quidem, quoniam ab anima necessario & spirituosis hisce substantijs agitatur. In alio autem quia in loco & spatio motus corporis agitatur. Hinc patet causa, quare antiqui bonitatem in centro, in circulo pulchritudinem constituebant. Bonitas siquidem rerum omnium vnus est Deus, per quem cuncta bona sunt. Pulchritudo autem Dei radius infusus his circulis, circa Deum, quodammodo reuolutis.

Huiusmodi radius omnes omnium rerum species in quatuor illis effingit. Species illas, in mente ideas, in anima rationes, in natura semina, in materia formas appellare solemus. Et sic ex incorporeis, intelligibilibus & inextensis fiunt paulatim corpora spirituosa, donec tandem in naturam extensam, corpoream & sensibilem finiant.

DE ACTV ET VIRIBVS *animæ, per Spiritum & qualitatem materiam extendentis, vnde emanant, materia, forma, tum vtriusque proportio: ex quibus denique septem Elementa corporea, quæ vniuersi machinam absoluunt.*

CAPVT XIV.

INTER Deum & mundum corporeum tres enumerantur Diuinæ substantiæ, nempe Mens, Anima & Natura, quarum prima secundum suam formam fit essentia & boni particeps, ac insuper vitæ intellectusque causa. Secunda secundum suam formam fit vita, particeps essentiæ, & intellectus formalis causa. Tertia per formam fit intellectus, vitæ particeps, & causa mundi. Et quanto superior est mens anima, & anima natura, tanto & prior superiorque est essentia quam vita, & vita quam intellectus. Essentia enim amplius sese diffundit, quam vita: & pari ratione vita, quam intellectus; multa enim habent esse, quæ non viuunt. Proinde Plotinus dicit naturam vt infimam, esse proximum mundi fabrum, intellectuales ideas mundanarum re-

rum in se habentem, quas quidem acceperat ab intellectu vitali, in quo æquè sunt intellectuales ideæ ac intelligibiles, quas anima acceperat ab intellectu essentiali. Prouidentia proinde naturam ornauit, vt tot in mundo species fabricaret, quot animaduerteret animam ideas contemplari in ipsa mente, cuius essentia sit causa vitæ.

Natura ergo ipsa rerum artifex & potestas quædam viua concipitur accipere à primo sapientissimoque Archetypo per intermedia sextuplicem gradum & scientiam rerum faciendarum. Primo vim & naturalem bonitatem. Secundo geometricum contemplatoremque intellectum, communes rationes mensurarum habentem. Tertio rationem practicam, nempe per rationes ipsas de artificio consultantem. Quarto imaginationem, figuras iam & modos conducentes operi effingentem. Quinto effectum. Sexto mouendi virtutem, vnde ad similitudinem animæ nostræ tres motuum species necessario cohærentes profert, iuxta conceptum creationis & triplicis finis rationem. Omne enim quod est, motu indiget quo se conseruet: motu, quo symmetriam foueat in suo toto: motu denique, quo rebus externis vt agens se se communicet. Qui triplices motus vice instrumenti in omnibus haberi possunt, quasi vitales quidam venti, ex anima se se vndique diffundentes, quousque aliquid materiæ simile, informe &

fuscum obtinuerit. Nouit enim hic spiritus rerum agendarum species omnes, fœcundus actionum ideis à superiori forma; fœcundus item passionum quarumlibet speciebus à qualitate subiectaque materia. Quam illico diuersis illis motibus iuxta superiorum scientiam, extendit motu à centro ad circumferentiam, tum à circumferentia ad centrum. Denique motu orbiculari seu medio, quousque per diuersos corporeitatis gradus transierit, & tandem vt corpus ipsum terminans, suprema infimis colligauerit.

Sed nos ab hisce principijs ad sensibiliora declinantes, triplex confestim esse in rebus genitis concludimus. Primum quod simplex & stabile penitus appellatur, velut diuinæ virtutis radio suo se se termino continente. Secundum quoddam esse confusum, virtutis eiusdem radio in rectum vltro citroque reducto, & ad alia quædam à se per circumfusæ caliginis nubem erumpente. Tertio vt sit determinatum alterum essentiæ genus, conuersione lucidi radij, velut in orbem sphæricè conuoluta, in cuius pleno circuitu, plena gignendarum rerum perfectio collocatur.

Hinc sanè ex rebus intelligibilibus ad naturales discurrendo, deinceps magis, magisque Platonicas & rationibus abditissimis notas miscere prophaniores incipimus, pro captu scilicet humanæ mentis, quæ sæpe vel Deo ipsi status motusque affingit, multiplicem for-

niam, amorem & odium, zelotypiam, mœrorem, gaudium, extensionem, contractionem, ætatem, manus, oculos, aures, & brachia; Vnde & nos ex illo Pœmandri spectaculo longe pulcherrimo, Diuini radij imaginati sumus quodammodo triplicem raptum. Non tam profecto in Deo ipso omnis compositionis, diuisionis & mobilitatis experte, quam mundi conspicua varietate distinctũ. Quorum prior sit mẽtis opificis primæ, quem patrem appellat Mercurius, in cuius sinu mundus intelligibilis vel naturæ exemplar Archetypum delitescit. Cui consentit & illa Philonis præclara sententia *lib. de opificio mundi*, vbi sic ait. Mundum autem illum, qui ex ideis consistit, nec fas est loco vllo vel dicendo, vel cogitando circumscribere. Sciemus tamen quo pacto consistat, si cõsiderauerimus aliquem nostratium rerum similitudinem. Quoties est condenda vrbs cura Regis alicuius, præsto est aliquis peritus Architectonicæ qui contemplatus loci opportunitatem, primum intra se ipsum partes futuræ vrbis propemodum, omnes delineat, templa, gymnasia, vias, naualia, porticus, &c. Secunda creationis species fit spiritali radio, qui super abyssi faciem prouolutus, cœlum & terram, indeterminata prius ratione, constituit, formam scilicet atque materiam indefinitam, & vtriusque medio proportionem consimilem; cuius adminiculo paulatim ad elimatioris compositionis speciem mundus exurgit;

& quasi à verbo patris, aut filio (vt inquit Mercurius) sic cuncta in orbem aptissimum colligantur, vt ad sui ornatum, necessitatem atque perfectionem nihil amplius requiratur.

Hic vero obseruanda erit Mercurij illius ter Maximi oratio penitus admiranda & ordo spectandarum rerum *lib. de potestate & sapientia Dei cap. primo.* Ibi etenim potestatem referre videtur maximè ad personam patris, sapientiam filio assignare, amorem & voluntatem spiritui. Atque in formatione mundi primo immensum quoddam spectaculum refert, omnia videlicet repente in lucem conuersa & speciem stabilem infinito imperio præualentem: Paulo post vmbram horrendam siue caliginem, obliqua reuolutione subterlabentem, vultu exagitatam mirabili, vnde natura humida & indigesta protinus emanauit. Cui tertio assistẽs opifex verbum ex terra & aëre, aqua & igne, velut coufusis hactenus seminibus, distinctum ordinibus mundum, mensura, numeroque, & proportione formauit. Itaque velut ex conuersione luminis in se, insinuasse videbitur; Si alte expendas singula, materiam, ex luce autem foras erumpente fortasse & formæ propagationem intellexit: atque ex diffusa caliginis specie, abyssum siue materiam. Similiter penes ideam triplicis motus tum in actiuo principio, tum in passiuo & vtriusque proportione media, licebit tibi quodammodo & ac-

tionis concipere triplicem differentiam, & voluntatis, & potestatis. Quarum prior sit in quiete stabili. Secunda sit tanquam radiis diuinæ lucis in continuum exporrectis, iuxta dimentionem triplicem. Tertia eiusdem vero omnibus in orbem solidum vndique reuolutis.

Rerum autem omnium primus, ab essentia simpliciter existente & (vt sic loquar) virtute stabili centro sphæræ alicuius comparabili, rerum omnium velut conceptus nascitur atque Archætypus, rerum esse purissimum scilicet, æternum, ac stabile, semper in mente opifice, de quo fortassis illud in sacris. *Fecit cœlum & terram atque omne virgultum agri antequam orietur, omnemque herbam antequam germinaret.* Vbi sane nihil nisi ideas intellexisse videtur consentaneum, atque sic etiam interpretatus est Philo.

Rerum autem progressus in vniuersi fabrica ab essentiæ dimanatione velut in rectum, quæ areæ superficiali est comparabilis, rerum progressus in generatione post conceptum, id est ipsa principia adhuc inconnexa prodierunt: vnde & esse simplex & indeterminatum, donec paulatim radiis in circuli figuram coëuntibus cœperunt obscura compositionis rudimenta; indefinita tamen propter naturam superficiei, vnde & afflatu simpliciore mundi prima elementa sunt propagata.

Rerum vero partus ex essentiæ dimanatione

in orbem absolutum & solidum, Sphæricæ scilicet circumferentiæ comparabilem, esse quoque compositum ac determinatum prorsus per hæc inferiora dimanauit.

Hic autem velut quidam partus est atque perfectio, in mundi scilicet triplicis siue quadruplicis speciebus & specierum diuersis partibus elucescunt.

Quod autem ad principiorum proximorum creationem, quasi entis materialis seu massæ confusæ diuersas modificationes attinet, sunt hæc potissimum tria, Materia, Forma & Proportio, omnia ex mundi spiritali radio protenso in rectum atque continuum ordine, per materiæ diuersissimæ & minutissimæ partes Scaturientia.

Cum vero sit protensio triplex, vna sursum, deorsum, hinc materies oriunda est, lineæ tantum comparabilis ac veluti sola prædita longitudine, in diagrammate mentali animæ facultati supposita; altera sinistrorsum, dextrorsum, vnde forma progreditur tanquam latitudinis rudimentum, superficiali rationi & rationis seminariæ facultati suppositum & comparabile, tertia vero antrorsum ac retrorsum, vnde altitudinis ratio pullulascit, oriturque proportio parti phantasticæ prostrata, posteaquam hæc prima principia actu per medium sunt copulata.

Cæterum ex antedictis motuum differentiis si intellectus aciem ad summas vsque angustias

redigamus, inuenientur denuo aliæ particulates tres. Vna ſimplex, quæ fit vel cum in lineam mouetur ſpiritus mundi; vel in ſuperficiem, vel in altitudinem ſphæricam: & tunc mouetur ſane vel extrorſum à centro ſcilicet, ſeu medio, ad circumferentiam extremam. Et hoc motu ſimplici eget vt ſeſe rebus extra communicet, vnde fiunt corpora perſpicua, volatilia & leuia. Vel redeundo per viam oppoſitam à circumferentia ad ipſum centrum. Et hoc ſimplicis motus circuitu eget, vt ſeſe conſeruet in ſuo eſſe, vnde fiunt corpora opaca, fixa & grauia. Vel denique per duos motus compoſitos pariter verſus extrema imperfectè protenſos, rurſuſque ab extremis magis imperfectè medium verſus inuicem occurrente, vnde fiunt corpora maioris & minoris compoſitionis, tum ambigua. Ex his autem differentiis motuum poſtremis in priorum ſingulis apparent & principiorum differentiæ quædam, indeterminatæ tamen, donec actu per proportionis ſpiritum copulentur.

Et quamuis ſenſerit Ariſtoteles, Materiam ab omni penitus forma liberam, omni qualitate, vita ſpirituque deſtitui: nos tamen hic Mathematicæ rationi & intellectui potius auſcultantes, lubenter concipimus vniquique principio tria ſemper aſſiſtere. Primo phænomenon, ſeu apparentiam quandam, indeterminatam tamen, vtpote linealem in materiali huius maſſæ principio, ſuperficiariam in for-

mali, in proportione vero corpoream. Neminemque perturbare debet, vt pauca obiter dicam, quod ego, Pythagoreorum more, ex Mathematicis Physica componere videar. Non enim velim intelligas materialia corpora ex figuris & numeris, tanquam ex elementis & partibus, sed tanquam ex terminis quadam resolutione componi, quod videlicet naturalia in illa quasi priora, ac velut, terminos resoluantur. Quin imo & Plato formas physicas omnino materiales appellat, quia & communi & propria materia indigent, & absque illa cogitari nequeunt, vel quadam analogia aut mutua scientiarum dependentia inter se coherent. Pythagorici enim similia elementa in spiritibus atque in corporibus constituebant. Quatuor apud Metaphysicos vocantur essentia, esse, virtus, & actio. Apud Mathematicos quatuor signum, linea, superficies, profundum. Apud Physicos quatuor, seminaria naturæ virtus, pullulatio naturalis, adulta forma, denique compositum. Redde singula singulis, essentiæ quidem, signum atque semen; ipsi vero esse, lineam pullulationemque; virtuti, planum atque formam, actioni, profundum atque compositum, & vbique extrema velut solida duobus consilia mediis. Manifestè quod in Mathematicis signum est, Plato in Physicis virtutem seminariam, indiuiduamque & stabilem esse putat. Quod in Mathematicis linearis in longum productio, id in

Physicis geminantis formæ pullulationem. Item quod ibi planum, hic propriè formam. Vt enim planities corpus terminat, sic forma materiam. Denique vt ibi profundum, hic compositum. Compositum nempe duplex, formæ, id est ex pluribus formis quædam quasi complexio, sphæræ solidæ similis; tum materiale, id est ex forma & materia, cubo similior. Secundo addimus & indefinitam animam quandam seu vitam indeterminatam illius principij quatenus est adhuc inconnexum. Tertio spiritum quendam in singulis mobilem, vltro citroque, tum motiuum ab anima mundi.

Indeterminatam igitur & coufusam massæ huius materialis naturam, terram inanem & vacuam confirmare regere & in caracterismo atomico Idearum, Rationum, & Seminum, tueri videntur tria. Primo naturæ vis, vt vltimi entis qualitas. Secundo spiritus seu naturæ ipsius actus. Tertio vita indefinita aut potestas, omnia passibili adhuc & indefinita ratione massæ atomicæ assistentia, sed inconnexa ratione per massam dispersa.

Et primo concipitur naturæ quantitas vt vltimi entis, apparentia, singulis huius sigillatis massæ atomis proximè inhæsisse vt forma quædam indefinita materiæ, ipsamque materiam (vt pauca obiter de ipsa dicam) non aliter à natura ipsa vt ab ente quasi neruo qualitatis inde deuincta dependere, eamque semper

eo nitari, non secus ac vmbra corpus. Quin etiam per qualitates à natura in materiam concinnè iactas, quasi per neruos assiduè colligari. Ipsa vero formam sustinet modo profundo, atq; dum cadit ab ente, id est à natura, quæ verorum entium infimum est, subest vt fundamentum imaginibus entis, formis scilicet naturalibus siue qualitatibus, ab idearum, rationum, & seminum characteribus, in eius confusum incorporeum, & particularibus formis adhuc in huius massæ sinum destinatum, quod ab hac qualitate primo componi, in ordinem redigi & ad perfectiorem corporeitatis gradum reduci incipit. Dum q; vlterius ab actu suo impellitur spiritali suo radio, ex naturæ gremio demisso, & rerum faciendarum formis grauido, & in motu sursum, & deorsum, in confusa materiæ massa protenso, colligit, assimilat, extendit homogeneas huius massæ atomos, & in linealem ordinem redigit, limo, visco seu glutine suo seminario & incorporeo, humoris cuiusdam indeterminati speciem præseferens, materiam stabilem & seminibus naturæ similem reddit, sed passiua adhuc ratione. Nam quæ in naturæ quieto silentio antea delitescebant & meliori vita fruebantur, hic, vt ait doctissimus Seuerinus, dimensionibus, qualitatibus, saporibus, odoribus, coloribus, situ, & aliis casibus infelici coniugio subijciuntur & in corporeum barathrum, velut in lethæum amnem, immerguntur, dum ex formalibus

malibus & actiuis materialia & passiua euadant. Et sicut hanc qualitatem diuersam in singulis confusæ massæ atomis à natura impressam & materiæ suæ tutricem & gubernatricem facultatem concipimus: pari ratione spiritum huic qualitati immanentem & mediante qualitate singulis & minutissimis figuratis atomis inhærentem agnoscimus, super humidam seu fluxam huius abyssi faciem, inconnexo prorsus modo, extensum, & in longitudinem, passibili tantum & adhuc indefinito modo protensum, intelligimus. Cuius actionem, vt inconnexam adhuc & sopitam, suo impulsu excitat, & ad motum erigit, spiritus vniuersalis mundi, de quo sacræ literæ dicunt, Spiritum Domini, seu vim causæ efficientis vt Domini organum, aquis incubuisse, vt in formam completam & corpoream, per gradus induceret, & recipiendis Elementorum formis propriis, aptam redderet. Quis enim dubitat hunc spiritum virtutem & vigorem, imo lucem & seminales rationes tenebricosæ & confusæ huic massæ, impertiuisse. Sed lineali & indefinita primum ratione conceptibiles.

Proinde vt ab indeterminata huius principij materialis ratione (in sacris per tenebras super faciem abyssi designata) ad determinatiorem & magis definitam accedamus, considerandа accedit hæc materia, vt subiectum actionis agentis ad Diuini Verbi virtutem & impulsum quasi animatum, hoc est vt spiritus

materiali, per gluten materiale fluidum delatus, sed in subiecto adhuc non diffusus, vnde per impulsus huius continuitatem, aut discontinuitatem, prout nimirum introrsum, extrorsumve procedit in longitudinem, oriuntur tum in materiali atomorum fluore aut glutine, tum in illius spiritu, & vita seu potestate, triplices apparentiarum differentiæ, per cœlestem, æthereain, & elementarem regionem dispersæ. Illæ sunt continuitas, discontinuitas & extremorum symmetria. Vnde qualitas huius materiæ, humoris seminariam speciem & virtutem præse ferens, & atomicam substantiam materiæ iam quasi lambens, dici potest à continuitate eius actionis & motu à medio versus extrema, vt sui diffusiua, in materia atomica leuis, & extra se communicabilis. Æquabilis, & lenis, Sulphuri materiali & non lucenti aquæ & aëri assimilanda. A discontinuitate eiusdem & motu ab extremis ad media, vt sui conseruatiua, inæquabilis, asperque & grauis, Sali, terræ, & igni assimilanda: Ab extremorum motu, symmetria, & humor symmetros. Mercurio materiali comparandus.

Eodem pacto in hanc materiam atomicam insistens mediante qualitate, spiritus, hanc qualitatem materiæ adhuc passibilem tantum dici sinit, leuem, grauem, & mediam. Similiter vitam quandam indeterminatam singulis huius massæ atomis, vt principij materialis actum remotissimum, concedimus. Consimili

modo passibilem adhuc.

Sed in hac tandem, indeterminata materiæ constructione non acquiescit spiritus hic architectus, sed vltra ad formæ corporeæ naturam contendit, per motum dextrorsum, & sinistrorsum in confusa hac massa, atomos in superficialem & indeterminatam superficiem colligens, sed modo adhuc indefinito. Vnde forma progreditur, tanquam latitudinis rudimentum, superficiali rationi tantum comparabilis, & easdem, vt supra modo habens (per qualitatem spiritum & vitam) massæ materialis atomos, spiritali radio prius assimilatas. Quas primò accipiens spiritus vniuersalis, per suam qualitatem eas disponit, & vt nobiliori actui destinatas, & signatas, viuaciori & puriori rerum faciendarum charactere impressas, colligit, vt in cœlestem, deinde æthercam, & elementarem denique naturam distribuat & adaptet, suo quodam, vt ita loquar, seminario visco, velut oleum aut inextinguibile Sulphur supra formæ huius faciem natans, fouens videlicet materiam atomicam adhuc frigidam, vt vitaliter postea, quamuis occultè caleat, & vim calefaciendi occultam cæteris impertiat.

Vnde huius formæ prima apparentia seu qualitas in cœlestibus lucem peperit, in æthereis splendorem, in Elementis lumen, colorem, cum suis vbique oppositis ab opaco prodeuntibus, quam faciem vocat Moyses lucem &

diem. Simili modo spiritus in latitudinem fusus, vt & vita formans seu rerum formatrix intelligentia.

Vnde principij huius formalis Spiritus, superficiei tantum comparabilis, diffusus per formæ aream indefinitam, qualem apparentiam nuper vocaueram, in ipso impulsu à centro ad circũferentiam, vel è contrario, à circumferentia ad cẽtrum, vel motu medio, triplices in forma particulares differentiæ tum in assistentis formæ phænomeno germinascũt, perspicuitas scilicet, opacitas, & extremorũ medium seu exẽplar. Ex quibus formarum apparẽtia seu qualitas dicetur perspicua, Sulphuri, aquæ, & aëri similis; caliginosa, Sali, terræ, & igni; media Mercurio similis, eius spiritus similiter cõtractus ad centrũ, & grauis; terræ, Sali, & igni similis; diffusus ad circũferentiam & leuis, Sulphuri, aëri, & aquæ similis; Mercurius ambiguus & vtriusque similitudinem in se cõtinens, potestas itidem seu vita, leuis, grauis, symmetra.

Quod ad proportionem attinet, principium tertium, pro eius quoque respectu, ad qualitatem impulsorem spiritum & animam, illam similiter assistere concipiuntur; Primo velut concretionis coagulum quoddam adhuc inchoatum, liceat gluten corporeum in potentia nuncupare) quod quidem in cœlestibus firmissimam efficit formæ & materiæ seu lucis & humoris concretionem, in orbe corruptibili infirmissimam, in æthereis mediam. Secundo

ſpiritum in altitudinem extenſibilem. Tertiò animam ſeu vitam corpoream in potentia, rationem altitudinis comprehendentem & adhuc indefinitam. Vnde pro impulſus varietate, introrſum, extrorſum, permiſtóque in altitudinem, oritur in principiis ex proportione minoris æqualitatis concretio firmior, propter maiorem inæqualitatem infirmior, propter proportionem æqualem, ſymmetria ſeu mediocre concretionis robur.

Hinc apparet in proportionum ſpecie, phænomeni loco, coagulum maioris inæqualitatis, minoris, ſymmetrum, ſpiritus & animæ inhærentis ſimiles differentiæ. Sic habes in tribus principiis muſicarum vocum differentias ſeptem, aſperum, lene; graue leue; æquale, inæquale; ſymmetron. E quibus reſtat tandem vt aucupemur ſymphoniam vniuerſi, numeris congruam, & tamen diſcordibus, variè temperatam.

Iam autem videbis ex ſingulorum coniugationibus oriri totidem Elementorum ſpecies, quæ ad tres, deinde ad ſeptem reduci poſſunt.

Ad tres, diſtinguendo totius mundi machinam in cœleſtem, æthereum & ſublunarem regionem. In cœleſtem, vt actiuam penitus ratione inferiorum, & ſublunarem vt paſſioni ſubiectam, & vt mediæ naturæ. Æthe-ream, actiuam nempe ratione ſublunaris regionis, paſſiuam verò ratione cœleſtis. Sic

eiūt in singulis triplicia Elemēta in cœlestib⁹.
Vnum ex perspicuo cum humore æquabili, & hoc Sulphuris nomen habebit. Alterum ex luce opaca, cum humore aspero & inæquabili, & hoc Salis nomen obtinebit. Tertium verò erit vtriusque participatum Mercurius, vnde lux perspicua, lux opaca, & media. Similiter in æetherea regione, erit splendor perspicuus cum humore æquabili; splendor imperspicuus cum humore inæquabili, & medius Sulphuri æthereo, Sali æthereo & Mercurio assimilandus. Denique lumen vel color perspicuus cum humore æquabili: lumen vel color imperspicuus, cum humore aspero: medius, Sulphuri sublunari, Sali & Mercurio assimilandi. Ex his denique tribus, vt seminariis naturæ & quasi indefinitis Elementis, exorta est vltima & absoluta creationis species. Vnde mox Elementa in Cœlis, æthere & sublunari regione mundi prodierunt septem. Primum quidem ex perspicuo cum æquabili Sulphur, vt à volatilibus exordiar diciturque inflammabilitatem, lucem, & colorem habere à perspicuo, ab vtroque leuitatem & volatilitatem, præcipuè extra mixtum; à seminaria lucis, virtutem multiplicandi, tum aliis cōmunicandi similem formam, & manifestandi extra se vim habens, colorem, odorem, similesque qualitates habebit, à formali & actiuo principio promanentes: ab æquabilitate volatilitatem, leuitatem, humiditatem & similes qualitates à

materiali forma vt passiua magis effluentes. Alterum erit aquæ Elementum, ex opaco & æquabili conflatum. Ex opaco, vt essentiali forma & actiua, habebit lucis paucitatem, frigus, volatilitatem maximam, in mixto compactionem insignem, virtutem maximam occultandi rerum species in se habens. Vnde ab Hippocrate huius Elementi forma dicebatur Orcus, sicut & prioris forma itidem dicebatur Lux, *Lux Ioui*, inquit, *tenebræ verò Orco, Lux Orco, tenebræ verò Ioui*. Intelligens nempe fluxum & refluxum seminalium rationum. Semina enim in mundanam prouinciam profluentia, lucis imitantur naturam: vbi verò refluunt, tenebrarum & Orci referunt naturam. Ab æquabilitate itidem similes Sulphuri, materiales formas agnoscimus.

Alterum erit Elementum aër vtriusque exemplar, sed humidum magis, propter vtriusque formam materialem, quam repræsentat quæ est æquabilitas, tam Sulphuris quā aquæ. Æqualiter tamen nunc calidus, nunc frigidus, propter vtriusque formā essentialem, & actiuam, quam eminenter continet, nēpe propter Sulphuris perspicuū, calor, modo propter aquę opacitatem, frigus ipsi æqualiter & exēplariter conueniunt. Ita videntur hæc tria Elementa posse reduci per anallogiam quandam ad Sulphur, Sal & Mercurium. Aqua erit Sal fluxile & fusius. Sulphur ipsius naturam retinebit, aër vtriusque naturæ Mercurium æmulabitur,

ſiue vis, retinebant imaginem Iliadi, vnde fluxerunt, trium nempe verorum entium, mentis, animæ, & naturæ, per qualitatem in materiam, formam, & proportionem, vt Elementa inde profluentia.

Diſtribui etiam poſſunt ratione trium mundi regionum per cœleſtem vt actiuam, æthercam vt mediam, ſublunarem regionem vt paſſioni ſubiectam. Ita erunt vt ait doctiſſimus Seuerinus, Sulphur cœleſte, aqua cœleſtis, aër cœleſtis: Sulphur ſublunare, aqua ſublunaris, & aër medius. Sulphur æthereũ, aqua æthe-rea, & aër medius. Et hæc tria. Elementa dicuntur volatilia reſpectu inferiorum, quoniam cito aufugiunt, & facile in ſublime per ſpiritum aut eius qualitatem deferuntur, & quod ſpirituum vires non expectant.

Iam autem de reliquis Elementis, quæ ſunt Terra Sal, ignis, & Mercurius medius. Quorum terra fit ex perſpicuo cum inæquabili, ex perſpicuo ſed maioris compoſitionis quæ fit, per motum à centro ad circumferentiam magis indirectum & à ſimplicitate exemplaris magis declinantem, vnde obtinet naturam pellucidam, qualis in lapillulis & arenarum particularis relucet: tum ſpongioſam & leuiſſimam in mixto naturam, ita vt omnia compoſita, quò magis habent terræ, eò leuiora reperiuntur, vt demonſtrabitur *capite de vitro Antimonij*. Ab inæquabilitate au-

tem habet siccitatem, & externam asperitatem, & virtutem conseruandi res & abscondendi, tum occultandi res sibi commissas fixitatem insignem & in igne constantiam. Sal fit ex luce opaca & humore aspero & inæquabili, terra ex perspicuo & inæquabili. Ignis vtrorumque exemplar, Sal habet à forma materiali, quæ est inæquabilitas, siccitatem, grauitatem, fixitatem insignem, tum virtutem conseruandi & occultandi res occultas, tum asperitatem, vt à forma magis passibili, à luce opaca; vt forma essentiali & actiua, nullam inflammabilitatem, paucitatem lucis, & caloris obtusi, vrentis quidem, sed quadam quasi frigiditate innata, vt solet frigus, gelu, nitrum, & nix. Vnde dicitur.

Penetrabile frigus adurit

Cui conuenit illud Maronis,

Vrunt lethæo perfusa papauera somno.

Vnde eius natura escharotica & cauterisans quæ in omnibus salibus deprehenditur, adurunt enim non secus ac ignea omnia aut calida, compressa enim per motum discontinuum à circumferentia ad centrum, tum sui conseruatiuam & aliorum destructiuam naturam obtinent, ab opacitate. Vt ab essentiali forma, fit vt erodere deprehendantur, sed extra suum mixtum diffusis. Aqua in ipso gaudet, & hospitium in ipso accipit, & in suam quasi naturam fluidam conuertit.

Ignis autem sextum Elementũ cum vtriusque sit exēplar, & participatũ hoc est salis & terræ, nectit salem terræ, quasi animam corpori, proinde spiritus erit. Ratione duorum priorũ, est Elementum internum per quod actiones suas manifestant, eo enim pereunte aut deficiente, deficit Salis vis, tum terræ potestas, & ambo in chaos siue tenebras redibunt. Ab vtriusque inæquabilitate ingentem habet siccitatem & asperitatem, tum in centro innatam fixitatem, & ibi degendi cupiditatem & sortem ingenitam sibi à natura ibi manendi commissam, vt esset quasi aliorum Elementorum flamen & follis indefessus, aliorum naturas in actum suppostitio quodam iure redigens. Proinde ne omnino auolaret & relinqueret suam centralem regionem, retinetur à duabus formis materialibus, nempe inæquabilitate Salis & terræ: tum à forma vna essentiali, nempe lucis opacitate. Quæ formæ tres omnes ad centrum feruntur. Ibique ignem firmissima & stabili radice incarcerarunt. Tamen ne ibi prorsus includeretur, natura prouida per formam essentialem perspicuitatis fenestram vnam sibi aperuit, vt sese aliis communicaret, & sese diffunderet, quasi è carcere ad Elementorum omnium peripheriam prorumpens, vt aliorum volatilem naturam probaret, sublimando aliorum substantias, & pellendo sursum quicquid est volatilis naturæ, sic in flamma illud quod videtur, non est ignis, sed Sulphur per

ignem sublimatum & dilatatum, & in perspicuam suam naturam per aërem, qui est eius spiritus quasi vniens, vitamque aliis impertiens, in amplissimo aëris campo inflammatum.

Denique cum hactenus sit demonstratũ, tria Elementa esse volatilia, totidem fixa, æquo iure Mercurium, vt vtrorumque medium, sed participatũ constituemus, quasi omnium Elementorum vinculum indissolubile, & actum vniuersalem, superiores virtutes omnes inferioribus communicans, tum inferiorum dotes superioribus impertiens; nunc Sulphuris, nunc Salis, aquæ, aëris, terræ & ignis naturam imitans, cum Sulphure, Sulphur; cum igne, ignis, & ita deinceps.

Sic in summum erunt Sulphur cœleste, aër cœlestis, aqua cœlestis, Sal cœleste, ignis cœlestis, & terra cœlestis. Itidem de ætherea & sublunari dicendum.

Cæterum horum septem Elementorum origines deduximus à Sale, Sulphure, & Mercurio primò, deinde illorum origines ex formis quatuor propriissimis Elementorum incorporeorum, nempe duabus actiuis & essentialibus, perspicuitate videlicet & opacitate: ex duabus materialibus, nempe æquabilitate & inæquabilitate. Ex prioribus exorta est lux & calor, tum humiditas, leuitas, & volatilitas; ex posterioribus nempe inæquabilitate & opacitate asperitas & siccitas, grauitas, fixitas,

ex quibus tandem ſeptem Elementa corporea. De quibus particulatim dicemus.

DE SEMINIBVS & eorum virtute multiplicatiua in Veget. Animal. & Miner. tum de Principijs, & Elementis, Calore natiuo, Humido radicali, tum ſpiritibus in genere.

CAPVT XV.

DIVINVS Artifex, qui omnia creauit, creataque regendi ius ſibi vindicat, continuo quaſi afflatu operibus naturæ infuſus eſſe creditur, perque omnia large diffuſus, ſecreto & perenni quodam actû vniuerſa & ſingula ſecundum ſuum genus mouens & permentem, Animam & Naturam quaſi cauſas ſecundas, arcana fœcunditate dotatas, ſed vno nomine naturæ naturantis inſignitas, diſponens, primaque rerum exemplaria in cæleſtibus naturis primo cælata, ad hæc inferiora tranſmittens, mundi vniuerſi Machinam in triplicem regionem diſtinguit; cæleſtem,

æthercam & elementarem. Cæleſtis omnium ſuprema, omnino ſpiritalis & immortalis eſt, diuinæ maieſtati proxima. Ætherea medio loco ſita, quæ perfectiſſimorum corporum ſortem nacta, ſpiritibus abundans, virtutes vitales ſeminaleſque auras per riuulos ſpirituales diffundit, corruptionis impatiens mutationis tamen, abſoluta quandoque periodo, non expers. Denique Elementaris nuncupata, tota corporea ſed ſpiritualibus donis ornata.

Trium autem harum regionum ea quæ æternitatis ſedi eſt vicinior, longe perfectior eſt & præſtentior deinde Ætherea, elementaris autem, quia in ignobiliori, craſſiori, & viliori materia ſculpta eſt, & ab æterno ſuo principio remotior, ideo vilior & mutationi magis obnoxior, nihil itaque in hoc extremo mundi margine tranſcriptum eſt quod prius in cæleſti deſcriptum non fuerit. Neque vlla inferiorum naturarum ſpecies eſt, quæ conſentaneæ cuiuſdam ſuperioris dominium non agnoſcit, occultumque ſigillum & ſignaturam inſitam non habeat. Horum autem omnium eſſentiam, exiſtentiam, vitam appellare poſſumus, ſemina principia aut elementa: quæ quo proprius Vnitatem & naturæ naturantis fontem attingunt, eo magis vniuntur, adeo vt in quibuſdam idem ſit vita, eſſentia, actus & exiſtentia, nulla differentia, quam vel ratio animaduertere, vel ſenſus deprehendere poſſit, inter ſe diſcrepentia. Progredientia vero, &

ab vnitate in multitudinem delapſa, ſeparantur, & differentias demonſtrant rationi manifeſtas, atque etiam ſenſui, in vltimis rerum ordinibus. Itaque elementa & corporum principia, imo & ſemina omnium rerum in ſuis fontibus quondam vnita fuere, nec officiorũ varietate & multitudine diſtracta, at postea quam æternæ legis immutabili decreto ſæculi mundani œconomiam adminiſtrare iuſſa ſunt, officiis, exiſtentiis, vita, eſſentia, ſeparata ſunt. Igitur, progreſſa ſemina corporibus includuntur primo, ſed ſpiritualibus & nobis inuiſibilibus. Denique in corpoream, ſenſibilem & elementalem naturam, quaſi corticem & teſtam, abyſſos & receptacula ſenſibilia includuntur, poſſidentque triplicem naturam: cæleſtem, æthercam, elementarem. A cæleſti lucem, ab ætherea ſplendorem, ab elementari lumen. Cæleſtis natura, quæ tota intelligentiis lucet à diuina mente, tãquam à fonte æterni luminis, proximè illuminatur. Quo lumine, velut pabulo immortali, veſtitur ac in eo quaſi in ſpeculo, diuinæ maieſtatis nutus & mandata legit & ſuſcipit. Huius lucis radius in æthercam natutam influens, omnis actionis motus, generationis & vitæ principium eſt. Huius beneficio aſtra in cælo motuum perennitatem & harmoniam adipiſcuntur, & ad huius exemplum ſemina ex abyſſis ſuis proditura conſtantiam & reuolutiones diuerſas aſtrorum imitantur, & veluti immortales cæleſtium

plantarum surculi, naturæ corruptibili, quasi trunco extraneo inhærent, & eterna quadam successione seminariam rerum naturam à morte vindicant, & continua corruscatione in elementatis influunt, occultamque agendi causam non per solas qualitates, vt vulgo placet: sed per spiritus secretos in hæc inferiora agunt. Sic ignis per caliditatis qualitatem simplicem non comburit aut calefacit, sed per continuam radiorum & spirituum Sulphureorum fluxum & emissionem. Neque terra aut aqua per solas qualitates frigiditatis & humiditatis refrigerant aut humectant, sed per tenues vapores, & spiritus immissos & eminus etiam sensum ferientes.

De plantis & herbis idem iudicium ferre licet. Quia ipsæ virtutes actiuæ attrahendi aut assimilandi alimentum, non in qualitatibus, vt stultè nonnulli putant, sed in earum essentia latent, vt in Sulphure intelligibili primum, deinde vitali & naturali quod spiritibus fœcundum fecit natura, quod que in corporibus vt indumento occultari voluit inuisibilis natura. Ex quibus patet virtutes seminum non ab elementis istis corporeis fluere, sed istas potius corpora constituere & elementa informare.

In seminibus infinitæ facultates sunt, quæ nunquam in elementis corporeis fuerant, illorum videlicet multiplicatio, scientia & æternitas.

Virtutem autem illorum multiplicatiuam quis à materia elementari deducere velit; quam à forma potius celesti aut intelligibili, tanquam à causa efficiente, fluere verisimilius est? Multiplicatio enim est lucis actio maximè propria. Ab vno quippe lucis radio, vt inextinguibili Sulphure, penè infiniti effunduntur ac in infinitum multiplicantur. Vnde fit, vt Sol qui fons immortalis luminis est, idem etiam sit in natura prima causa efficiens generationis & multiplicationis. Quamlibet itaque formam naturalem multiplicandi vim à luce cælesti, aut inextinguibili Sulphure, cuius radius est, acceptam referre verisimile est. Lux enim cælestis, est quasi centrum in lineis multis & circulo toto, à quo quicquid defluit, vndique resarcitur per perpetuum radiorum in centro influxum. Itaque lux illa erit quasi punctum centrum; luminosa in se vniens & in omnibus circumferentiæ lineis reperitur, & vbique multiplicans. Hisque gentilitiis dotibus quum instructa sit, luminosa est quia sensitiuam, imaginatiuam & vegetatiuam facultatem in V. A. & M. splendore suo iradiat. Ita ex duplici illa facultate, duplex fit rerum apprehensio, & cognitio. Exterior per sensus & foras extenditur, & interior per imaginatiuam, quæ intus apud se manet. Omnis enim cognitio lumen est, sicut ignorantia tenebræ; illuminatio enim & quædam quasi luciditas suboritur, cum rerum imagines, appre-

hen-

henduntur, & quæ ignota in tenebris latebant, per notitiæ lumen reuelantur. Solo enim luminis beneficio, res obscuræ patefiunt. Homini vero, vt nobiliori, tertium lumen Deus addidit, intellectum videlicet, cuius ope rerum cognitionem per causas, lumen longe perfectius adipiscitur. Hæc omnia operatione luminis & perspicuitatis, ab Anima lucida, effluentium, producuntur.

Postremus hic luminis actus soli homini conuenit. Duo priores etiam illi cum brutis communes sunt, quorum animæ etiam lucis seu ignis cælestis sunt participes. Vim ergo multiplicatiuam in Animantium, imo & vegetabilium indiuiduis ab Anima lumen multiplicante, & similem speciem producere sciente deduci, ratio conuincit, & quosdam eius radios cum spiritu æthereo in spermate & menstruo V. A. & M. includi, ac in iis occultari. Vnde illud Maronis.

Igneus est ollis vigor & cælestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra:
Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque, nec auras
Respiciunt, clausæ tenebris & carcere cæco.
Donec longa dies.

Quibus versibus Platonicis nihil aliud vult, quam Animam tenebroso huius corporis carcere circumscriptam, veritatis lumen & vera

quæ in illa refulgent minimè percipere, hoc est in actum minimè reducere, quousque per amorem & speciei suæ multiplicandæ desiderium in amplexus iucundissimos expulsionemque seminis in debitam matricem ardentissimè rapiatur, iuxta illud Georgicon.

Omne adeo genus in terris hominumque, ferarum,
Et genus æquoreum, pecudes pictæque volucres
In furias ignemque ruunt, amor omnibus idem.

Ad seminis autem rei tam excellentis intellectum, conferre plurimum videtur eius in triplicem naturam distinctio, in Calorem nempe innatũ, Spiritum, & Humidum primigenium. Cuius origo vno nomine quinta essentia seu quintum elementum & elementum stellarum ab Arist. nuncupata, continens in se semen cuiusque fœcunditatis suæ causam. Cuius triplex natura, distincta à quatuor elementis, repræsentatur per tria corporum principia Salem, Sulphur & Mercurium, aut eorum exemplari à nobis supra demonstrato, & antea sub spiritu vniuersali, natura naturata & sub vnitatis specie memorato.

Nunc autem ne in re tanti momenti deficere videar, haud grauatim quædam afferre conabor, quæ ad cognitionem triplicis huius naturæ conferre videbuntur.

Sciendum igitur in principio creationis cæli & terræ, trinum & summè benedictum Iehouam, qui est ignis consumens, ex ore suo creabili Spiritum emisisse, qui tanquam simu-

lachrum & typus ſpiritus diuini, purus & luminoſus ſplendor diuinæ flammæ nominatur. Hic diuinus & igneus ſpiritus à Deo per Mentem & Animam in Naturam progreſſus quintæ eſſentiæ nomen obtinuit. Non quod fuerit aliquid poſt quatuor elementa quinto ordine manans, ſed origo potius prima & embryo elementorum quinto ordine poſt Mentem, Animam, Naturam & Materiam ad corporeorum Elementorum conſtitutionem paulatim ex vno nempe Mercurio ſeu primo elementorum exemplo, ad binarium ſeu duo elementa incorporea, ignem videlicet & aërem, & inde ad quatuor corporea, nempe, Salem & Arenam, ſulphur & aquam ſeſe diffundens, qui proximè poſt Deum omnia ſua generata ſiue creaturas Dei in hoc mundo Elementari, non tamen ſine auxilio 4. matricum ſiue elemẽtorum corporeorum, quæ ab initio ſuæ reſuſcitationis & augmẽti vſq; ad ſummum gradum ſui completi ſtatus, & rurſus illinc ad vltimum & infimum gradum ſui obitus & mortis, viuas & progrediẽtes cõſeruat & fouet. Idcirco cum hic ſpiritus ab initio aquis primigeniis incubaret, nullum aliud propoſitum ſummus ille creator Deus habebat, quam vt aquæ illæ Spiritu illo genitore impregnarentur, & per eum etiam fœtus in iis plene digererentur, quemadmodum oua à gallinis egeruntur, vt etiam poſtea in ſeparatione, per virtutem Verbi diuini ſingula elementa ſua propria &

ſingularia generata, in apicem producerent, quorum ſingula innatam indolem à ſuo genitore inſita, tam repræſentant, vt à Philoſophis Natura naturata, ignis inſitus, calidum innatum & vniuſcuiuſque rei potentia rectrix appelletur. Hæc occulta & inſita cuiuſque rei natura & proprietas, vt dictum eſt, ab illo communi ſpiritu, qui prædictis 4. matricibus ſeu Element. corporeis quotidiano influxu & impręgnatione incorporatur, in ſuo vigore conſeruatur, ſed etiam virtute diuinæ Benedictionis CRESCITE, ita de generatione in generationem augetur & vlterius propagatur. Quantitas enim & moles corporea à corporeis Elementis (prout vnum altero magis corporeum eſt) oriuntur. Qualitates vero & vigor igneus ab immobili & innato ſpiritu Elementorum & mundi viuifico ſemine ſuam originem habent. Sed ab immobili & innato ſpiritu elementorum qui ex Natura naturante in Mentem, à Mente in Animam, ab Anima in ſpiritum ſeu formam elementorum formatricem proximè quaſi à mundi viuifico ſemine progreſſum & originē ducit, qui in generantibus, tanquā in quatuor Elementis, adhuc vniuerſalis, in generatis vero particularis inuenitur. Et propterea pro rerum diuerſitate, diuerſæ etiam praxes & operationes vel particulares, vel vniuerſales inchoantur, quemadmodum horum aliqua exempla ſequuntur & demonſtrantur.

Nunc sequitur, quo pacto magnus mundi spiritus, qui quotidiano influxu Elementa impraegnat, & se in iis incarcerat, in ventre terreno planè corporeus fiat. Vbi non ignorandum est etiam, quod in creatione mundi, terram & aquam à spiritu nempe Domini hoc generatiuo quodam spiritu, beata & fertilia reddita fuisse, sed passiua tantum facultate praedita, vt iubente Domino terra fructus suos & herbas per se sine aliorum elementorum auxilio primario produceret, priusquam Sol, Luna, & Astra in caelo crearentur, ex Scripturis & intellectu Physices. Compertum tamen est, nunc secundario seu post Adae lapsum, generationem omnem fieri & dirigi per conspirationem quatuor elementorum corporeorum & incorporeorum, ex quorum debita mixtione & contemperatione omnia crescentia originem suam, & quandiu Deo libebit, non interituram continuationem habebunt. Et hoc modo 4. elementa corporea per naturae ductum, & coitu cum incorporeis ex se producunt sperma seu semen, quod in terrae centrum proiectum & ibi elaboratum pro adaptatione diuersa, tam intra quam extra terram, multa & varia prodeuntia oriuntur, vbi omnis nutritio, sanitas, diuitiae & bona totius mundi dependenter inueniuntur.

Quemadmodum vero Elementa incorporea suam virtutem in centrum terrae indunt, ex quorum omnium mixtura praedictum sperma

exoritur: non ignorandum est in centro terræ corporeum ignem & aerem, salem & sulphur clausum latere, quemadmodum etiam vtraque hæc elementa in superficie subtiliter & spiritualiter vndique incubant: & vtraque tam interna quam externa, sunt eiusdem naturæ, & inter se mutuo ita delectantur, vt non minus centralia, & terrena appetant, & ad se magnetice trahant, quam superficialia & cælestia, vnde lubenter denique in illa terrena infunduntur & influunt. Ex quorum vnione, mediante conspiratione corporeorum Elementorum, terræ & aquæ, semen & sperma oritur.

Vlterius sciendum, ex hoc vnico spermate & radice, duo genera fructus prodire: quod scholæ celebres hucusque nec intellexerunt, nec perpenderunt, vnde & se ipsos vel ad mortem mirari oportet. Nam cum Archæus terræ prædictum sperma interno motu extra & sursum protrudit, duæ substantiæ & exhalationes reperiuntur. Aliæ grauiori & magis fixo prædita ingenio: qualia sunt mineralia. Quæ vero leuiora, subtiliora & volatiliora sunt, & à centro vsque ad superficiem terræ propelluntur; plantarum & vegetabilium sunt propria. Et cum vtrorumque horum symbolum & familiaritas satis appareat: sequitur, quod omne quod volatile quod in regno minerali inuenitur, quod nempe perfectam fixionem nondum adeptum est

æquo iure comparatur vegetabilibus (prout & experientia confirmat, ex salibus vegetabilium Mercurium currentem, ex media eorum substantia oleosum humorem, Sulphur vrens fieri posse:) pari modo sequetur vegetabilia menstrua soluentia non pro heterogeneis, sed pro mineralium amicis & domesticis agnosci & haberi debere, cum quibus etiam conspirant & vniuntur. Imo in eandem naturam, & genium, saluberrimis qualitatibus imbutum, reduci posse. Hinc etiam apparet, quo pacto catena aurea Homeri & Annuli Platonici inter se mutuo commeant, & omnia ex se inuicem dependent & colligantur, vt ait Rasis *in libro Diuinitatis*. Quæ familiaritas ex arbore Philosophiæ percipi potest. Natura enim seu spiritus mundi vniuersalis, primò à Deo rebus creatis, dat & infundit vitam & potentiam. Postea ex elementorum creatorum permixtione, oritur semen omniũ rerum crescentium, tum postea oriuntur semina mineralium, quæ centro terræ proxima sunt. Ex volatilibus vero & exhalationibus mineralium, oriuntur Vegetabilia: Vegetabilia nutriunt animalia: Animalia vero cum optima Vegetabilium mixtione, nutriunt & medentur homini. Vnde & tota creatura in homine, velut in centro, coit, & mutuo participant.

Et inde non immerito concluditur, ex his omnibus sequentia notatu digna, nempe quod Spiritus mundi siue natura vniuersalis, de qua

hic ſermo eſt, à nobis haud comprehendi poſſe remotiſſimè, prout ille ſpiritus incomprehenſibilis ſuper omnia elementa & cælos exaltatur: in ſuo nempe Ihado, ſed prope, partim in elementis (vniuerſaliter tamen & magis minuſque ſpiritualiter) quieſcit & commoratur. Partim vero in Elementatis (particulariter tamen & ſpecificè) palpabilis & plane corporeus inuenitur: Sic propinquè & particulariter primo maximéque fixus ſeu potius in illis concretis, quæ in centro Elementorum fiunt, qualia ſunt ſola mineralia.

Atque vt compendio omnia comprendam: Omnia quæcunque ſunt, à cœlo prouenire, & cœli naturam participare ſcito nihil enim tam naturale eſt, quam quod genitum genitoris ſui participet naturam & ſubſtantiam. Cum autem vniuerſalis genitor omnium inferiorum cœlum ſit, neceſſarium eſt, quod inferiora omnia cœli naturam & ſubſtantiam participent. Et ſic cœlum eſt in omnibus rebus occultatum inferius, quod extra res omnes manifeſtè eſt exterius. Et ſicut corpore ſuo patens eſt in ſuperficie mundi latiſſimè: Sic ſpiritu ſuo contrahitur in centro mundi arctiſſimè. Summum igitur omnium rerum, corpore ſuo cœlum eſt, in alio poſitum. Et rurſum profundiſſimum omnium rerum eſt cœlum, in imo ſpirituoſo abſconditum. Et ſicut corpore ſuo claudit & tegit omnia: Sic ſpiritu ſuo permeat & implet omnia. Vbique enim cœlum eſt vi-

sibiliter in formâ suâ. Et rursum cœlum est in omnibus virtute suâ. Et vt cœlo nihil est per omnia manifestius: Sic rursum in omnibus cœlo nihil est occultius.

Tu autem, qui cœlum extra omnia semper vides, cœlum in omnibus absconditum intelligas. Et hoc absconditum cœlum, si feceris vt pateat, tunc nulla virtus manifesti cœli te vnquam latebit. Hoc cœlum siue semen dici potest lapis Philosophorum; in omnibus rebus est, & quod omnes res totius mundi peruadit. Spiritus quippe est quidam viuificus, substantiuus, essentialis, omnibus creatis mundi huius vitam, substantiam, essentiam, largiens, quoniam ex ipso, in ipso, & per ipsum sunt, viuunt, vegetantur, crescunt ac mouentur omnia, & virtute eius plena sunt omnia, nihilque est vacuum essentiæ & virtutis eius, nisi quod mortuum & in creaturarum viuentium numero amplius non est. Hic spiritus in cœlo liberrimè diffusus, motu & virtute sua est: in terra autem & maxime in centro eius arctissimè contractus. Ideo in creaturis è centro terræ prouenientibus iam quasi condensatur & incorporatur in substantiis ipsorum. In metallis perfectis totus clauditur & figitur, in imperfectis verò, nec non in mineralibus cæteris est gradu proximo, sed nondum fixus.

Nunc vt ad calorem redeam, constans & rata est Philosophorum opinio, omnia viuentia propter inclusum in se calorem viuere,

alimentum attrahere, animalia ſenſu affici: & quo perfectiora eorum fuerint corpora, eo & vberiorem calorem adeſſe affirmant. Huius naturam ignorantes Philoſophi in mirabiles errores inciderunt, dum genuinum & æthereum huic calorem non diſcreuerunt ab elementari. Calor enim vitalis ab elementari prorſus eſt alienus, viget enim hic in frigidis animalibus frigidiſſimiſque herbis, imo in illis quæ in aqua creſcunt, vbi nullus elementaris calor percipitur. Neque eſt accidens, vt calor elementaris, ſed vera ſubſtantia. Neque calefacit per qualitatem aliquam elementarem, ſed per radiorum & ſpirituum Sulphureorum perpetuam radiationem & influxum, ſicut in lumine videmus; ſed tantum à fonte ſuo effluxit, quantum qualitas elementaris ab ipſo elemento. Calor enim hic cæleſtis, eſt inextinguibilis ſui Sulphuris portio quædam effuſa. Perſpicaciores Philoſophi hũc calorem vitalem, internum Solem, internum elementum, item Solem mineralem vocauerunt. Arnaldus de Villa noua id confirmat dicens *Illud cui non eſt par, eſt Sol de Minera: & ſapientes aſſimilarunt ipſum præparatum calori naturali ſanæ adoleſcentiæ. Et propter hanc ſimilitudinem eſt quod ſapientes appellarunt eum nomine animalis.*

Ariſtoteles huic vitali calori omnes omnium rerum naturalium facultates adſcripſit *lib. de Animalium generatione cap. 3. Ineſt in ſemine, omnium quod facit vt fœcunda ſint ſemina, videlicet,*

quod calor vocatur. Idque non ignis, nec talis aliqua facultas est, sed spiritus, qui in semine spumosoque corpore continetur. Et natura quæ in eo spiritu est, proportione respondet elemento stellarum. Plato hunc calorem seu spiritum totius formæ propugnatorem appellat, illumque à generali mundi spiritu excitari & contineri literis prodidit. Is enim, in omnium genitorum seminales rationes omnesque occultas proprietates diffusus, in animantia, in stirpes & metalla propagatur.

Calor itaque naturalis nihil aliud est, quam naturæ essentia, & substantia, à mente & anima esse suum & actum in hæc inferiora exercens, & ab ipsis per vniuersum diffusa, continẽs in se omnes rationes mixti seminarias & quasi è diuite penu singulis rebus suam formam specificam distribuens. Hunc calorem in mentibus ideas, in anima rationes, in natura semina, in seminibus corporeis calorem innatum seu quintum elementum vocamus. Hunc diuinus Hippocrates testatur omnia intelligere, videre, audire. Ignem præterea diuinum appellat. Ad cuius rei confirmationem, vt Hippocratis, sic & aliorum Philosophorum testimonia adducam, ne vnius iudicio stare videar. Quod attinet ad Hippocratem, se ipsum explicat ignis appellatione illum indigitans. *Ignis* inquit *libro de Diæta, in hominis generatione triplices circuitus facit, sed facultate diuersos, mutua tamen societate tam intus quam foris con-*

pirantes, quæ in cauitatibus humiditatum officinis circuitus habent, Lunæ poteſtatem, motus & maturitates. Quæ vero exterius, vbi ſolidiora conſiſtunt membra, reuolutiones abſoluunt, aſtrorum imitantur proprietates. Quæ in medio conſiſtunt, robuſtiſſimi ignis naturam continent. Qui intro & foras per omnia tranſiens, omnibus dominatur, idque occulto ſilentio, nec viſu, nec tactu conſpicuus eſt. In hoc igne, id eſt aſtris mediæ huius reuolutionis, anima, mens, prudentia, augmentum, motus, diminutio, tranſmutatio, ſomnus, vigilia deliteſcunt. Eodem libro, facultates, ſcientias, dona huius naturæ deſcribit Hippocrates: Hæc φύσις ἀνθρώπων moderatrix eſt, alimentorum attractiones, mixtiones, partium diſpenſationes, conſentanearum conſpirationes, diſſentanearum vero expulſiones. Hæc illa eſt, quæ hoc expellit, hoc attrahit, quæ dat, quæ accipit, minora minoribus locis adaptat, maiora maioribus, idque commixtione alterata & benè temperata. Propterea Orpheus naturam appellauit πεπρωμένην, quaſi fatorum legibus ornatam. Quo vocabulo etiam vtitur Hippocrates. In ipſa enim naturæ eſſentia inſita eſt lex, eſtque ipſa eſſentia, quæ impellit, ſuſcitat, moderatur omnia. Et quia innata eſt, decreta validius peragit.

Propter naturæ dona tam varia, innumerabilia & incomprehenſibilia, Hippocrates naturam dixit ἀπαίδευτον, id eſt à nullo edoctam, hoc eſt lumen naturæ ſiue prædeſtinatio Para-

celsi, quam integrè cognouisse gloriatur. Hãc naturam arcanam numinis vim, lucis opimam virtutem, vim lucidam Sulphuris, vim cæli occlusam, facem & purissimam lampadem, inaccessæque virtutis ignem: florem naturæ atque nobile germen vocitabat. Alanus in dictis quę posteritati consecrauit, naturam appellat, ignem sapientiæ: Alexander à Suchten, vocat ignem viuum. Geber Philosophorum princeps, ignem hunc Sulphur incombustibile nominat, naturam viriditatis, quæ cunctas res germinare facit. Hæc est Chymicorum leo viridis, cui omnium morborum curationes adscribit Paracelsus.

Ego vero vt ex longioribus ambagibus beneuolum lectorem *expediam & æquiuocationem omnem tollam, dicam calorem natiuum in mixtis omnibus esse genuinum Elementi Salis Astrum, ab Elementorum embryone seu spiritu Mercurio, in V. A. & M. familia dispersum, terræ seu vitri actum & Sulphuris inextinguibilis exemplar, mirabilibus formandi, conseruandi, coagulandi, multiplicandi viribus præditum.*

Iam quod ad spirituum naturam attinet, definiendi primo erunt, vt quid à calore natiuo differant perspicuum sit. Sed ne æquiuocatio errorem pariat, principio sciendum spiritus vocabulum pluribus modis vsurpari. Primò enim πνεῦμα aërem vel ventum significat, in specie tamen aërem, qui respirando attrahitur & expellitur. Sumitur etiam pro exhalatione

aut vapore à corpore diffluente. Verum iſtæ appellationes à noſtro propoſito ſunt alienæ. Cum enim hic de ſpiritibus loquimur, intelligimus quandam ſubſtantiam tenuiſſimam & ſubtiliſſimam, mediam inter corpus & incorporeum, quæ ad Animalium, Vegetabilium & Mineralium conſtitutionem influit: qua forma ac anima, tanquam inſtrumento proximo & præcipuo, vtitur ad actiones ſuas obeundas. Quos ſpiritus diuinus Hippocrates ὁρμῶντα appellat. Et quamuis in arte inſtrumenta diuerſam habeant ab agente materiam; tamen in naturalibus idem eſt inſtrumentum, & id quod inſtrumentum impellit, niſi longius ab origine & fonte ſuo recedat, & ad multiplicitatem tendat: impellens vero vnitati proximior. Hinc eſt, quod anima, quaſi igneus diuinitatis radius, luce aut Sulphure inextinguibili, vt ſuæ communicationis inſtrumento & indumento, primum induatur, vt reliquis infimæ ſortis rebus inexhauſta vis ſua communicetur. Sed vt Anima ex hoc Sulphure inextinguibili & intelligibili, lucem & ſeminales rerum rationes aliis communicet, oportet vt continua radiorum ſuorum in centro adhuc latentium fluxu & emiſſione, accendatur & illuminetur, vt videre eſt ex diagrammatis parte compoſita, eiuſque pyramide formali in centro vniuerſi terminante.

Hoc vitale & inextinguibile Sulphur, lucis præſefert imaginem, & inferioribus im-

pertit. At quum effluxus, & radiorum vibratio à centro ad circumferentiam fiat, & vt ab vnitate ad multiplicitatem tendat, quis dubitat hisce radiis ignobiliorem sortem, quam impellenti attribuere? Hos igitur radios, Sulphure luminoso & vitali indutos, spiritus impellentes propriè nominamus. Cuius eminentiorem adhuc propulsum & à fonte primo remotiorem progressum, calorem innatum seu natiuum propriè nominare possumus. *Et huic nomen Mercurij, Veteres Philosophi attribuere*, qui per varios gradus transire deprehenditur, vsque ad elementorum corporeorum naturam. In prima enim ex anima emanatione aut progressu, spiritus aut formæ indolem præsefert, estque ex illa parte qua animæ inhæresciт incorporeus: ex illa verò qua corpori & corporibus immergitur quodammodo corporeus, primóque in duas naturas collaterales quasi exemplaris se se abdit, sensibus nostris absconditas, in fixissimum ignem & volatilissimum aërem, ambæ eius naturam incorpoream & cœlestem participantes. *Nam sicut spiritus seu Mercurius verus elementorum embryo* essentiam elementarem per ideam & exemplar familiaribus sibi elementis exhibet, & fit per exemplar & vt participatum, quicquid reliqua sunt elementa per imaginem. Duo hæc incorporea elementa ignis & aër à Mercurio promanantia in reliquorum naturis exemplario iure defluunt, & sobolem parentibus simi-

lem relinquunt, fixa fixorum, volatilia volatilium imagines repræsentat, ignis salem & arenam, aër sulphur & aquam induunt. Anima igitur scintillas suas Diuinitatis ex Sulphure inextinguibili & lucido conflatas, accendit & per spiritus suos emissarios inferioribus communicat, vt tandem in calorem desinat, qui proximè ad naturam & opacitatem corpoream accedit. Calor autem radicem & fundamentum habet in humido radicali, de quo nunc institutum est dicere, vt seminis naturam, nemini Philosophorum adhuc cognitam perspectam vtique habeamus.

Humidum radicale quod attinet, requiritur perfecta distinctio humorum in quolibet corpore regnantium, vt probè intelligatur eius natura. Illi vero sunt elementarij, alimentarij, & primigenij; quorum maxima est differentia, tum quoad essentiam, substantiam, & materiam. Elementaris est aqueus humor, quo tanquam visco terrenæ corporum partes iunctæ cohærent, & est omnibus mixtis communis. Alimentarius, qui à spiritibus mechanicis in partibus corporum existentibus seu inhærentibus attrahitur spiritualiter. Quem omnia indiuidua eo vsque attrahunt, donec ad terminum prædestinatum peruenerint. Postea cessat astrum, vt loquuntur Chymici, & redit in æthereum suam naturam, relinquendo compositum. Hic spiritus nihil aliud est, quam ipsum semen, ab vnitate in multiplicitatem delapsum,

sapsum. Nutrimur enim, ait diuinus Hippocrates, ex eadem materia ex qua constamus: at nutrimur non solum ex aëre & cælo, sed ab ipsa aqua, & terra: non quatenus sunt elementantia, sed elementata & seminibus omnium rerum referta. At humor radicalis est ab his diuersus, omnibus tamen vita fruentibus communis. Is tum spiritus, tum innati calidi fundamentum est, & quasi materia subiecta, cum quo spiritus calore perfusus primum & per se coincidit: ita vt neutrum permanere possit in mixto citra huius humoris opem, sed ambo in suam æthercam & cælestem redeant naturam. Proinde hic humor est in quo primum cæli & terræ coniugium celebratur, per quod cælum etiam in centro terræ habitat. In mixtis hic humor est sedes & pabulum ignis innati & cælestis, vinculum eius cum elementari corpore. In seminibus hic humor est immediate custos & capsula spiritus illius ignei in semine incarcerati, donec calore aduentitio in matrice apta ad generationem promoueatur. Denique est focus, in quo custoditur ignis immortalis, qui primus motor est omnium indiuidui facultatum, proximum & indeficiens generationis & vitæ subiectum, in quo primum accenditur ignis naturæ & actus formalis in materia benè disposita.

Basim autem istam radicalem de genere formarum specialium non esse manifestum est, quia quodlibet indiuiduum singularem & in-

diuiduam ſuam habet formam, quæ ſoluto mixto à corpore recedit, ſtante nec exſtincto radicali illo principio, licet propter formæ abſentiam admodum debilitato & parum efficaci. Illi tamen igniculi quidam vitales reſtant, vilioribus & imperfectis fœtibus producendis apti. Quæ productio non tam naturæ, quam materiæ partus eſt; nitentis, ſed ſine compari generare non valentis, propter virtutis formalis & ſpecificæ abſentiam. Sic cadauer hominis aut equi non hominem aut equũ, ſed fœtidos vermes & inſecta quædam generandi capax eſt. Exigua ſiquidem illa prioris lucis aut Sulphuris vitalis ſcintilla, quæ tenebroſam inferioris abyſſi materiam ab initio informat, inſectorum generationi ſufficere poteſt, confuſo enim & inordinato motu materiam agitat, vt eam de potentia in actum debilem perducat. Verum illa hoc igniculo tepeſcens, & languenti ſimilis, maſculi magis imagine, quam copula corrupta, in libidinem proruit, ac legitimo naturæ fœtui concipiendo impar, immunda phantaſmata & ſimulachra quædam animalium, quales ſunt vermes, ranæ, ſcarabei, mures, & ſimilia, in excrementis & putidis ſibi fingit. Humor itaque ille radicalis eſt proximum & indeficiens generationis & vitæ ſubiectum, in quo primum accenditur ignis naturæ & actus formalis in materia benè diſpoſita & ordinata.

Sed vt iſta accuratius percipiantur, concipe

animo generationem duplicem esse, ordinariam & extraordinariam. Extraordinaria est, qua dissimile ex dissimili nascitur, vt mures, qui ex fimo à Sole generantur, diciturq; generatio æquiuoca. Ordinaria generatio est, qua simile ex simili producitur, vt ex homine homo, ex leone leo, & appellatur, vniuoca. Primæ generationis semina per pyramidalem influxum in centro terræ concurrunt, perque lucem Solis & Lunæ viuificantur & in terræ centrum concurrunt, repræsentaturque in diagrammate per pyramidem, cuius basis concipitur esse in Zodiaco, & apex in centro terræ, ad quod continuus fluxus, radiatio & dimanatio cælestis & ætheteæ naturæ in elementarem influunt, & ex centro vndique sese diffundentes radij, pyramidem aliam, cuius basis erit diametrum terræ, efficiunt. Vnde redit spiritalis illa natura circulari motu ad fontem vnde promanauit, vt probatum fuit per *propositionem quartam octaui capitis.* Sed non prius quam

Concretam exemit labem purumque reliquit
Æthereum sensum & auraï simplicis ignem.

Vnde duæ Pyramides exurgent. Vna, cuius basis erit in mundo intelligibili, à quo distinctio & cognitio rerum emanant, per Zodiacum transiens, Cælum & æthera continet, Solemque & cætera astra includit, tandemque elementari incarceratur, & in centrum vniuersi apicem deponit. Huius pyramidis forma talis erit, vt quo apici proximior, eo & mate-

riæ corporeæ cognatior: quo vero basi, eo à natura corporea remotior & æthereæ, cælesti, intelligibilique proximior. Altera vero è contra, quo basi proximior, eo crassior & sensibus cognatior. Harum duarum pyramidum occurrentium medium, circulus Solis æquat, vnde exurgit æqualitatis circulus, & copula perfectissima intelligibilis, cælestis, & æthereæ naturæ, vt masculi cum elementari & lunari natura ac fæminea. Quare generationem illinc productam, generationem vocamus æquiuocam, vt generationem alteram à specifico semine, vniuocam. Hoc semen æquiuocum elegantissimis versibus à Lucretio describitur:

Denique cælesti sumus omnes semine oriundi;
Omnibus ille idem pater est, vnde alma liquenteis
Humorum guttas mater cum terra recepit,
Fœta parit nitidas fruges, arbustáque læta,
Et genus humanum, parit omnia sæcla ferarum,
Pabula cum præbet, quibus omnes corpora pascunt:
Et dulcem ducunt vitam, prolémque propagant,
Quapropter meritò maternum nomen adepta est.
Cedit enim retrò, de terra quod fuit antè,
In terras: & quod mistum'st ex ætheris oris,
Id rursum cæli rellatum templa receptant:
Nec sic interimit mors res, vt materiai
Corpora conficiat, sed cœtum dißipat ollis.

Apex pyramidis formalis in centro terræ desinens ignem seu archæum repræsentat, sicut apex pyramidis materialis & specificæ,

ignem naturæ demonstrat. Vnde fit motus perpetuus & indesinens circulatio. Cælestis enim ignis & lucens per æthereum, vt digerentem; tum elementarem, vt adurentem transit ad centrum mundi, ibique incorporatus repercutitur ad circumferentiam vnde prouenerat. Per duplicem hunc motum duplicia apparent corpora: fixa quæ fiunt per motum à circumferentia ad centrum; volatilia, quæ fiunt per motum à centro ad circumferentiam. Per motum à circumferentia ad centrum quasi descendendo ignis ille cælestis & incorporeus inuoluit sese corporibus vt indumento. Et talia sunt fixa, terra, Sal, & ignis elementaris. Ascendendo vero per motum contrarium spiritus hic igneus deponit corpora, qualia sunt volatilia, nempe Sulphur, aër & aqua, & in ætheream, tum deniq; cælestem regionem ascendit, vnde inquit Hermes, *Ascendit à terra in cœlos, iterumque descendit in terram* Recipit vim superiorum & inferiorum: hic ignis, communis ignis tyrannidem spernit. Neque enim aut martyrio deficit, aut volatu recedit, sed mixto superstes, eius cineribus pertinaciter inhæret, quod perfectæ puritatis argumentum est. Et vt vno verbo dicam, nihil aliud est, quam Sal in cineribus omnium rerum latens, in quo summa mixtorum est virtus. Et hoc agrorum vbertas, & stipularum incendium & incineratio testatur, esseque illum humorem ab igne naturæ illibatum, radi-

cale generationis principium, & naturæ basim & cubum, licet virtus illa solitaria & inefficax in ipsis cineribus lateat, donec à terra, communi principiorum naturæ matrice, suscepta, occultam generationi & multiplicationi consentaneam facultatem explicet, vt in rerum seminibus moris est.

Quum itaque indiuiduorum vita consistat in rationali & stricta materiæ & formæ vnione: vtriusque autem naturæ nodus, copula & basis, in forti caloris, siue ignis innati & humidi radicalis amplexu latet. Ignis enim ille formalis est cælestis radius, qui humido radicali vnitur. Illud autem est materiæ portio purissima & maximè digesta, per organa naturæ, quasi per alembicos maximè defæcata, & in naturam spiritualem quodammodo conuersa. Et vt compendio dicam, sciendum est sensibilia rerum semina, & quæ ex illis nascuntur mixta, triplici natura constare, cælesti, ætherea, & elementari. A cælo illis radius lucis Solaris inest, omni ætherea virtute indutus, actionis, motus, generationis & vitæ principium. Cuius beneficio semina constantiam astrorum rediuiua sua facultate imitantur, & veluti immortales cælestium plantarum surculi, naturæ corruptibili, quasi trunco extraneo insita, æterna quadam successione illam à morte vindicant. Porrò elementaris, corporea & sensibilis illa portio, quæ in animalibus sperma dicitur, est seminis custos &

capsula, quæ putrescit, & corrumpitur. Semen autem est inuisibile quod generat. Humor radicalis, siue fermentum naturæ, cui spiritus inhæret, est media substantia, cælestem & elementatem copulans, ex materiali parte elementis, ex spiritali parte formæ respondens, auroræ similis, quæ tenebricosa luce perfusa extrema lucis & vmbræ connectit, vtriusque mixturam exhibens. Et hæc de triplici seminis anatomia hoc loco sufficient.

Nunc autem radicum aut seminum rationem, huic proposito congruentem, compendiosè adducam, dicendo semen esse *corpus spiritale seu vitale principium, in se continens spiritus mechanicos & tincturas vniuersæ anatomiæ propriæ speciei, quibus suum sibi fabricant corpus, colores, sapores, qualitates, magnitudines, figuras, & reliquas signaturas consentaneas officiis & prædestinationibus prædictorum spirituum & rei producendæ*. Semina itaque in vitalibus suis abyssis delitescentia vbi digesta expleuerint tempora, cum spiritibus coniugium ineunt. Cum spiritibus dico, ex quibus corpora tandem constitui possunt. Qui quamquam in initio sint inuisibiles, corporum tamen principia, elementa & ornatum in se continent, locaque, matrices, ac domicilia inueniũt omnium rerum generationi opportuna. Talis autem locus dici potest humidum primigenium, hoc est genuinum Sulphuris astrum, *ab Elementorum Embryone Mercurio spiritu seu forma*, in V. M. & A. familia

progressum, aquæ actum & extinguibilis Sulphuris exemplar, mirabilibus nutriendi, propagandi, renouandi, & similium agendi vim habens.

Hactenus de seminis natura, eiusque calido, spiritu & humore primigenio. Nunc autem de principiis aut corporibus semina immediate inuoluentibus agemus, donec ad elementarem & corpoream naturam, viam faciliori tramite sternere videamur.

DE IGNIS NATVRÆ, *lucis, splendoris, luminis & tenebrarum essentia.*

CAPVT XVI.

SVB duobus velis materia prima, tum eius forma nobis innotescunt, sub tenebris & luce. In prima enim materia duo considerantur. Vnum, quod est ens quoddam in potentia, & est quasi illius materiæ occultum subiectum. Aliud, quod est quasi caliginosum eiusdem velum, cuiuslibet rei impressionem, quandiu adest illi, tollens. Hoc à Moyse vocatur *Tenebræ*. Quarum pręsentia dicuntur entia esse in potentia. Ipsarum absentia, ad actum dicuntur reduci.

Hanc materiam adhuc velatam & infor-

mem, Moyses abyssum appellauit, referendo, tenebras fuisse super abyssum, & simul ac Spiritus Domini dictus est ferri super aquas, igneum illis vigorem exhibens; tenebræ autem paulatim decesserunt: in prima enim creatione, nempe ante materiæ primæ informationem, extra Deum nulla lux erat: in se ipso enim tantum lucebat, nec claritatem suam reuelare voluit, antequam de mundi creatione cogitaret. Nam vt Psal. 18. 5. 11. *Fecit tenebras locum suum secretum, tabernaculumque suum aquis obscuris fecit, nubibusque densis obuelauit.* Ita & Psal. 18. 25. 12. *Tenebræ & nubes sunt circa ipsum.* Tunc enim, vt ait Mercurius Trismegistus, formam suam mutauit, hoc est, occultam suam essentiam manifestauit, quo vniuersa subito reuelauit. Et vt Psal. 18. 25. 12: *splendore eius præsentiæ, nubes & aquæ tenebrosæ fugerunt.* Nascente autem natura ab igneo diuinitatis spiritu lux spiritalis in materiam fluxit, eiq; quasi ellychnio inhærere cœpit. Et quod prius abyssus propter caliginem vocatum est, nũc informari incipiẽs, aquarum nomen sibi vindicauit; ipsarum enim speciem repræsentare visum est prius, quam in spiritum per subtilisationem reduceretur. Hoc idem & Trismegistus *in suo Pœmandro* asseuerare videtur, dicendo Vmbram horrendam obliqua reuolutione circumlabentem, in humidam migrasse naturam, hoc est in aquam conuersam esse. *In sacro suo sermone:* Vmbram infinitam, aquam insuper & spiritum

tenuem intellectualem per diuinam potentiam in Chaos fuisse dicit. Illæ igitur tenebræ, lucis specificæ præsentia discutiuntur. Hæc vero, nempe materia eiusdem lucis claritate à tenebrosa caligine purificatur. Nam dum mundum creare voluit, *mutauit formam suam & vniuersa subito reuelata sunt, omniaque in lucem conuersa, suaue nempe & iucundum, quod spectantem mirifice delectabat*, vt 1. *Pœmandri* habetur.

Hæc autem lux ignea, vt creatura & velamen primum, perfectissimæ formæ, aditum nobis exhibet ad creaturam & Animam, huius lucis actum, qui vita & ignis sæpenumero dicitur. Vnde Rabi Eliezer dicit cælos creatos fuisse ex lumine velaminis Creatoris: nixus forsan super Psalmo 131. *Amictus lumine sicut vestimento.* Ad quod tendit illud Zoroastri; *Ad verum lumen ascendere oportet, & ad radios patris clarissimos, vnde Anima fuit tibi missa multa, copiosa, intellectu vestita.* Sic ab Apost. 4. *ad Timotheum* dicitur. *Deum habitare inaccessibilem lucem, quam nullus hominum videre potest.* S. Dionysius 15. *Hierarchiæ cælestis*, dicit ignem, cuius essentia omni forma est orbata, maximè aptum esse repræsentare sensibus nostris diuiuinitatem, quatenus comprehensibilis est. Ita sacræ Scripturæ infinitis in locis appellant Deum & Angelos ignem. A cuius simplici actu virtutes & essentiæ omnes, imperante voluntate diuina, cuilibet mundi parti veluti dona distribuuntur, secundum Psalmistæ regij

ſententiam. *Verbo Domini formati ſunt cæli, & ſpiritu oris illius omnis virtus eorum.* Hoc etiam idem confirmare videtur diuus Paulus, *per ſpiritum, inquit ille, ſanctum, omnia expiſcantur, & ſingula ſingulis gradibus diſtinguuntur.* Spiritus igitur hic Domini, qui eſt amor igneus, ferebatur ſuper aquas, igneum illis vigorem impertiens, volũtate diuina ſic iubente. Vnde prima mundi creatura omnium ſubtiliſſima, ſimpliciſſima, nobiliſſima & actuoſiſſima mundo primum affulſit. Hunc ſpiritum etiam Ethnici agnouerunt. Nam Chaldæorum oracula dixerunt, eum fuiſſe amorem igneum, à Patre & Verbo procedentem, vt teſtatur Iamblicus & Mercurius Triſmegiſtus, Deus, ignis, numen & Spiritus eſt. Gentiles, vt apud Plutarchum legitur, eum deſcripſerunt eſſe ſpiritum intellectualem & igneum, non habentem formam, ſed in quamcunque voluerit ſeſe transmutantem, & ſe vniuerſis coæquantem. De quo etiam Zoroaſter & Heraclitus loquentes, omnia ab vnico igne genita eſſe voluerunt. Hinc etiam Orpheus, cælum medium ſpiritus huius ignei lumine illuminatum, dixit ætherem, quaſi æthaërem, hoc eſt ardentem, ſpiritum, & pyripnon, id eſt igneum ſpiraculum appellauit. Sic Deus ipſe in ſacris literis ſe ipſum lucem mundi & patrem luminum vocitat, cuius ſancto dono ſeu ſpiritu igneo, qui Apoſtolis ſub forma ignis apparebat; lux mundana, id eſt igneus aquarum vigor primo creationis die

apparebat, ex cuius essentiali substantia secundum magis & minus cęteri cęli suas formas acceperunt. Atque hinc erat quod Democritus, Orpheus & multi Pythagoreorum, quoniam huius diuínæ naturæ virtutem omnibus creaturis inferioribus secundum plus minusve inesse percipiebant, omnia dijs plena esse opinati sunt, quibus diuinos statuebant honores; offerendo eis preces & sacrificia, ac cultu diuino illos venerando. Præterea omnes hos deos ad vnicum reducebant Iouem. Per quod planissimè significauerunt, omnes caloris, claritatis, vitæ, formarumque essentialium riuulos ab vnico igne supernaturali incrementum & multiplicationem adipisci. Et sicuti materiæ primæ facies fuerant tenebræ, sic ignis illius inuisibilis & increati prima facies qua creatis singulis innotuit, lux fuit. Hæc lux, ignis naturæ apud celebriores Philosophos nuncupabatur. Propterea sacer Philosophus *in sua Genesi* ignis mentionem non fecit, quia lucem quæ verus naturæ ignis est, primo die creatam dixerat; neque ignem naturæ principium omisisset, quum terræ, aquæ, & cæli volatilium meminerat. Hunc igneum spiritum in globo Solis posuit summus rerum Creator, vt lumen & calorem viuificum cæteris vniuersi corporibus inspiraret. Ab hoc vniuersali naturæ principio calor omnis insitus tam in elementa, quam mixta defluit, qui ignis nomen meruit. Vbicumque enim calor spontaneus, motus

naturalis, aut vita hospitatur, ibi suum ignem, tanquam eorum principium & primum Elementorum motorem, occultauit Natura, à quo etiam elementa sensibilia seu mundi nostri prouinciæ elementantur, & velut animantur. Huius primi agentis comites sunt calor naturæ, & lumen naturæ, quæ reipsa idem sunt, sed officio distincta: ab eodem enim fonte, igne nempe, iugiter, ac vniformiter fluunt. Caloris enim munus est ad interiora naturæ penetrare. Luminis vero exteriora patefacere. Caloris occultas naturas rerum mouere. Luminis accidentia sensibilia tantum oculis subijcere.

Ignis naturæ duplex est. Vniuersalis & particularis siue indiuiduus. Vniuersalis per omnes vniuersi partes vndique diffunditur, corporum cælestium propensiones ac virtutes suauiter excitat & mouet: globum hunc nostrum, rerum generationi destinatum, pullifico semine imprægnat & fouet, seminibus vires infundit, implicatas naturæ vires explicat, Elementa miscet, materiam informat, arcanum denique naturæ aperit. Fons autem eius est in Sole, qui tanquam cor, amorem suum in omnes plagas effundit.

Particularis vero ignis naturæ est cuilibet mixto & indiuiduo insitus & innatus, qui ab illo vniuersali tanquam riuulus emanat, omniaque in suo microcosmo analogicè, quæ Sol pater eius in macrocosmo operatur. Sed ad

lucis naturam redeamus, qua nihil clarius, nihil obſcurius in hoc orbe conſpici poteſt. Percunctare mentem quæ rectè cuncta metitur, nonne fortè lux eſt ipſe Deus? Reſpondebit Deum eſſe patrem luminum, eſſeque lucem in qua tenebræ inſunt nullæ, id eſt formam in qua nihil eſt informe. Deus certè ſicut mens quæ radius eius eſt, monſtrat lucem eſſe inuiſibilem, infinitam, veritatem ipſam, veritatiſque omnium rerum cauſam. Cuius ſplendor, imo potius vmbra eſt lux hæc, viſibilium cauſa, quoniam lucis veritatiſque natura eſt, vt cæteris veritatem declaret: lumen enim vniuſcuiuſque rei eſt ipſius rei veritas. Veritas enim eſt lumen internum, lumen vero veritas ſeſe ad extima fundens. Percunctare deinde rationem. Dicet eam eſſe lucem quandam rationalem, rationemque lucentem: ibi enim eſt ratio lucis, vbi omnium rationes. At in veritate ſumma, quæ & ipſa ſumma certitudo & claritas eſt, reperies veritatem lucis & claritatem. Siquidem idem eſt huius lucis, quam quæris claritas atque veritas. Quid denique lux in Deo? Immenſa ſuæ bonitatis veritatiſque exſuperantia. Quid in Angelis? intelligentiæ certitudo à Deo manans, profuſumque voluntatis gaudium. Quid in anima? copia vitæ & motus. Quid in igne? vitalis quidam vigor & efficax propagatio. Deinde in iis quæ ſenſu carent, effuſa cælitus gratia; in ſentientibus exhilaratio ipſius ſpiritus, ſenſuſque vigor; in

mixtis Sulphur inflammatum; in omnibus summatim intimæ fœcunditatis effusio, vbique diuinæ bonitatis veritatisque imago.

Sed quum sit hæc potius adumbratio quam definitio lucis, propius accedam. Cælum videtur in se luminosum & quasi fons luminis. Tamen ex se minimè, sed ex superiorum claritate & gaudio refulget, & gestit, sicut oculus ex spiritus claritate omniumque lætitia. Videtur autem hæc superior claritas esse mens refulgens per corpus perspicuum quasi vitrum, & inde iam facta visibilis. Mens autem lux, in se, ob animæ tenuitatem, penitus est inuisibilis. Siquidem lumen, etsi vbique interdiu sit, nusquam tamen apparet, nisi vbi est densum aliquid atque resistens. Subtrahe densitatem, est quidem lux, quamuis non videatur. Adde iterum densitatem, statim rursus apparebit. Hinc plane constat, lumen ipsum in se, esse intellectuale quiddam. Quod quidem mox sensibile fit, subdito nempe denso. Latebit vero eodem subducto. Sed quodammodo visibilem ex inuisibili luce emanare fingimus, quasi ex scintilla iam mota lucidum quendam circulum, aut geometricum punctum aliquod, quod quia æque respicit quamlibet loci partem, circundantis ipsum, si quando mouetur, per quamlibet mouetur in orbem, vnde quod erat punctum, circumferentia videtur euadere. Vbi sanè circumferentia est punctum circumcurrens euolutumque foras. Punctum ve-

ro eſt circumferentia ſtabili quodam cardine peruoluta.

Cogita rurſus ſcintillam quandam luminis inuiſibilis, quæ quoniam ſuper omnem exiſtit locum, æque in partem loci quamlibet ſeſe fundit, ac dum in gyrum mouetur, flammeus orbis efficitur. Orbis inquam oculis manifeſtus, vbi ſcintilla eſt flamma compreſſa, flamma eſt ſcintilla profuſa; & ſcintilla huiuſmodi anima eſt, flamma corpus æthereum. Et quanta eſt varietas in animabus, ratione lucis ſpiritalis, tanta eſt in propriis earum cæleſtibuſque corporibus viſibilis luminis varietas, eademq; anima quaſi lux eſſe videtur, quæ dum ſcintilla manet, ſentit quidem, ſed non ſentitur. Cum vero explicatur in flammam, ſentitur quidem iam, ſed ipſa nihil ſentit amplius. Et ſicut ſenſu careret quicumque flammam videns, ſcintillam ſe videre negaret; ita carebit anima, qui dum globos æthereos ſuſpicit quaſi quoſdam animarum circuitus, & animas ineſſe illis quaſi centra non ſenſerit. Quod ita ſignificauit Heraclitus.

Ἀυγὴ ξηρὴ, ψυχὴ σοφωτάτη.

Id eſt, *lux ſicca anima ſapientiſſima.* Hinc efficitur, vt nihil animo, aut gratius aut mirabilius ſit, quam lumen, neque poſſit alibi quam in lumine ſpiritus habitare dum colit terras.

Iam igitur vidimus animam, tanquam lucem inuiſibilem, viuificam, ſentientem, intelligentem, intelligibilem. Et viciſſim lux in

mente

mente est veritas gaudens, gaudiumque verum. Lumen à mente in corporibus, est quædam veritatis rerum sensibilium declaratio & flos, oblectatio sensus. Sed rectius lux est tanquam corporis circularis propria affectio, perpetuò reuertens ad idem, imò & intelligentiæ seipsam reflectentis in orbem, nimirum vbiq; tangens. Dum sursum reflectitur in seipsam, repetere videtur originem, nosque similiter contemplatione simul & amore sui reducit in patriam. Hæc in diuina mente intelligentiam supereminet. Inde Angelicæ menti lumen idem infusum, secundum intelligentiam redditur, sed super terminos rationis. Diuinum hoc Angelicumque lumen in mentibus hominum secundum rationem iam euadit, sed superat phantasiam. In spiritu autem secũdum phantasiam, sed super sensum. In corpore vero maximè oculis, quasi cælestibus animæ stellis, sensui iam familiare fit, sed non materiæ. At in quocumque sub cælo corpore præualet, igneus quidam vigor igni cælesti similis emicat, & inde lumen aut fulgur quidam, cui familiaris color. Congrega in vnum omne colorum genus. Quid erit hoc vniuersum, nisi lux quædam vel color siue lumen factum in solidiore obscurioreque materia terræ? Iam opacum segrega. Quid erit reliquum, nisi claritas, actusque perspicui, sicut color est actus opaci? Color quidem est lux opaca, lux autem color clarus, imperspicui corporis colorumque

flos quidam & vigor quasi vnicolor actu.

Sed quæritur, quid primo Deus creauerit potissimum. Respondet Moyses lucem. Merito enim ab ipsa luce plusquam intelligibili statim emanat lux omnium simillima, id est Angelicus intellectus. Deinde lux sensibilis in mundo corporeo, nempe Solaris ipsa lux. Sed hæc primo sui gradu tanquam die primo, idipsum simpliciter habet vt luceat intus, illuminetque foris. Secundo die, vt virtute calefactoria, tum ipsa polleat, tum cætera vegetet. Tertio die rursum, vt efficacia sua iussuque Dei seipsam propaget in molem. Quarto denique naturæ ordinisque gradu, quasi Die Quarto, vt molem suam ita sortiatur in orbem, quemadmodum Diuinæ intelligentiæ lux vnde emanant reflectenda in ipsam.

Claritas igitur cæli supernaturalis ex Creatoris ordinatione descendens, & deorsum in cœlum medium adhuc informe se profundens, sua præsentia, huius materiæ caliginem discussit, eaque versus regionem infimam adhuc inuisibilem propulsat: efficiens hac ratione eius substantiam visibilem, puram, subtilem, & tenuem. Et hæc est illa essentia lucida, quam veteres æthera; nos vero lucem tertianam vocare possumus, quia à prima radice per intellectuales mentes deriuatur. Denique hæc fuit illa essentia tertiana, quæ per triduum à mundi creatione vices luminis agens, quarto die, vt vult Dionysius, in substantiam Solis

tranſiit. Primo enim die produxit hanc lucem vniuerſi opifex, quaſi primum pullum, ipſamque diffudit à terra vſque ad cælum empyreum, quod ſpacium fuit aquis repletum. Nam dixit Deus primo die *fiat lux*, in aqua ſcilicet, *& facta eſt*. At quarto die dixit, *fiant luminaria*. Similiter Deus primo die dicitur diuiſiſſe lucem à tenebris. At quarto die dicuntur ipſa luminaria diuiſiſſe lucem à tenebris. Lux enim illa immediate à Deo producta fuit in tenuiori atomorum fluore, aqueam conſiſtentiam præſeferentium, tanquam in ſubiecto. Non quod extra ſe produceret radios, vt fuerunt in Sole, ſed quod in ſe ſuſciperet lumen à ſolo Deo immediatè productum. Hanc ipſam Mercurius Triſmegiſtus, *in ſacro ſuo ſermone*, ſplendorem ſanctum appellauit, quem in principio floruiſſe, & ſub arena & humida natura elementa deduxiſſe aſſerit. Quo quidem ſancto ſplendore informem materiæ ſinum formis illuſtrari voluit. Hæc igitur lux eſt ſubſtãtia vnica, eaq; incorporea, omnium tamen ſimpliciſſima, digniſſima & nobiliſſima; quæ in Angelis fuit infuſa quædam & ſplendens intelligentia, ſed diuerſis gradibus, ſecundum accipientium naturam ſuſcepta. Deſcẽdit deinceps ad cæleſtia, vbi in illis producit virtutem viuificam. In hominibus eſt lucidus rationis diſcurſus. In cæteris animalibus eſt ignis occultus, actiones vitæ & ſenſus manifeſtè gubernans. In vegetabilibus anima quædam lucida,

circa eorum centra delitescens, vegetationem & multiplicationem causans in infinitum. In mineralibus est scintilla splendoris. Neque credibile est, hanc lucem ætheream, fuisse omnino spiritualem, sed corpus spirituosum & sensibile. Nam sacræ literæ referunt, ante creationem eius lucis tenebras fuisse super faciem Abyssi. Sed illæ tenebræ erant materiales, corporeæ & sensibiles: quemadmodum lux qua expulsæ fuerunt, debuit esse corporea & sensibilis. Præterea radiorum lucis congregatio per speculum vstorium, arguit eos esse corporeos. Hoc etiam videtur Augustinus affirmare, asserens substantiam cæli esse lucidissimam, primumque ob luciditatem suam locum in corporibus possidere; & tamen nobis nocte non visibiliter lucere, sed inuisibiliter adesse, quatenus scilicet in se lucet. Atque hoc modo lux dicitur esse vbique, id est in quolibet loco & locato. In corporibus scilicet opacis & transparentibus inuisibiliter, & in superficie opacorum visibiliter, quemadmodum apparet in stellis & corporibus opacis inferioribus, stellarum reflexiones recipientibus. Ab huius lucis fonte supercælesti deriuatur proculdubio ignis ille inuisibilis Heracliti & Zoroastri, à quo cuncta esse genita docent. Cuius virtutem, licet inuisibilem, cuncta Animalia, omnesque sublunares creaturæ, imo & ipsum mare in suo fluxu & refluxu interdiu & noctu augescente, persentire videntur.

Huncignem,ob eius viuacitatem, actum simplicem vocant Philosophi, quo nihil est mobilius, & in suo motu velocius & potentius, nihil subtilius, penetrantius, nihil vtilius, aut virtute plenius, nihil pulchrius, aut in essentia sua vniformius.

Sed vt à sublimibus illis speculationibus ad infima sensibilia accedamus, primoque à visu, quid sit lux, lumen & splendor inquiramus. Visum si percontemur, quia sensibilis est lux tantum à sensibilibus recipiens dansque splendorem: respõdebit subito. Splendidus ego sum spiritus, aut splendor spiritalis, in corpore aliquo sulphureo tanquam visibili inclusus. Visibile enim est perfectissimum sensibilium, sicut & visus sensuum, quia à multitudine ad vnum redigitur, quod non faciunt cæteri sensus. Visus enim omnes iudicat per vnum visum, & visibilia omnia per primum visibile, id est lumen, visibilia sunt. Quoniam quæ apud inferiora sunt disiuncta, in superioribus vnita sunt.

Inde coniectare possumus, idem esse primum visibile primumque visum, id est lumen. Hinc Orpheus oculum Mundi Solem vocat. Proinde sicut ab ipso vniuersalis vita per cuncta diffunditur absque vlla illius vitæ iactura, similiter per cuncta diffunditur. Inde lumen ex ipsa omnium vita, omnium fit viuificum. Atque hic est mirabilis ordo in ipso, visualiumque genere, vt à multitudine redigan-

tur in vnum à quo antea proceſſerunt.

Ex prædictis colligimus, ſub lumine eſſe luminoſa, atque luminalia. Primum luminoſum eſt cæleſte. Secundum ignis. Tertium inter compoſita, quod quaſi fulget vt ignis. Primum luminale eſt oculus, præcipuè in illis qui noctu vident. Secundum eſt color. Tertium eſt diaphanum aut tranſpicuum, quod eſt quędam quaſi luminis inchoatio. Neque putandum eſt, totum hoc lumen ampliſſimum originem primam ab exiguo Solis corpore ducere, ſed ab ipſo bono, qui eſt pater luminum, in quo quicquid luminis eſt, ſuperintelligibile eſt. Sed inde in Angelicum intellectum mox deſcendens, intelligibile iam euadit: deinceps in Animæ mundanæ mentem veniens, intellectuale euadit: & inſuper imaginabile in cælum tranſiens, ſenſuale fit atque ſenſibile. Nunc ad inferiora demiſſum, iam quaſi diuiditur, & alicubi iam ſenſuale fit, id eſt in oculis animantium; aliquando vero ſenſibile, id eſt in obiectis. In paucis autem vtrumque ſeruat, & his noctu videntibus. Præterea in aliquibus lux facile oculis percipitur, vt in elementatis, quorum complexio conſtat ex elementis. Lux in cælo quamuis amplior, difficilius tamen adſpicitur: qualitas enim oculorum remotior eſt à cælo. Lux in anima nullo pacto videtur, ſicut nec lux Solis à noctua, quia nimia eſt, nec ad eam ſenſus corporeus vllam habet proportionem, ſed rationalis animæ,

diſcurſu intelligitur. Lux in Angelo neque videtur, neque intelligitur: eſt enim omnino ſupra ſenſus proportionem, verumtamen intelligitur aut creditur potius & amatur.

Dicimus ergo paucis, cælum eſſe lucem quandam abſque materia, quodammodo corpoream: Animam lucem ſine quantitate magnam: Angelum eſſe lucem ſine motu celerrimam: Deum lucem eſſe potentiſſimam.

Differt inuiſibilis lux à viſibili. Viſibilis tam in igne, quàm cælo extrinſecus veniens illuminat prius quam calefaciat. Inuiſibilis intrinſecus agens calefacit antequam illuminet. In vna à viſu ad tactum, in altera à tactu ad viſum progreditur.

Hæc autem ſic ſeſe habere docebit non tantum intuitus ſimplex, ſed & ordinaria rerum rudis compoſitio, atque diſtinctio, iuxta dimanationem à diuino ſpiritu, Elementa omnia rerumque principia connectente. Vnde perpetua virtus ratione perſpicui, opaci, æquabilis & aſperi, & per conſequens calidi, humidi, frigidi & ſicci. Vnde demum ex ante conceptis dicam, ignem eſſe lucem in igne intellectuali & æthereo degentem.

Lucem eſſe apparentiam quandam viſibilem formæ cæleſtis in materia cæleſti & concreta maximè.

Splendorem apparentiam formæ æthereæ in materia ætherea, à lucis cæleſtis radij continuatione pendentem.

Lumen esse apparentiam visibilem formæ elementaris in materia elementari.

Colorem apparentiam visibilem formæ compositionis in rebus mixtis elementa habentibus.

DE TRIBVS PRINcipijs seu Elementis essentialibus & hypostaticis Chymicorum in genere.

Nempe Sale, Sulphure, & Mercurio, & eorum cum vulgaribus Elementis differentia.

CAPVT XVII.

QVVM corpora omnium indiuiduorum ab Elementorum matricibus eductorum composita esse animaduerterent Chymici. Quæsitum est diu, quæ sit natura & proprietas, principiorumque differentia, ex quibus proprie componuntur. Nonnulli sensuum authoritate contenti, horum elementorum discrimina, proprietates, & officia in singulis corporibus deprehēderunt, à quorum mix-

tione & congressu omnium corporum proprietates & differentias deduxere. Nec dubium est, quin in corporibus vniuersis quatuor elementorum vulgarium rudimenta conspiciantur. Alij tamen Hermetis Discipuli corporum artificiosa separatione quatuor hæc Elementa manifestius conspexerunt, simulque alia elementa à Chymicis principia dicta, potentiora, naturas rerum magis explicantia, magna vtilitate introduxerunt.

Tria sunt illa, in quibus facultates vniuscuiusque principij manifestè vigent, nominibus specierum ornata; Liquores, Mercurij: Oleosa, Sulphuris: Sapida, Salis. Et hæc tria principia Sal, Sulphur, & Mercurius cum elementis vulgaribus corpora vniuersa constituunt.

Caue autem ne arbitreris eos Sal commune, Sulphur & Mercurium vulgi intelligere: Ex illis quippe nullum corpus constituitur, quum sint indiuidua in suo genere absoluta. Vnumquodque etenim horum tria pariter in se principia continet. Habet namque Sal commune in se Sulphur vel oleum, Mercurium, siue liquorem, & adhuc substantiam quandam solidam & fixam Salis naturæ propinquissimam. Similiter vulgare Sulphur continet oleum, liquorem, & Salem. Sed hisce nominibus insigniuntur, quia differentias substantiarum, ex quibus vniuersa corpora conficiuntur, proprietatesque & conditiones in nullis totius naturæ speciebus magis expres-

ſas animaduerterunt, quam in ijs. Placuit igitur ex ijſdem appellationes mutuari; idque Philoſophica authoritate. Si nempe alijs concedatur, figurarum & colorum externa ſimilitudine, nomina rebus imponere. Qua inſcitia eos accuſabimus, qui actionum & proprietatum ab eſſentia immediatè fluentium, conſonantiam imitati, eiuſdem familiæ rebus eaſdem appellationes accommodarunt? Nec Paracelſus primus hæc principia introduxit, vt multi perperam arbitrantur. Multi Philoſophorum ante Paracelſum principia prædicta indicauerant, proprietates, officia, & differentias copiosè obſeruarant, quamuis nominum varietate, copia & inſtabili viciſſitudine ambiguitatem contēplationibus obduxerant. Hinc Paracelſus dum corpora omnia conſtare dicit ex Sale, Sulphure & Mercurio, non contradicit Ariſtoteli; qui rerum principia ſtatuit, materiam, formam, & priuationem. Nec Platoni, ſtatuenti Deum exemplar, & materiam. Ipſis nempe concedimus ſua principia, quæ quidem ſunt notionum principia, intellectui potius, quam ſenſui perceptibilia. Nec tamen à noſtris illa neceſſario deſtruuntur, cum ſint earum rerum principia, ex quibus proximè res omnes mixtæ componuntur, & conſtant.

Hâc igitur ingreſſi, corpora omnia inferioris globi, in tres ordines diſtinguimus, in Vegetabilia, Animalia, & Mineralia. Indiuidua deinceps horum ordinum examinanda

erunt diligenter. Ita inueniemus in omnibus ordinibus illuſtres trium principiorum aut elementorum eſſentialium differentias. Eſt nempe in rerum familia, Sal animale, Sulphur animale, Mercurius animalis: eſt Sal vegetabile, Mercurius vegetabilis, Sulphur vegetabile: eſt Sal minerale, Sulphur minerale, Mercurius mineralis. Ita ex animalium excrementis vrinæ potiſſimùm, Sal illud nitri educimus, Sal quoque Armoniacum.

Sulphuris rurſus proprietates, conditiones, & differentias multas in pinguedinibus, medullis, & adipibus inueniemus. Salis alkali originem ex vegetabilibus deriuatam dicimus, plurimaque herbarum Salia, leui artis miniſterio educimus. Reſinæ, olea, gummata, & pinguia omnia, quot & quantas differentias Sulphuris nobis oſtendunt? Suntque herbæ, quæ abſque præparatione Salis naturam imitantur, vt chelidonium, flammula, perſicaria. Aliæ vero Sulphuris, vt viſcoſæ & pingues herbæ, quales conſolidæ. Aliæ Mercurij, vt horariæ & fugaces herbæ, melones, & fungi.

Genus mineralium quod attinet, tot Salium, Sulphurum, & Mercuriorum ſpecies recenſere vanum eſſet: cum in nullo ordine manifeſtius deprehendantur. Tot nempe proprietates & differentiæ trium principiorum in hac familia tam clare explicantur, vt nominis prærogatiuam iure Philoſophico cæteris ordinibus præripuerint. Ab elementis autem

communibus distinguuntur. Illorum nempe officia communiora, sicut & materiæ rationem magis obtinent. Hæc vero proprietatibus & actionibus destinata, mirabili facultatum proprietate vigent. Nihilominus indissolubili nexu ita elementis corporum illa principia cohærent, vt naturæ legibus nunquam, imo vix vlla artis industria separari possint.

Quia vero constãtiam & soliditatem requirebant corpora, in mundanam scenam preditura, principio tali opus erat, quod coagulationi corporum opportunam soliditatem tribuere posset. Hoc Sali officium contigit, cuius beneficio crystalli congelatio, metallorum robur, adamantis durities, ossium, carnium, arteriarum, viscerum, arborum, herbarum, consistentiæ absoluuntur. Alij elementorum frigiditatibus & caloribus, multa in vanum molientes, huiusmodi officia temerè concesserunt: Salis enim est illa proprietas, virtus, donum, scientia, non frigoris & caliditatis. Salium nempe inuestigantes anatomiam, coagulationum differentias deprehendimus. Frigiditatis namq; anatomia sterilis est. Porro nisi plura fuissent corporum principia coniuncta soliditate, & concreta Salium proprietate ligata, spiritus mechanici actionum principes, officiorum iniusta paterentur dispendia. Idcirco adiunxit natura aliud principium, quod copiosa, pingui viscosaque substantia, salis propositam congelationem benigna mixtione

temperaret. Et Sulphuris id fuit officium. Adhuc desiderabatur aliud: quod assidua irrigatione duo priora, actionum frequentia ad siccitatem & senium in horas festinantia, foueret, fluidamque substantiam & mixtionem ad omnem facilem redderet. Hac necessitate adiunctus est Sali & Sulphuri Mercurius.

Et quoniam non solum ex tribus principiis, sed etiam ex quatuor elementis vulgaribus, omnis mixtio perficitur: operæ pretium erit de analogia principiorum & elementorum aliquid disserere.

Primo ergo sciendum est vniuersi Architectum creasse aquas, quibus terram adiunxit: in quibus vt sensibilibus & crassis imposuit virtute verbi sui, ignem, & aërem, quasi elementa subtiliora & rariora & ad naturam incorpoream magis accedentia. Horum elementorum duo sunt fixa, duo volatilia; duo fixa, scilicet terra, & ignis: duo volatilia sunt aër & aqua. Et in vnoquoque horum elementorum consideratur natura simplex & elementans, natura composita & elementata. Quo pacto duæ sunt species aquæ. Vna pura, intrinseca, & elementans, quæ sensibus nostris non se offert, neque subijcitur manui artificis. Altera species extrinseca, composita & elementata, qua nos vtimur. Est itidem terra duplex. Vna composita, crassa, fæculenta, & elementata, continens in se aliam puram, crystallinam & elementantem. Est similiter ignis

consumens & elementatus: alter viuificans & elementans. Est etiam aër purus elementans, comprehensus in alio corruptibili & elementato. Est etiam Sulphur corruptibile, & elementatum, aliud cæleste & elementans. Itidem est Sal elementatum, continens in se Salem elementantem. Mercurius etiam elementans & elementatus. Horum etiam principiorum seu elementorum essentialium vnum est volatile, nempe Sulphur; alterum vero fixum, nempe Sal; tertium vero vtriusque particeps. Itaque summatim colligendo inuenientur tria elementa volatilia, & tria fixa. Volatilia, nempe oleum, aër, & aqua. Fixa, nempe Sal, terra & ignis. Vtriusque vero vt participatum, & Medicum Mercurius.

Restat iam probandum per manualem operationem, hæc ita se habere. Et primo quod attinet ad tria fixa: hac posita hypothesi, quod illud dicitur esse fixum, quod sustinet violentiam ignis, & quod non eleuatur cum igne; illud volatile, quod effugit primo ignis attactu; Hoc iacto fundamento, constat, salem, ignem, & terram esse elementa fixa. Et primo quod attinet ad ignem, pellit omnia, & ipse non pellitur, nisi à se ipso. Sal remanet in cineribus, nec ab igne pellitur. Terra quæ fixa est sustinet etiam ignem, neque auolat. Ex quibus post ignem fixissima est arena, per Salis, vt elementi sui intrinseci & masculi, actum, vitri naturam ad ignis commune exemplar assu-

mens. Vnumquodque enim elementum purificatur per illud quod sibi est maximè intrinsecum.

Mercurius autem modo volatilis, modo fixus: cum inferioribus fixus, cum superioribus volatilis. Neque proprie potest dici elementum, sed potius elementorum embryo, fixorum & volatilium exemplar. Saporem enim præbet Sali, igni actum & penetrationem, terræ fixitatem. Sulphuri inflammabilitatem, aëri leuitatem, aquæ humiditatem, vt commune exemplar, impertit. Si quis obiecerit, propriam esse Sulphuris inflammabilitatem: Respondeo inflammabilitatem esse propriam Sulphuris secundario, primario vero & exemplariter Mercurij. Quod hac instantia ostendam. Sume salem tartari, aut salem corallorum. Superaffunde acetum distillatum per plures vices: (Nullus vnquam dixerit in aceto esse inflammabilitatem, cum pertineat ad mercuriale principium: nullus itidèm in sale, cum in calcinatione, oleaginosa pars tota consumpta fuerit) & euapora menstruum ad siccitatem. Pone postea in retorta, & pelle spiritus aceti igne forti, & ipsos reperies inflammabiles. Qua operatione deprehendimus esse in Mercurio exemplar Sulphuris, in Sulphure vero esse secundario & vt in exemplato.

Nunc autem restat, vt dicamus, qua ratione ista principia differant, & quæ sint singulorum in constitutione rerum singularium officia.

Principia ab initio seu elementa essentialia, sunt corpora quædam, quæ particulares naturas in prima creatione ab elementis vulgaribus per illorum actiuam naturam obtinuerunt: quæ cum inter se, tum cum elementis vario modo mixta, omnibus rebus naturalibus generationi & corruptioni obnoxijs, vegetabilibus nempe, animalibus & mineralibus, dant conuenientem formam. Ordo autem est, vt in rebus naturalibus inferiora superioribus inseruiant, & superiora inferiora foueant. Et sicut in animatis ab anima vegetante ad sentientem, hinc ad varias brutorum, tandem ad animam rationalem, tanquam ad summum gradum fit progressus, & anima rationalis omnium animantium inferiorum causas complectitur; ita idem fit in corporibus. Est quinta essentia seu quintum elementum cœli verorumque entium imaginibus ditata; diciturque quinta, non quod subsequatur elementa, vt proximè ad constituendum corpus mixtum ordinata, sed quod ex se se promat phænomena prima elementorum, ex trium verorum entium cum materia coitu prodeuntium, & quinto ordine inde promanantium, sed primum ordinem ratione elementorum inde progredientium obtinens. Vnde rectè à Philosophis elementorum embryo, quinta essentia, quintum elementum nominatur, in quo reliquorum elementorum numerus, ordo, natura & dispensatio continetur, progressus itidem

dem & exspatiatio futurorum elementorum ex vitalibus abyssis in sensibilem & corpoream molem explicatur. Quorum ordo in eo consistit, vt incorporea corporeis, ordine compositionis; corporea incorporeis, resolutionis procedant. Numerus autem, vt sit debita elementorum multitudo tenenda, ad constituendam corporis mixti symmetriam, & si vitale spiritale, & spiritale corporeum hoc ordine præcedit, æquo iure, talia elementa vitalia, spiritalia & corporea erunt constituenda, vnum vitale, quod vitam à superioribus haustam, alijs inferioribus elementis plus minusve impertiat. Spiritalia duo vndique ex hoc vitali elemento fluentia, nobilitate tamen & ignobilitate quatenus ab origine processerunt discrepantia, horum enim duorum, vnum fit per elementi huius vitalis motum à circumferentiâ ad centrum, vnde fiunt spiritalia fixa, quæ vitam in centro fixissimam obtinuerunt, alterum verò quæ per motum vitalis huius elementi à centro ad circumferentiam spiritalia volatilia conficit, ambo tamen ad naturam corpoream festinantia. Quorum duorum proximum exemplar est Mercurius, fixissimus vero ignis eius exẽplatum, & actiuum, volatilis vero aër & passiuum. Et queadmodum hæc duo ab vnitate in binarium labentia, à parentum præstantia & dignitate multum defecêre, sic corporea elementa inde futura, à perfectissimis ad imperfectiora & imperfectissima de-

fluere cœpêre, dum loca, matrices, inuolucra & domicilia, duobus his spiritalibus, vitali elemento fœcundatis, corporea præbuêre.

Horum autem corporum ab vno vitali & duobus spiritalibus fluentium, vnum erit cœleste & actiuum Sal, alterum passiuum Arena; ambo fixa & ad fixissimi ignis exemplar fabricata. Sal minoris compositionis vt à paucioribus exemplaribus cōstructum. Arena maioris, quia passiua, quæ vltra communia exempla, ad exemplar etiam actiuorum componitur.

Horum autem corporeorum elementorum vnum erit cœleste & actiuum, Sulphur; alterum materiale & passiuum, Aqua. Ambo volatilia & ad volatiiissimi aëris exēplum fabricata. Sulphur minoris compositionis sui ordinis, Aqua majoris propter supradictas rationes. Sui ordinis dico, quia vltra communia exempla fixa sunt omnium volatilium exempla.

Erunt igitur summatim colligendo septem elementa, vnum vitale & embryonatum, vitam reliquis impertiens, ad cuius imaginem duo sunt spiritalia, vnum fixum & actiuum nempe ignis, alterum volatile & passiuum aër.

Quatuor corporea, duo fixa vnum cæleste & actiuum & simplicis compositionis Sal, alterum materiale passiuum & majoris compositionis Arena, duo itidem volatilia vnum cæleste actiuum & minoris compositionis Sulphur, alterum materiale passiuum & majoris compositionis Aqua, duo corporea & cœlestia,

Sal & Sulphur, duo corporea materialia Terra & Aqua.

Differentiæ autem horum corporum variæ sunt, quæ tamen ad quatuor gradus referri possunt. Prima ex elementorum vulgarium ordinibus deducitur. Alia nempe sunt aërea, alia terrestria, alia aquea, alia cælestia, quæ penetratione, agendi nobilitate & potestate multum differunt. Cælestium vero duo erunt incorporea, Ignis & Aër, duo corporea, sed actiua, Sal ex fixis, Sulphur ex volatilibus.

Secundo alia corpora elementorum vulgarium proprietatibus magis insignita, alia seminum, quæ elementorum proprietatibus magis insigniuntur, ea sunt in quibus nulla δύναμις interna latet, saltem frigiditates, caliditates, sterilitates, humiditates, siccitates, leuitates, grauitates, in quibus nulla est impressio fœcunda, sed sine sapore, colore, odore, deprehenduntur. Tria vero quæ seminum proprietates imitantur, harum impressiones sunt fœcũdæ & tincturam post se relinquunt constantem. In his saporum, odorum, & qualitatum omnium vitalium vestigia deprehenduntur: & quamuis concurrant caliditates, & frigiditates, ab ipsis tamen actiones non procedunt.

Quartò alia sunt exordiis suis viciniora, alia longius processere. Viciniora, ob naturæ similitudinem, cælestia, spiritalia, vitalia, valida, vegetaque appellantur; alia terrestria, crassa, mortua, & inualida. Sed vt exactius singula

oculis tuis obijciantur, accipe communiorem omnium elementorum distinctionem.

Rerum omnium naturalium aliud est influens, aliud recipiens, exemplar, & exemplatum. Influens est cælum, vel æther. Recipiens vel exemplatum terra & aqua dici potest; & sunt vel elementum, vel elementatum.

Elementum est minima pars elementati.

Elementa sunt numero septem, in duos distincta ordines, in volatilium, fixorum & Mercurij ambigui. Fixorum, Terra, Sal & Ignis. Volatilium oleum seu Sulphur, Aqua, Aër, quorum vinculum est Mercurius.

Præterea horum tria sunt inuisibilia & exemplaria, quatuor visibilia. Inuisibilia Ignis, Aër & Mercurius. Visibisia Sal, Terra, Sulphur, Aqua.

Visibilia sunt impura, & sunt matrices inuisibilium. Visibilia sunt elementata, inuisibilia vero elementantia. Et sicut anima in corpore, sic elemenea in elementatis. Elementatum enim nihil aliud est, quam corpus tenebricosum & mortuum elementi, qui spiritus & vita est. Hic spiritus in astra seu semina diuiditur, qui suos fructus edunt. Spiritus hic excreuit elementorum corpora. Hoc est ex eleméto seu spiritu Terræ, Salis, Aquæ & Olei prodiit corpus Terræ, Salis, Aquæ & Olei, ex quibus proueniunt mixta, & ex his fructus mediantibus astris. Nam quod visibile est, hoc non à se, sed à suo inuisibili astro habet.

Astrum est virtus & potentia rei.

Astrum duplex est, externum & internum. Astra externa sunt stellæ firmamenti. Astra interna sunt occulti spiritus: nam quodlibet crescens & viuens fert suum proprium cælum & astrum intra se. Superiora excitant inferiora, per pluuias, tonitrua, tempestates, & similia. Neque influit astrum superius in inferius, vt necessitet, sed vt inclinet & conseruet. Homo enim non regitur ab externis, sed ab interno astro, quod est quasi faber occultus in homine. Hoc patet in morborum iudicationibus, in affectibus podagricis, epilepticis, mensibus mulierum, conchyliis, peste, satione, plantatione, & plantarum diuerso ortu. Helleborus enim mense Decembri efflorescit, dum reliquæ occultantur. Huius generis infinita sunt, de quibus dubitare esset communi sensui repugnare.

Corporale crescit è spiritali, spiritale se propagat per corporale. Nam videmus in elementis duo esse simul in vno, corpus & astrum, visibile & inuisibile, fixum & volatile. Hoc modo Vegetabilia, Mineralia, & Animalia possunt sese augmentare mediante corpore. Ex quibus patet elementata non ex quatuor visibilibus elementis, sed ex inuisibili semine oriri, quod astrum vocamus.

Elementa seu astra ἄποια sunt. Nam neque frigida, humida, calida, sicca, salsa, elementa sunt, sed elementata ab ipsis producta. Sunt enim fructus inuisibilium astrorum, quæ sunt

in aſtris viſibilibus. Nam formatio rerum in aſtri poteſtate eſt. Omnia enim creata corpora ſpiritu ſydereo ſunt prædita, qui vocatur cælum ſeu aſtrum, faber occultus, & archæus, à quo omnis rerum procedit formatio, figura & color. Hoc internum aſtrum vocatur à Paracelſo *in libro Param*, ens ſeminis & virtutis, quod ſemen in grano tritici dicitur milleſima eius pars. Ego vero aſſero eſſe atomorum vnam, animatam mixti aſtro.

Neque hæc doctrina fuit antiquis omnino incognita. Nam principia quædam propria, & proxima, quibus res naturales conſtituuntur, aluntur, variè afficiuntur, admiſerunt. Hippocrates *lib. de humana natura, text.* 20. plantas non ſolum humidum, calidum, frigidum & ſiccum, aut quid ex iis vt ſimpliciter mixtum, attrahere ſcribit, ſed aliquid vltra. *Quæ creſcunt & ſeruntur quando in terram veniunt, attrahit vnumquodque quod ſecundum naturam ſibi familiare in terra ineſt. Eſt autem acerbum, & amarum, & dulce, & ſalſum, & omnis generis*, quas δυνάμεις appellat. Et quamuis apud eos non exiſtant talia principiorum nomina, nihilominus res ipſa exſtare videtur. Vocent oleum pinguedinem aut Sulphur, perinde eſt, modò concedant dari quaſdam ſubſtantias, è quibus odorum, ſaporum, colorum, figurarum, & ſimilium cauſæ proximæ reddi poſſint, quæ ex ſolis elementis prouenire minime poſſunt. Et hactenus de principiis in genere.

DE PRINCIPIIS seu elementis in specie, & primò de Sale.

CAPVT XVIII.

INTER principia Salem primum ordinem obtinere videmus, ita vt Plinius *libro 3. hist. naturalis cap.7.* Salem elementum fuisse necessario dixerit. In omnibus nempe rebus facile deprehenditur, nec solum adustione, sed etiam sine ipsa à rebus separari potest. Sic autem describitur; *Est elementum corporeum, sensibile & permanens, minoris compositionis, facultatis animæ obstetricis, spiritusque illius syderei & occulti propago, Mercurio aut Auræ vt remotiori, Igni vt proximo exemplari, per imaginem & inuolucrum correspondens: productum ex inæquabilitate motus spirituum in materiam atomorum asperam & caliginosam, & à circumferentia ad medium agitatam, vnde exsurgit eius natura opaca, grauis, fixa, permanens, mordicans, acris, incidens, subtilis, penetratiua, pura, nitida, fragrans, incombustibilis, incorruptibilis, dissolubilis in humido, liquabilis tamen & per fortem ignis expreßionem fluida, principium præterea omnis humiditatis liquabilis, vnctuosæ & inconsumptibilis; mirabilibus præterea*

potestatibus præditum, coagulandi, dissoluendi, detergendi, à putredine conseruandi, calefaciendi & similia agendi vim habens.

Voco elementum *corporeum & sensibile*, quia per corporeitatem suam sensibus propemodum omnibus obuium est; *minoris compositionis*, quia corporeorum elementorum quædam componuntur ex paucioribus; alia ex pluribus rerum exemplaribus, vt demonstratum fuit *propositione 8. Cap. 6.* Proximum autem Salis exemplar est ignis, remotius verò, Mercurius siue aura, qui & rectè elementorum embryo nominari potest. *Facultatis animæ obstetricis*, quia iuxta obstetricem facultatem animæ in anima seu à se promanante forma vel spiritu imprimitur in materia corporeum quid & sensile salis nostri vulgaris, eiusq; quæ in omnibus mixtis reperitur facultatem per analogiam repræsentans. Dico per *imaginem & inuolucrum*, quia Elementa corporea sunt inuolucra & imagines incorporeorum; *productum ex inæquabilitate*, quia, vt supra dictum est, in capite de actu & viribus animæ agentis in materiam, spiritus qui est animæ proximum instrumentum agit in materiam atomorum *capite duodecimo demonstratum*, vel per æquabilitatem motus, vnde fiunt corpora æquabilia, lenia & mollia; vel per inæquabilitatem, & fiunt corpora aspera & dura. Est elemētum fixum & graue, quia propter constantē suam permanentiā & fixitatem manet quasi

in silentio & requie æterna & immobili, agitque non sicut composita cum deperditione suæ substantiæ, proinde non immerito Homerus Sali θεῖον diuinitatis titulum attribuit. Qua ratione ducti veteres in Paganismo mensam absque salino profanam statuebant, vt vult Arnobius, *sacras, ait, facitis mensas salinorum appositu*: Nam propter solum Salem, salina inter sacra vasa ponebantur, vt est in Titi Liuij 26. *Vt salinum pateramque Deorum causa habeant.* Sed quanta fuerit salis apud Iudæos majestas in veteri testamento 2. Leuitici legimus, *Omnem autem oblationem muneris tui sale salito, neque cessare finito salem fœderis Dei tui à munere tuo, cum omni oblatione tua offerto salem.* Item 18. Numerorum, *Omnes oblationes rerum sanctarum quas offerent filij Israëlis Iehouæ, do tibi & filijs tuis & filiabus tuis tecum in statutum perpetuum: fœdus salis perpetuum est coram Iehoua pro te & pro semine tuo tecum.* Præterea cap. 13. Paralip. repetit adhuc fœdus salis in stabilitione regni Israëlitarum Dauidi, eiusque soboli masculæ in seculum. Quod stabilimenti & permanentiæ genus ad Gallos à gente Israëlitica proximè dimanasse credimus. Lege enim salis, hoc est, æterna & irreuocabili apud ipsos sancitum est, ne quis è regia prosapia nisi masculus & è mascula stirpe deriuatus ad coronam & regni Gallici moderamen ascendat. Hancque legem Salicam vulgo appellant, origine & nomine à Sale deductam.

Quod enim ad originem attinet, certe illa nulla est, præterquam quæ per fœdus salis à Iehoua in ipsam Dauidis familiam ipsiusque filios super regnum Israëlitarum in perpetuum elargiebatur. Propter quod quidem fœdus (cogente sæpe præuaricatione filiorum Dauidis) potuit reuocare, noluit tamen, sed fecit sicut dixerat, dando ei & filijs eius lucernam omnibus diebus protractam & ad Messiam & Saluatorem nostrum filium Dauidis, omnium regnorum caput & exemplar, & vt eum vocat Apostolus, Anguli, quasi legis Salicæ immutabilem lapidem. Transmissio autem coronæ Israëliticæ ad Dauidem & eius filios, reperitur 13. Chronicorum, vbi agitur de verbis Abigæ ad Ierobham & populum Israëliticum de lege Salica sub pacto ipsis tradita, sic autem sonant verba, *Tunc surgens Abiga è summo monte Tzemaraiimorum qui est in montanis Ephraiimi, dixit, Audite me* Ierobham *& totus* I*srael. An non vestrum erat agnoscere* Iehouam *Deum* I*sraelis tradidisse regnum Dauidi super* I*sraelem in seculum, ipsi & filiis eius fœdere salis?* Origo vero nominis non minus est manifesta. Nam Galli ex Franconia, quæ est Germaniæ Prouincia, oriundi, sicut legem etiam & legis nomen inde transtulerunt. Vocabulum enim Latinum, Sal, Germanicè ad verbum redditur, SALT, cui si addideris vocabulum vetus similitudinis LIK vel LYK, componetur vocabulum SALAK, illius pro-

mulgatæ legis nomen. Sed redeamus ad Salem, qui iuxta Iudæos semper sumebatur pro firmissima stabilitate: ob quam rationem omnibus legis sacrificiis apponebatur, tanquam signum firmitatis & constantiæ, fœderisque reciproci inter ipsos & Iehouam. Rabbi Salomon super loca prædicta alijque Rabini de fœdere salis asserunt, Salem causam esse durationis rerum omnium conferreque substantiam quæ à putredine conseruat: & iuxta hoc, de lege sermonem habens, ait legem saporem suauissimum rebus omnibus impertire, quocirca dicitur fœdus & pactum æternum salis eo quod cuncta condimento legis opus habeant, iuxta textum, *Ne cesset, inquam, sal fœderis Dei vestri.* Neque vnquam in sinistram sumitur partem, quanquam plurimi prauo sensu imbuti, sationem salis supra diruta ædificia, ex maledictione sterilitatem certissimam portendere censerent, sed falluntur. Sal enim nunquam propter sterilitatem, sed in signum perpetuæ & irreuocabilis maledictionis, quasi edicti sacramentum sternitur. Stabile ergo, immobile & æternum est sal imitans animæ vnde effluxerat indolem. Sal præterea est prima origo Vegetabilium, Animalium & Mineralium, & è mineralium familia similiter metallorum, marchasitarum & lapidum, imo & in genere omnium mixtorum, cum in salem omnia resoluantur. Itaque videtur esse quasi omnium vita. Nam sicut est in Prouerbio, Sole & Sale

omnia conseruantur, absque quo secundùm Philosophum Moriennum, natura nihil elaborare potest; & sicut ait Raymundus Lullius in testamento, nihil sine eo generari potest. Consentire ergo videntur in hoc omnes Philosophi, nihil hic infra melius nec preciosius sale fuisse creatum, de quo Plinius *libro 31. cap. 7. Vita humana* (inquit) *sale carere nequit*: Immo, tam necessarium est elementum, vt non immeritò ad delitias animæ translata sit eius nominis significatio: Nam in plurali exprimitur sub nomine salium: omnis enim in mundo humanitas, comitas, affabilitas, gratia, elegantia, decor, hilaritas & totius vitæ humanæ dulcedo & suauitas, quæ sunt quædam quasi laborum requies, ab hoc solo vocabulo dependent; quod etiam ad Belli munia, honores, dignitates & præmia refertur, vt salarij vocabulum, quod absque dubio à sale mutuatur, quasi esset res omnium vtilissima, ita vt inter nationes quasdam loco monetæ regiæ percurrat. Aliqui etiam gratiarum nomine appellant, quia saporosos & gustu blandos reddit cibos per quem condiuntur. Immo Apostolus ad Coloss. cap. 4. ὁ λόγος ὑμῶν πάντοτε ἐν χάριτι ἅλατι ἠρτυμένος, *Verba vestra sint semper condita sale cum decoro & gratia*: Et Plato in Timæo vltra commoditatem insignem quæ ex eo contrahitur in vitæ & corporis vsu, ait, *Diis sacratum fuisse iuxta tenorem & formulam legis appellando*

θεοφιλέσωμα, hoc est, substantiam Diis gratam. Quod autem sal sit incorruptibile, immo & omnium corruptibilium præseruatiuum, hoc satis superque demonstratum fuit. Est igitur quasi secunda anima, quæ quamdiu est in corpore, ipsum à putrefactione præseruat iuxta illud Plinij & Stoicorum dicentium carnem porcinam esse quasi mortuam per se, nisi anima ipsi data fuisset loco Salis. Nam Sal talem habet proprietatem, vt veluti fermenta omnia ipsi admixta in eius naturam tandem conuertat, modo penetrare possit absumendo superfluam humiditatem.

Hunc salem Raymundus Lullius vocat humorem vrinalem, & Paracelsus Mumiam, quia dulce omne & insipidum quod in corporibus reperitur à putrefactione præseruat. Eadem ratione conseruatur aqua marina à putredine propter salis præsentiam. Rabbi Ioseph libro portarum Iustitiæ, asserit salem esse legis fundamentum, quod contrahit fœdus; ita regnum domus Dauidis vocatur fœdus salis. Hinc inde Romanorum maxima pars mutuata est ceremonias à traditionibus similibus Iudaïcis, quum maxime in sacris intelligatur authoritas Salis, quando nulla conficiuntur sine mola salsa, cum Sal sit symbolum fœderis inter Deum & populum suum, nam sæpe sumitur in sacris pro sapientia, vt est in baptismi ceremonijs (Accipe sal sapientiæ.)

Sumitur etiam pro vera doctrina Apostо-

lica, imo & pro lumine Euangelij, nam dixit Saluator Apostolis, vt est Matthæi 5. *Vos estis sal terræ*, & alio in loco, nominatur lumen mundi. Et Marci cap. 9. *Omnis homo igne salietur & omnis victima salietur Sale. Bona res Sal est, sed si saporem amiserit, cum quo condietur? Habete igitur Salem in vobis & estote in pace.* Ex quibus manifestum est salem habere cum igne proportionem insignem, & si symbolum est sapientiæ vt supra dictum est, & sapientia sit verbum Diuinum, & verbum principium rerum omnium, iure merito Sal pro principio rerum æstimari debet: Ex eo enim omnis prouenit generatio & in eundem omnia mixta resoluuntur. Salia autem alia sunt simplicia, alia composita. Simplicia sunt Sal gemmæ, Vitriolum, Alumina, Sal commune, Ammoniacum naturale, Nitrum, Arsenicum, Sal marinum. Composita sunt Ammoniacum artificiale, quod componitur ex tribus partibus vrinæ humanæ, duabus partibus fuliginis caminorum, & vna parte Salis communis. Sal Indum, Alembroth, Sal anatrum. Omnium salium quædam volatilia, alia fixa sunt.

Tria volatilia Sal Ammoniacum, Nitrum, & Arsenicum. Quatuor fixa, Vitriolum, Alumen, Sal gemmæ, Sal Alcali. Arsenici quatuor sunt species, quarum prima est crystallina & optima, postea flauescens (auripigmentum vulgo dictum;) tertia est rubra & omnium rarissima: quarta est artificialis, inter flauum

& rubrum, & denique realgar, quod componitur ex arsenico albo & auripigmento per sublimationem. Proprietates Salis sunt, esse primum sapidum & gustabile, primum graue, & omnia quæ saporem habent, eum propter salem habent.

A Sale rerum omnium grauitates, coagulationes & concretiones, robur & compactio proueniunt. A Sale crystalli concretionem, adamantis duritiem, metallorum robur, auri soliditatem, ossium, herbarum, liquorum consistentiam prouenire deprehendimus, rerum omnium verum humidum radicale.

Salis proprium est in humido liquescere, & in sicco coagulari.

A Sale omnes rerum vitrificationes procurantur.

A Sale separantur corpora dissoluta à spiritibus.

A Sale omnis fixitas & resistentia ignis, estque Sal Sulphuris carcer & retinaculum.

Omnis pinguedo est à Sale.

Salis autem multæ sunt differentiæ; domesticus & peregrinus. Ille mitis, gratus, præseruans à putrefactione, & proprium corporis condimentum. Hic omnino acrimoniam, ardorem, & erosionem in se continet. Species salis variæ in homine dicuntur. Aliæ in mineris ortæ arsenicales, ferrugineæ, vitriolatæ, aluminosæ, ammoniacæ. Aliæ à plantis sumptæ, vt persicariæ, piperinæ, opiatæ, tartareæ, gingi-

berrinæ. Aliæ ab animalibus, vt viperinæ.

Sal aliud elementans, aliud elementatum. Elementans est astrum seu potentia inuisibilis elementati. Elementatum est visibilis facultas, estque elementum facultati obstetrici animæ analogum.

DE ELEMENTO Sulphuris in specie.

CAPVT XIX.

SVLPHVR idem est inter elementa volatilia, quod Sal inter fixa, est nempe actus collateralis sui elementi corporei; & definitur esse *Elementum corporeum & sensibile, volatile, minoris compositionis, facultatis animæ retentricis, spiritusque illius syderei & occulti propago, Mercurio aut auræ vt remotiori, ex fixis incorporeis igni: ex volatilibus incorporeis aeri, per imaginem & inuolucrum correspondens. Est denique fixorum exemplatum seu imago, calorem à Sale, lucem à terra possidens, productum ex æquabilitate motus in materiam atomorum lenem & perspicuam, & à medio ad circumferentiam protractam. Vnde exsurgit eius natura inflammabilis, combustibilis, non permanens, fluida; mirabilibus præterea potestatibus præditum, nutriendi, colorandi, odorandi, dissoluendi, penetrandi,*

di, calefaciendi, tincturas rerum educendi & similia agendi vim habens.

Dico *elementum corporeum, sensibile*, propter easdem rationes quas prius de Sale attulimus. *Volatile minoris compositionis.* Vt distinguatur à fixo minoris compositionis, volatilia enim minoris compositionis, à pluribus oriuntur causis quam fixa, nihilominus à paucioribus oritur causis quam aqua, sibi collaterale elementum & eius actionis subiectum.

Dico *Elementum lene & volatile*, voco *lene* propter continuitatem motus in materiam atomicam, *volatile*, cito enim ab igne effugit, corruptibilemque & momentaneam compositorum indolem ostendit, agitque semper cum deperditione suæ substantiæ compositorum more, cuius mediatione lumen & calor in hæc inferiora diffunduntur. Quicquid per atomorum Sulphureorum perpetuum efflauium, è corporibus animalium permeare in dies conspicimus, hoc alimentorum vsu tali Sulphure scaturientium resarcitur, ita corpora in senium in dies festinantia, hoc Sulphure renouantur, quo momentanea & in horas peritura natura stabilitatem exemplarium imitatur. Stabilissimo fixissimoque Sali è diametro opponitur, in quo hospitium tamen aliquando mutuatur, quamuis momentaneum & leue, ignis adminiculo periturum; egressus tamen hospes tenuiorem, æthereum & cælestem induit formam, omnibus aliis elementis

communicabilem, eſt humidi primigenij inuolucrum & imago, aquæ actus & fixorum omnium proximum exemplatum, colorum, & odorum, in volatilibus proxima cauſa, remotè tamen à fixis manans, & per volatilia in compoſita tranſiens. Nam quicquid volatilia & caduca habent, ſenſibili, manifeſta & corporea ratione, fixa, inſenſibili, incorporea, conſtanti & immobili lege prius habuerunt immortalis animæ ſtatuta, cuius ſunt propagines, legem imitantia: eſt Sulphur in Vegetabilibus, Animalibus & Mineralibus combuſtibile, cauſa odoris & coloris proxima, in Vegetabilibus eſt tenue & leue, quale in omnium colorum & odorum varietate admirabili, ſpiritaliumque more conſpicuum, leui tamen caloris & mẽſtrui ope delebile, vt in floribus Anemonũ, ſpecierum variarum Ranunculi, & Tuliporum cernitur. Eſt ſimile quid ſed fixius in Animalibus, vt eſt color ſanguinis, albedo lactis, viriditas & flauedo bilis, alis veſpertilionum, cute lacertorum & ſerpentum, plumis pauonum, columbarum & multarum auium, odoribus pręterea moſchi & zibetæ, quæ omnia leuiſſimo ignis attactu effugiunt, at quam in mineralium familia, nullibi manifeſtius diſtinguuntur. Pręcipue vero in mediis mineralibus quæ marchaſitæ vocantur, vt ſunt Antimonium, Biſmuthum, lapis calaminaris, zinga, Cohobalthum. Quid de diuerſis ſpeciebus Sulphuris dicam; quæ in marchaſitarum or-

dine deprehenduntur, coloribus & odoribus ditatis? Quid de lapidum & gemmarum corporibus proferam, vt de Lazulio & Armeno, Sapphiro, Smaragdo, Ametysto, Rubino, Carbunculo, Granato? Qui omnes fixissimis metallorum Sulphuribus subplantati à metallica fixitate longe discrepant, habent enim metalla illorum Sulphura fixissima & incombustibilia, vt à fixissimo Sale quam proxime exemplata. Imo nulla est species Sulphuris in aliqua metallorum calce non comprehensa, quamuis nec odore, nec colore perceptibilia, quod abunde testatur materia pictoria, crustatoria & tinctoria, tota ex metallorum aut terrarum mineralium ordine deducta. Imo quod magis est mirabile vnumquodque metallum in suo proprio esse, genuinum & domesticum agnoscit colorem, vt Saturnus liuidum, Iupiter album, Mars inter album & liuidum, Sol flauum, Venus rubrum, Mercurius liuidum, Luna albogrisiũ, qui tamẽ colores mille alios, diuersis ignis gradibus manifestãdos sub se mirabili potestate abscondunt. Si enim Saturnum leui ignis adminiculo in calcẽ reduxeris, primo apparebit grisius color, deinde viridis, tum flauus, quem purpureus sequetur, qualis in minio apparet, ex quo tandem adminiculo aceti distillati elicies aluminosum quid, quod aqua vulgari aut potius Sale tartari candidissimum & albissimum subsumet colorem, materia ista alba cum salibus resuscitatiuis denuo igne re-

uerberij ſuppoſita, calcem edit rubram, quæ denique in plumbum verum cedit. Simile dici poteſt de Mercurio, omni Protheo aut Vertumno inconſtantiori, de Nitro, de Vitriolis omnium metallorum & ſimilium ſubſtantiis, è quibus mille colores in vitrificatis à cruſtatoribus inducuntur, mirabili artis eiuſdem præconio, & naturæ æmulatione. Sic mentiuntur veræ Smaragdi, Carbunculi, Sapphiri, Granati, Topaſij, vt artem cum natura ipſa contendiſſe dixeris. Et quemadmodum Vegetabilia & Animalia, colores rectè à fixiſſima metallorum natura depromere demonſtrantur. Sic ſimiliter odores inde promanare etiam cernimus, vt in combuſtibili Sulphure omnium Mineralium. Si enim Antimonium ſumpſeris cum Nitro calcinatum, & lixiuio inde facto per acetum præcipitaueris, fœtidiſſimus tunc Sulphuris odor inde emanabit. Eodem pacto ſi Marti limato ſpiritum vitrioli affuderis, non ſolum odor ingratiſſimus, ſed & feruor ſenſibilis inde promanabit, teſtimonium manifeſtum præbẽs Sulphuris per calcinationem liberati & è fixo volatiliſati & effugiẽtis, illam eſſe actionẽ. Sic procul dubio quicquid in volatilium elementorum prædominio reperitur, omne illud à fixiſſimorum elementorum penu depromptum eſſe certum eſt, ad exemplar Sulphuris perfectorum metallorum ſtabilis & æterni, vt auri & argenti, fixi, permanentis, incombuſtibilis & immobilis.

Ex prædictis non difficile erit colligere & demõstrare, omnem colorem & odorem siue spiritalem, siue materiæ corporeæ inhærentem, proxime à Sulphure & eius exẽplo aëre, remotius à Sale & remotissime ab igne & Mercurio vt cælesti & æthereo Elemento promanare.

Sulphuris proprium est, vt nihil sine eo inflammetur, vt nihil sine eo odorem aut colorem habeat.

Est primum luminale & volatile. & omnia lucida consumentia in tantum talia sunt, in quantum sunt Sulphurea.

Volatilitatem & leuitatem præbet omnibus corporibus.

Omnia propter ipsum sunt combustibilia. Est ignis & luminis carcer & domicilium, quo intermedio percipitur ipsa ignis & lucis substantia.

Eius cum Sale fermentatio producit æthereum Sulphur, quod in dies è corporibus exhalare videmus, & per quod corpora crassa fiunt volatilia, in mixto fixum, extra vero ipso phlegmate volatilius.

Sulphurum varia sunt genera. Præcipua sunt Sulphur commune, Petroleum, Carbones fossiles, Gagates, Succinum.

Aliud est naturale, aliud artificiale. Naturalia sunt animalium pinguedines, apum cerificia. Artificialia sunt, olea, species ardentes, tam ex animalibus, quam ex vegetabilibus extractæ.

Sulphur aliud elementans, aliud elementatum. Elementans est astrum, seu potentia elementati, & est inuisibilis eius facultas. Elementatum, est corpus elementi.

DE AVRA ELEmento seu Mercurio.
CAPVT XX.

MERCVRIVS est elementum vitale, insensibile, & incorporeum, simplicissimæ compositionis, facultatis animæ phantasticæ, spiritusque illius syderei & occulti propago, Naturæ, Formæ, seu Spiritui, vt proximo exemplari, per imaginem & inuolucrum correspondens, productum ex ambiguo motu Spirituum in materiam atomorum ambiguam, & circa centrum agitatam, vnde exsurgit varia eius natura, & ad diuersam formam excipiendam tum distribuendam aptitudo, hoc est, vt cum fixis sit fixa, cum volatilibus volatilis, cum penetrantibus penetrans, cum inflammabilibus inflammabilis, cum actiuis actiua, cum paßiuis itidem paßiua. Est denique omnium elementorum æternum & indelebile exemplar, mirabilibus præterea dotibus præditum, viuificandi, conseruandi, generandi, resuscitandi vim & potestatem obtinens.

Dico *vitale*, quoniam vitam & vitalia documenta reliquis & inferioribus elementis ministrat, *insensile & incorporeum*, quia nunquam nisi per inuolucra sensibus nostris se se offert, incorporeorum more, proinde in resolutione

mixtorum si Auram aut Mercurium quæsiueris, semper Sale, Sulphure, aut aqua vestitum inuenies, & hoc acidulæ omnes satis arguunt, vt spiritus & olea vitrioli, Sulphuris, Salis, quæ si à bolo aut Sale aliquo fixo leui calore expresseris, habebis aquam insipidam: Salem autem ea proportione Sali aut bolo insidentem, qua aquæ pondus ab acidulæ pondere defecerat.

Dico *simplicissimæ compositionis*, quia proxime ab anima emanans, eximitur ab omni Physica compositione, præterquam ea qua ab animæ impulsu in spiritum & materiam impellitur, vt dona, officia & dispensationes inde progredientium elementorum impertiat, proinde dicitur Aura quasi elementorum Aurora, siue matutinum, crepusculum, & quasi sponsus ex thalamo exsurgens, vt lucem & seminales rationes, orientibus elementis tacita quadam ratione insinuet.

Cui autem animæ facultati supponatur satis superque demonstratum fuit *capite vndecimo* circa finem.

Dicitur *ambiguæ naturæ*, non quod aliorum elementorum naturas ex æquo participet (est enim ab aliis omnibus participatum) sed quod participãtibus magis minusve spiritalibus elementis aliquid suæ indolis analogũ distribuat, & reliquorũ inuolucris proximis aut remotioribus vtatur, ad diuersam in mixtis compositionem perficiendam, est enim in fixis fixus,

in volatilibus volatilis, vtiturque aliorum inuolucris, iuxta vniuscuiusque rei naturam se se appropriando, non secus ac ventus in organa immissus sonos varios, iuxta variam partium structurã edit, fixat fixa & volatilisat volatilia.

Sic formalia spiritalibus, spiritalia magis minusve corporeis, fixis aut volatilibus inuoluuntur. Mercurius enim omnium elementorum exemplar, primo igni vt fixo spiritali, proximoque Mercurij exemplato, deinde aëri vt spiritali, volatili & remotiori Mercurij exemplato, induitur, fixaq; omnia volatilibus, vt eorum proximis exemplatis eodem iure vestiuntur. Et quemadmodum Mercurij elementum vitale, spiritalium proximum vt ignis, & remotius aëris fuit exemplum: sic inter spiritalia, ignis & aër, duo erunt exempla corporeorum elementorum, Salis & Arenæ fixorum, & ab igne exemplatorum; Sulphuris & aquæ volatilium & ab aëre exemplatorum: hac ratione quæ iuxta vitale elementum exemplata fuere, secundum corporea, exemplarium induere naturam, & corporeorum volatilium fixa exẽpla erũt, & fixorũ quæ minoris fuere cõpositionis exẽpla cõstituuntur eorum quæ maioris compositionis sortem acceperũt. Ex quibus perspicuum est, ob mutuam horum conuenientiam non posse fieri facilem elementorum separationem, nisi post corticum & siliquarum depositionem. Sic pura arena vix vnquam sensibus manifestatur, nisi ablato prius per lixiuium Sa-

le; neque Sal, nisi post calcinationem aut cinifactionem, per quam partes volatiliores Sulphuris auolare aut separari conspiciuntur. Sic Sulphur non conspicitur, nisi post separationem phlegmatis, vt in distillatione & inflammatione rerum videmus. In hac analysi quatuor corporea conspiciuntur elementa magis minusve radicalia, quæ sicut sibi inuicem sunt inuolucra, sic pari ratione includunt alia spiritalia eo ordine, quo magis minusve à vitali ad spiritalem accedunt naturam. Sic in Aëre, minus spiritali, semper est ignis: in igne, vitalis ille & omniformis elementorum embryo Mercurius. Horum tamen trium inuolucra possunt satis commodè tribus spiritalibus mixtis appropriari, hæc spiritalia elementa proximè inuoluentia, illa voco Saporem, Odorem & Colorem omnium mixtorũ, colorem nempe & odorem vt proxima Sulphuris, sed remotiora Aëris esse inuolucra, qui aër dici potest etiam spiritale Sulphur, saporẽ vero Salis inuolucra, sed remotiora ignis, qui etiam dici potest spiritale Sal, cum mutua & reciproca tradãt officia, vt reperitur secundum illud Euãgelistæ. *Omnis victima salietur Sale, & omnis homo salietur igne.* Neq; iniuria colór aëri tribuitur, vt Sulphuris proximo exemplo, deinde Sulphuri ipsi, proximum & natale coloris & luminis inter volatilia subiectum. Sed priusquam trium istarum spiritalium substantiarum limites egrediar, in eorum gratiam, qui

in hoc doctrinæ genere exercitati non sunt; adferam integrum textum Rhasis, qui non minoris fuit famæ apud Arabes, Philosophus; quam Aristoteles inter Græcos, vt iudicent, hæc non tam cerebri mei esse figmenta, quam veterum mentem à me ignis ministerio confirmatã. Multi forsan monstra hæc partitionũ nominum temere iudicabunt, quibus obiter hoc dictum volui, vt se se prius emungant probè, quam aliena temere iudicent vel præiudicatis opinionibus acquiescant, & denique vt diligẽtissime perpendant quæ à Rhasi Arabe libro de triplicitate in hoc textu cõtinentur, tam pro raritate eiusce tractatus, quam pro insigni suffragio illustrationis & doctrinæ compendio quod huic tractatui addere non contẽnendũ cẽsetur, ita autem sonat textus. *Tres sunt,* inquit, *naturæ, quarum prima cognosci, aut comprehendi non potest nisi per insignem pietatem, & sublimem contemplationem; & est Deus optimus maximus, author & prima omnium rerum causa, supremus iudex, magistratus & dominator vniuersi. Altera neq; visibilis neq; tangibilis, quantumuis ex aduerso adsisteres, & hæc de cœlo in raritate sua intelligitur. Tertia est mundus elementaris complectens quicquid sub æthereæ regione continetur. Quæ cognoscitur, videtur & à quinq; sensibus percipitur, visu, auditu, olfactu, gustu & tactu. Cæterum Deus qui ab omni æternitate fuit ante omnia, & cum quo nihil fuit excepto suo nomine, sibi soli & sapientiæ suæ cognito; Creauit primo aquas, quibus terram immiscuit, ex*

quibus quicquid esse, & vita hic infra frui concipitur, cœpit procreari, iuxta cuiusque indolem & naturam; in duobus hisce elementis rudiusculis, craßis, & sensui perceptibilibus, duo alia spiritalia, tenuißima & sublimißima, incarcerauit (consule quæ à me dicta sunt fol. 440. l. 15. & videbis quæ sit mutua conuenientia huius doctrinæ cum istis quæ à me ibi dicta sunt de elementorum inuolucris) *aerem nempe & ignem. Quæ tandem quatuor corpora ita mixta & ligata, tam subtili & indicibili mixtione fuere, vt vix ac ne vix vnquam deligari poßint: horum duo sunt fixa, nempe Terra & ignis; duo volatilia, aqua & aer. Qua ratione vnumquodq; elementum symbolum & conuenientiam habet cum duobus in quibus includuntur & continentur reciproce in se; vnum corruptibile, putredini & adustioni obnoxium: aliud permanens, incorruptibile & naturæ cælestis: sicut aqua quæ duplicis est differentiæ, vna pura & elementaris; Altera verò est aqua nostra vulgaris qua vtimur, imbrium nempe & nebularum non tantum, sed & fontium & amnium vnde promanauit materia. Similiter est terra elementaris, alba, clara, nitida & splendẽs, quam plurimis tamen inuolucris obducta, ad quam facilis non patet aditus; alia vero nigra, infecta & fœtida: ignis itidem, vnus perpetuus & sese quasi sustinens; alter vero adurens & consumens, quemadmodum vastat & consumit quicquid ipsi adhærere aut ipse corrodere potest. Similiter* Aer *sempiternus, purus & nitidus, alter vero fœtidus & combustibilis. Quæ omnes substantiæ Mineralibus, Veget. &* Animal.

immistæ, mortis & morborum sunt causæ: quare oportuit necessario separare substantiam puram à quatuor elementis corruptibilibus per artem, vt reducatur ad claritatem crystallinam, mundificata ab omni immunda terrestreitate: nam tria reliqua elementa liquida Aqua, Aer, & ignis, sunt penè à se inuicem inseparabilia; nam si aer ab igne separaretur, ignis qui inde pascitur & sustinetur, illico extingueretur. Et ex aduerso si aqua separaretur ab Aere, vniuersum subito inflammaretur: & si Aer prorsus ab aqua separaretur, quoniã leuitate sua suspensam sustinet, ab illa vniuersus illico submergeretur. Similiter si Ignis separaretur ab Aere, cuncta in diluuium redigerentur: & quantumuis tria illa sint à se inuicem inseparabilia, possunt tamen bene à Terra, sed non omnino: nam necesse est vt portio quædam relinquatur ad præbendam reliquis debitam consistentiam & corpoream & tangibilem, per subtilissimam quandam & tenuissimam sui portionem, quam illiscum attollunt, à crassitie fæculenta quæ infra manet: & huc vsque Rhasis Diuinæ suæ Philosophiæ fundamenta non longè à Chymicorum mente iaciens, huius sæculi Philosophis documenta satis ampla præbet, vt quibus & quantum à natiua veterum Philosophia defecerint satis amplè arguat & doceat.

Est ergo Mercurius inter spiritalia sua elementa ignem & aërem reponendus, vt exemplar æternum & irreuocabile eorum quæ ex spiritali in corpoream naturam in dies transmigrare cernimus. Proinde dici debet corpo-

rum & Animarum, volatilium & fixorum, vinculum.

Eius cum Sale fermentatio producit calidum innatum in omnibus. Omnia corpora penetrat, omnibusque suam aciditatem tribuit, & prima attrahit alimenta.

Vsus principiorum Chymicorum est, vt cognitis & perceptis hisce indiuiduorum differentiis, quæ manifestissimè trium principiorum proprietates referre videtur, tum demum artificiosà separatione, ignis ministerio, singula indiuidua examinemus, & similiter indiuiduorum proprietates in Vegetabilium, Mineralium, & Animalium, præcipuè in medicamentorum proprietatibus inquirendis. Aliæ nempe proprietates à Sulphure, aliæ à Sale proueniunt; & proinde cũ in mixto proprietas aliqua reperitur, ibi illud à quo fluit inquirendũ.

Si eius aliqua proprietas à Sulphure fluit, illa extrahenda, aut corrigenda, Sal remouendum. Contra si à Sale, Sal equirendum, Sulphur separandum. Hinc apparebit quanta sit varietas Sulphurum & Mercuriorum in Vegetabilibus, Mineralibus, & Animalibus, quæ conuenientia, repugnantia, differentia. Atque hoc pacto copiosam rerum supellectilem, & corporum infinitas differentias breui comparabimus, quibus instructi actionum causas sine obscuritate explicabimus.

Mercurius elementans est, aut elementatus. Elementans est astrum seu potentia ele-

mentati, & est inuisibilis eius potentia.

Elementatus est potentia eius alieno corpore indutus.

DE IGNE ELEMENTARI, centrali, eius natura & officio.

CAPVT XXI.

NATVRA igne tanquam instrumento vtitur, sicut etiam & ars, ad eius exemplum, malleo & cuneo in condendis suis operibus. In vtrisque enim operibus ignis est magister & præfectus. Quapropter ignis cognitio Philosopho maximè necessaria est, sine qua, velut alter Ixion, vano labori alligatus, incassum Naturæ rotam versabit. Huius natura quia insensibilis, ante hoc penè sæculum mortales omnino latuit. Primi omnium Arabes per Alchymiam detegere inceperunt. Hos sequuti sunt Europæi multi, qui ingenioso mentis conamine & artis præclara industria, naturæ & genij eius modulum longis laboribus prosequuti sunt. Huius primum inuentorem alij Vulcanum Ægyptiorum Regem, alij Prometheum statuunt. Illius mentionem fecit Diodorus. Cum enim, ait, arbor fulminis ictu in montibus conflagrasset, ligna propinqua hyberno tempore flamma sunt comprehensa. Qua ex re Vulcanum calore lætatum,

deficiente igne, addidiſſe illi nouam materiam, & eo modo continuato igne, alios homines conuocaſſe ad eius aſpectum, tanquam à ſe reperti. Vnde illud Lucretij.

Illud in his rebus tacitus ne fortè requiras:
Fulmen detulit, in terras mortalibus ignem
Primitus; inde omnis flammarum diditur ardor.

Sed potius credendum naturam ignis à Vulcano primò fuiſſe detectam. Nam conſtat Tubalcaino ante diluuium ignem notum fuiſſe. Quis enim, Vulcanus, niſi operum ignis magiſter? Prometheus autem, ἀπὸ τῆς προμηθείας, id eſt, à prouidentia dictus, primò ignem detuliſſe hominibus creditur, vnde pro Titane ignifero habetur, Oceano amicus, cui cum Vulcano & Pallade aram communem ſtatuebant Ægyptij.

Sed hæc Hieroglyphica ab Ægyptiis & Græcis efficta ad eas res quas vellent, iis velut inuolucris velandas appropriata fuere. Ab hoc more Græcorum ignis æterna nutritio apud Romanos videtur originem duxiſſe, quæ in Veſtæ deæ virginis reuerentiam fiebat: interdum enim Veſtam pro terra, ſæpius pro igne, ignique numine interpretati ſunt, cuius colendi ritus traditur ab Ouid. 6. *de faſtis.*

Veſta eadem eſt & terra: ſubeſt vigil ignis vtriq;,
Significant ſedem terra focuſque ſuam.

Veſtam apud Romanos nullam imaginem aut ſimulachrum habuiſſe, vt alia numina credita ſcribit, quia ignis in ſe non poteſt effigiari.

Ignis inextinctus templo caletur in illo:
Effigiem nullam Vesta, nec ignis habent.

Ideoque in templo eius fouebatur ignis, & æternus dicebatur, cuius curam virgines Vestales habebant, quibus negligentia fouendi hunc ignem crimen erat capitale. Neque iniuria virginum custodiæ committebatur, nam ipse ab initio virgo censebatur.

Nec tu aliud Vestam, quam viuam intellige flammam.
Nataque de flamma corpora nulla vides.
Iure igitur virgo est, quæ semina nulla remittit
Nec capit, & comites virginitatis amat.

Apud Persas ignis sacer habebatur, & in comitiis cum Rege deferebatur, & singulari cultu reuerebatur. Inde prouerbium, vt Suidas testatur, *Persa sum, parentibus Persicis natus. Persane indigena? Vtique, Domine. Ignem autem inquinare est nobis saua morte acerbius.*

Vnde patet quod si in Ægypto adeo Vulcanus, Vulcaniæque artes in pretio fuerint, vt Lemnius ille claudus ab aliis populis despicatissimus deorum, maximum ac pretiosissimum templum cum consecratione & imitatione Apis, totque Sacerdotum (à quibus & Reges electi sunt) meruerit, inde quoque apud Græcos Lampadophoria, eius honori attributa, & apud Persas & Romanos Vestæ Solennia, originem deduxere: Qua ratione etiam apud nos eius naturæ indagatio in summo honore haberi debet.

Sed

Sed vt ab allegoriis & mystico sensu ad veram eius naturæ inquisitionem accedamus, ponenda erunt aliquot fundamenta, quæ cæli naturam, & proinde ignem illustrare possunt. Primumque vtemur in hac parte opera Picolominei, qui *libro de cælo, cap. 2.* Vetustiores, inquit, Philosophi, naturam rerum indagantes, & per ea quæ sensibus proximiora sunt, distantia sensibus mensurantes, quoniam cuncta quæ ante oculos versantur, vel sunt vnum ex quatuor elementis, vel aliquid ex iis mixtum, ideo cælum quoque eiusdem naturæ existimarunt. Propterea Empedocles ex quatuor elementis constare censuit. Democritus, Leucippus, & Epicurus, existimarunt constare ex atomis, præsertim naturæ ignis congruentibus. Ægyptij aquam, & humorem concretum id esse affirmarunt. Diogenes aërem attenuatum, Pythagoras, Heraclitus, Stoicorum series dixere ignem. Plotinus, *in libro de cælo*, ex sententia Platonis, cælum esse ignem confirmat. Deinde quibusdam interiectis, Proclus, inquit, in Timæum, elementa omnia, & in cælo & sub cælo, & apud inferos, reperiri existimat. Inquit enim, elementa in cælo omnia sunt, & in his quæ sub cælo, & etiam infra terram. Nam omnia ex quatuor elementis constant, non eisdem tamen, neque eodem modo se habentibus. Quæ enim in cælo sunt, summitates & excellentiæ sunt elementorum. Ea autem quæ sub orbe Lunæ inueniuntur, secun-

diliunt ordinis, & tanquam fæces elementorum. Hæc Picolomineus, qui nonnullis adiectis ita concludit. Conſenſerunt itaque veteres Philoſophi, elementa etiam in cælo reperiri, & ſolum puritate, & ſinceritate diſtingui à collocatis ſub cælo.

Verum vt luculentior fiat harum opinionum veritas, opus erit agnoſcere duplicem cæli ſubſtantiam, continentem vnam, contentam alteram: hanc quidem fluxam; illam vero conſtantem; illam quæ moueat, hanc quæ moueatur.

Ægyptij quum cœlum, aquam & humorem concretum cenſuerunt, locuti ſunt de ſolida atque conſtante cæli ſubſtantia: in quo ſenſu & Anaxagoras fertur dixiſſe Solem eſſe lapidem, quæ ſententia Empedocli etiam tribuitur. Cum autem Empedocles ipſemet & alij, vt hoc loco Picolomineus retulit, dicunt cælum eſſe quatuor elementa, maximè vero ignem, vel quod ad ignis naturam accedat: intellexerunt fluxam illam ſpiritualemque ſubſtantiam, quam ad nos aſtra demittunt. Quomodo vero ſpiritalis illa maximeque ignea natura, imo ignis ille ſolutus, atque ardentiſſimus ſolidum illud corpus à quo continetur, non labefactet, non eſt quod anxij ſint Peripatetici, dummodo agnoſcant eam non magis ab igne hoſpite pati, quàm volunt ſphæram Lunæ ab igne contiguo. Quod ſi dicant diſcrimen eſſe, quia ponunt cælum eſſe diuerſæ naturæ, quod-

que pati nequeat ab igne. Id ipsum intellexisse veteres respondeo, dum solidam cæli substantiam ex aqua, terra & igne, sed perfectissimis, compactam asseruerunt. Quod autem Empedocles, Democritus, Leucippus, Plato, aliique veteres, eandem in cælo substantiam, eademque elementa, atque in superioribus esse voluerunt; ibi tamen puriora, ac subtiliora: id de illa substantia fluxa intellexerunt, quam vt experientia docet, ab astris in nos diffundi, atque his inferioribus vitam, motum, incrementum, aliasque mutationes afferre: ita ratio euincit esse eiusdem naturæ cum terrestribus, vt quæ vna cum his elementis inferioribus concurrat ad compositi naturalis perfectionem, mutationemque multiplicem.

Huius autem doctrinæ veritas confirmatur non solum ex præcedentibus, sed & ex operationibus Chymicis, quæ ab igne hoc nostro communi in dies exercentur. Conspicuum enim inde deprehendimus, elementa in composito subsistere, neque ea in compositi solutione produci, nec ignem cum extinguitur interire, sed in fumo sursum contendente conseruari. Id ipsum probat aquæ euaporantis ascensus, qui quidem non est naturæ aëreæ, alioquin in aëre, vt loco proprio quieturæ; sed igneæ, quæ locum propterea petat superiorem. Et quemadmodum videmus cum multis Peripateticis, qui hac in re experientiam sequuntur, aquam sublimè raptam,

cedente vehiculo, eandem recidere, nec nouam produci: ita facile erit animo contemplari, eundem illum ignem, quem auolantem cernimus, ad cælum vſque progredientem, atque itinere repetito, rurſus ad hæc inferiora deuolutum, ſed multis partibus puriorem, atque defæcatiorem. Quid enim illam curſus reciprocationem tam liberè in igne, quam in aqua non admittamus, cùm hæc huius vehiculo deficiatur? Atque hoc poſito quod nullam habet difficultatem, clarum erit, non modo cur Sol lucem caloremq; tantum quoquouerſum profundat, corpora nutriat, coquat, diſſoluat, ſed & diuerſorum effectuum cauſa ſit. Tantum abeſt vt aliquam in hac ignis ad nos reuerſione difficultatem inueniamus. Nam alioquin cum maxima copia huius ſpiritalis atque igneæ ſubſtantiæ ex terræ penetralibus continuè ſurſum euolet: terram tandem his euacuari contingeret, niſi supernè deorſum reducerentur, ea namque è terra de nouo produci impoſſibile eſt. Illius autem refluxus cauſam & naturam inueſtigare ex ſuperioribus poſſumus.

Hoc iacto fundamento, vnam duntaxat eſſe ſphæram ſolidam, ſcilicet firmamentum, ſub quo clarum eſt, tum ex veterum ſententia, tum ex hypotheſibus noſtris, ſpiritus ſeu atomos igneos, tum aëreos, implere vaſtiſſimum illud ſpacium, in quo planetæ ſuos faciunt circuitus. Per illos autem ſpiritus ſeu atomos igneas,

intelligo naturam subtilissimam, quæ igni maximè conueniat: aëreos, quæ aëri; eosque continua validissimaque iaculatione ab astris in terram profundi.

Iam omnium consensu constat, id quicquid sit quod firmamenti ambitu continetur, rapidissimo impetu in gyrum volui, & quidem quo magis ab vtroque polo receditur. Etenim cum iuxta polos lentus admodum cæli sit ambitus, lentissimam quoque esse prope polos motionem illius ignis necesse est: contra eius qui sub Æquatore voluitur, rapidissimam: & vbi velocissimus ille occurrit motus, ibi & tenuissimæ diffunduntur atomi: vbi lentissimus, ibi frigidissimæ proijciuntur. Et quod impuræ aquæ contingit in velocissimum amnem deductæ, vt cum aliis sordibus à medio fluento in ripam amandetur: idipsum necesse est euenire illi igni impuro, inferne ascendenti, vt à rapidissimo velut illius amnis ignei cursu, versus polos, veluti ad ripas reijciatur. Ibi propterea ignis continuè vndique confluentis, maximam fieri compressionem necesse esset, ni pateret exitus presso locumq; molienti. Et quemadmodum mare terram subit, cæcis quaquaversum meatibus peruiam, atque inde in fontes & flumina scaturit: similiter de illo vastissimo corpore cælesti cogitandum, vt variis ductibus patulum mare illud igneum, per ingentes ad polos fauces subiens, excipiat, ac per stellas, veluti totidem fontes, vel fluuios

igneos, euomat ignem iam puriorem effectum, haud secus atque fontes reddunt aquam dulcem; quæ in mari vnde prodiit salsa erat. Quod continuè à stella profunditur, pellit præcedens, in cuius locum succedit: deinde à sequenti pulsum, ipsummet inferius descendit, idque per gradus, donec tandem, post longa tempora, terram attingat.

Hos radios certè agnouit Empedocles, cum referente Hieronymo, duos dimidiatos orbes circa terram ferri autumauit, alterum ex igne, alterum verò ex aëre, modico igne admixto: atque illum orbem diem, hunc noctem appellauit. Nempe dimidiatus ille circulus, ex igneis atomis compositus, ignis ille est, qui à Sole & astris continuè prodiens, à terra obiecta repellitur. Altera circuli semissis, terra ignes impediente, habet illa corpuscula frigida, à polis originem ducentia, quæ sicut anteriores Solis ignes excipiunt, à quibus pelluntur ex vna parte, ita vicissim ex altera posteriores Solis & astrorum flammas ante se abigunt. Atque hunc in modum ille circulus naturarum frigidarum, calidarumque vicissitudine continuatur, haud secus atque vnda pellit vndam: ita cum à sequentibus vrgeantur præcedentes, in illorum succedunt locum.

Sed dubitationem parit, quomodo stellæ, absque confusione immensa ignium, maria quoquouersum, & præcipuè in terra eiusque centro perfundant. Sed cessabit dubitatio,

vbi quantum inter quasque stellas spacium intersit animo concipiet. Quippe nullæ tam vicinæ sunt, inter quas non sit distantia terrarum orbe longe maior. Quandoquidem stellæ minimæ terra grandiores habentur. Et cælestium quãtum descensu spatium illud contrahitur, tantum decrescit illorum spirituum copia, donec ad terram ex omnibus stellis non tot eiusmodi siue ignes, siue spiritus pertingunt, quot ex vna stella prodeunt.

Cæterum ignes qui in terram illiduntur, gradatim magnoque temporis lapsu ab astris in terram transmissi sunt, ignibus aliis alios pellentibus, donec tandem in terræ centrum, cuius totus ambitus ratione cæli punctus est, magna vi illidantur.

Quare Morienus Romanus terram appellat omnium elementorum matrem. Elementa enim à terra procedere & in terram reuerti strenuè contendit. Mehimius *in lamentatione natura*, terram matrem & nutricem esse rerum omnium, quas concipit in vtero suo ab igne, hoc est à cælo, satis perspicuè demonstrauit. Omnesque fere Philosophorum authoritates concludunt, cælum esse compositorum patrem, terram vero eorum matrem, in visceribus ipsa gestantem. Cuius rei rationem reddunt Ptolomæus & Chalcidius, asserentes in centro terræ omnes influentias cælestes confluere, quæ tanquam rerum spermata ibi velut in matrice communi includuntur. Vnde

propter varietates proportionum ipſarum deſcendentium, tot diuerſæ diuerſarum, quot rerum in terra fiunt generationes, variæque impreſſiones. Et ſi in centro acutiſſimi illi igniculorum radij non concurrerent, vnde quæſo tantus ille calor ſuppeditaretur, qui in altiſſimis terræ penetralibus, profundiſſimiſque eius partibus aurum, argentum, æs, & metalla reliqua concoqueret: qui Nitrum, Sulphur, Bitumẽ, Carbones foſſiles, Ætnam, Veſuuium tanto incendio imprægnaret: qui Vitriolo, Alumini, Arſenico, cæteriſque mineralibus omnibus, ignes eiuſmodi vi cauſtica & ignea imprimeret: qui halitus tum ſiccos, tum vapidos gigneret, atque ex imis terræ viſceribus ſublimè veheret? Et quidem hæc omnia quouis tempore fieri compertum eſt: cùm tamen neque brumâ calor cæleſtis terram gelidam ſubeat, neque æſtu Solis calor terram penetret, vt videre eſt.

Ergone hunc ignem ſubterraneum & centralem, indigenam aſſeramus? Nam cum tantum huius ignis indeſinenter aſcendat, quantum deperit, niſi tantum noui accederet, tandem ex toto conſumeretur neceſſe eſſet. Vnde ergo reparabitur? Prorſus ex alto redeat, qui altum conſcendit oportet.

Verum quibus anfractibus ſinus illos ſubterraneos ſubeat, Philoſophi vulgares haud aduertunt. Huius autem duplicem reddemus rationem. Nam ſpiritus iſtos eſſe igneos, quos aqua maris per cæcos illius ductus ſub terram

ſecum vehat, ex ſalſugine quæ tota ignea eſt deprehendimus. Quippe facile eſt ſpiritus iſtos ab aſtris demiſſos, maris ſinum facilem quem propterea calefaciunt penetrare, potius quam terræ immenſam molis duritiem veluti terebrare. Solis enim aſtrorumq; reliquorum radij craſſiores, recta terrã penetrantes, pauci ad centrũ permeantes & maxima parte à terra repercuſſi aërem accẽdunt. Ex iis vero quos in vaſtiſſimum illud æquor iaculãtur, pauci cum aqua in vapores, futuros nubibus materiam, ſurſum euolant. Maxima tamen ex parte cum immenſo illo aquarum pondere, ſucceſſu temporis, ſub terram diſperguntur, ex quibus & in mari, & in terra tam mira generantur.

Secunda ratio ab Aſtronomis & Philoſo-
phis naturalibus probatur, & ab immenſa cæ-
leſtium magnitudine, tum terræ & aquæ exi-
guitate confirmatur. Immẽſa enim, inquiunt,
cæleſtium magnitudo, virtus, motio, facit vt
omnes omnium ſiderum radij, terræ molem,
quæ quaſi punctum eſt reſpectu cæli, momen-
to facillimeque vſque ad centrum recti pene-
trent, quod omnes Aſtrologi confitentur. Ibi,
vt placet Pythagoricis Platonicisque, fortiſſi-
mi ſunt: tum quia recti vndique centrum tan-
gunt, tum quia in anguſtiam collecti coar-
ctantur. Quorum vehementia, materia ibi Sul-
phuris procul ab humore aqueo remota, & aë-
ri proximiori obuia, prorſus accenditur, accen-
ſaque extenuatur, ac diſpergitur per meatus
vndique, & efflat incendia pariter atque Sul-

phur, vt videmus ex Ætna & Vesuuio. Sed ignem hunc putarunt esse valde caliginosum, & quasi incendium quoddam luminis expers (sicut videmus in dissolutione Mercurij aut metallorum per aquas fortes, aut in præparatione tartari vitriolati) aut veluti aquam calci viuæ affusam. Et sicut in cælo extat lumen incendij expers, sic ignis noster inter cælestem & infernum, lumen cum feruore coniungit. Putant autem ignem è centro flantem, ignem esse Vestalem; siquidem Vestam esse terræ vitam numenque putabant. Ideoque Vestæ templum veteres in mediis vrbibus construebant, ignemque in medio perpetuum collocabant. Hæ duæ virgines castissimæ sicut ignis, duplicem mundi huius sensibilis ignem repræsentare videntur. Pallas cælestem, Vesta elementarem. Vnde duæ pyramides concipiuntur. Vna, cuius basis concipitur in Zodiaco, & apex in centro terræ. Altera è contra basim habens in diametro terræ, & apicem in Zodiaco, vt apparet ex diagrammate. Hanc figuram veteres, nec absque causa, igni attribuerunt, quasi summo omnium elementorum exemplari. In omni enim pyramide considerantur quatuor facies, siue quatuor triangula, terræ, sali, oleo, & aquæ correspondentia. Et in quatuor istis triangulis considerantur tres anguli quasi formalia elementorum exemplaria. Ea erunt Mercurius, omnium elementorum exemplar referens apicis angulum acutum, ignis & aër duos basis angulos refe-

rentes. Mercurius erit ignis & aëris exemplar. Aër & ignis erunt Mercurij imago. Ignis fixorum proximum; volatilium vero remotius exẽplum. Aër vero volatilium exẽplar. Prioris pyramidis Palladi appropriatæ basin, vndequaq; è Zodiaco profluentem, & apicem in centro concurrentem concipies. Quoniam in centro vndique concurrunt infiniti radij, vbi nullus locus, vt tantorum influxuum receptaculum excogitari possit. Proinde coarctantur radij & coguntur in largiori campo exspatiari & patrios iterum repetere lares. Et sic ex igne, ignitum fit elementum, ex fixo volatile, ex incorporeo & insensibili, corporeum & sensibile deinceps deprehenduntur, vt demonstratum fuit *prop.1. Cap. 8. & prop.4. eiusdem.* Hic ignis omnem corporum motum causat: *sublato enim calore*, inquit Alphidius, *tollitur omnis motus*, & motus hic inseparabilem secum adfert depurationem. *Nam ignis*, vt vult Raymũdus Lullius, *non vult nisi res puras*. Nec solum est purissima aliorum elementorum substantia, sed & purificat & purgat omne quod corruptibile est. Altera vero pyramis basim habet in centro terræ, & apicem in Zodiaco. Vnde coeunt & sese intersecant duæ illæ pyramides in medio æthere, & per intersectionis locum transit circulus Solis, qui æqualitatis dicitur. Hæc pyramis refert corporea nostra elementa.

Theologia Phœnicum admittebat vnicum tantum elementum, nempe ignem omnium productorem, & destructorem. A quo Hera-

clitum haud dissentire videmus. Et profectò duæ istæ pyramides, vnum tantum videntur referre ignem, qui secundum varium indumentum, à qualitate accidentali acceptum, diuersas accipit appellationes. Si inflammabilitatem, si calorem, Sulphur, aut aërem: si humiditatem, aquam: si siccitatem, si saporem aut frigus, terram & salem vocabis. Itaque omnes has qualitates ignem variis istis qualitatibus indutum, vt vnum elementum vocamus. Nam ignis vndique se extendit, & vbique deprehenditur, ad quem omnia quasi ad centrum tendere videntur. Quare haud iniuria dici potest actus naturæ & vigor eius infinitus & viuificus. Plutarchus asserit esse spiritum intellectualem, nullam habens formam, sed in se omnia transmutantem, & se ipsum denique in omnia, non secus ac ille Protheus Ægyptiorum Genius.

Omnia transformat sese in miracula rerum.

Sed hæc de eius exẽplari Mercurio aptius dici possunt. In hoc igne, secũdum Zoroastrem, omnia generantur. Est lumen, inquit Porphyrius, habitans in igne æthereo. Hi duo ignes, supremus nempe, & infimus, haud à veteribus poëtis incogniti fuere. Nam Homerus 28. *Iliados*, Vulcani incudem in cælo octauo constituit, versatissimis & in omni laborum genere exercitatissimis & immortalium deorum scientia edoctis artificibus concomitatam; in quorum præsentia labores perpetuo prose-

quebantur. Hanc Vulcani officinam Maro 8. *Æneid.* statuit hic infra in insula dicta Vulcania,

Vulcani domus, & Vulcania nomine tellus.

Vt ostendat ignem esse, tam terrestrem, quam cælestem. Appropriari possunt præterea his in duobus, quatuor ignis differentiæ, Mundi intelligibilis, totus lumen; cælestis, participans luminis, caloris, & ardoris; & centralis, ardoris absque lumine. Qui lucet, cælestis est; qui digerit, æthereus; qui lucet & vrit, sulphureus est; qui ardet absque luce, centralis & terrestris est, & absque materia terrestri aut crassa consistere nequit, in quam tandem reliqui redeunt, sicut in cinefactis videmus, in quibus post salis extractionem nihil præter arenam inuenies. Nam Sal quid aliud est, quam ignis potentialis & aqueus, hoc est aqua terrestris igne imprægnata, vnde omnia mineralia producuntur, quæ sunt natura ignea, & aquea? Sicut experimento videmus in aquis stygiis, quæ componuntur ex Nitro, Alumine, Vitriolo, quæ vrunt non secus atque ipse ignis. Sed huius ignis gradus & indumenta melius per ignis artificialis analogiam inuestigabimus. Si enim candelam, facem, aut accensam lampadem spectes, pulchrè has ignis & igniti elementi species & gradus repræsentabit. Videbis etenim, quacunque se lucis ambitus profert, in centro quidem accēsi ellychnii, speciem lumini comparabilem. Versus sublimem magis ardentis faculæ regionem, occurrit splendidior flam-

ma, ſplendoris ætherei imaginem ſeruans. At per extremã aream orbis ſe lucidiſſimus ſpargit, cuius natura & cæleſtis illius lucis ingenium proximè imitatur. Diſtingue nunc accurata obſeruatione trium iſtarum partium tres alias, proportionali ordine differentes. Nam & in ellychnio atra eſt, & cæteris particulis craſſior infima baſis: hac vero rubentior & magis accenſa, quæ loco ſuperiori conſpicitur: ignita penitus quæ in ſublimi collocatur. Similiter & in flamma, cuius tres ſunt ſpecies. Vna craſſior, ellychnio affixa, ſeſe ex ſulphurea & corruptibili materia nutriens, & vt fixioris eſt naturæ, ſic maximam Mercurij ſiue acidi humoris ſubſtantiam poſſidet, auræ ſiue ignis, proximum receptaculum, & medium, quo aëri ſeu vento intromittitur, vt videmus in Sulphure communi, quod abſque flamma, ſola illius ad ignita admotione accenditur. Altera vero ſpecies rubentior eſt, procedens denique ex rubra, aut flaua inflammata. Alba ſerena & limpida, cæteriſque ſupereminens eſt, quaſi ad originem primam tendens. Per cæruleam repræſentatur nobis pyramis ignis naturæ, quæ quum incorporea eſt, ſenſibus noſtris niſi induto corpore vt veſtimento minimè ſeſe offert. Quapropter in fixa hac & craſſiori Sulphuris ſubſtantia, Sale volatili adhuc permiſta, primum cæleſtis huius ignis & elementaris coniugium celebratur, ita vt ex formali totus fiat materialis, donec repetendo ſuam ori-

ginem, per varios gradus ex materiali rursus fiat totus formalis, ex cæruleo rubentior, ex rubro albus & limpidus.

Huius flammæ species ab Homero haud ignorabatur, dum 6. *Odyss.* Olympo attribuit purum & album splendorem.

λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη.

Neque quicquam aptius repræsentare potest quatuor mundos; splendor albus, supercælestem; cæruleus, cælestem; ellychnium ardens, elementarem; & nigredo ellychnij combusti, ignem centralem, qui præterea denotat & corpus. Rubedo, spiritus vitales in sanguine residentes; cæruleus, animam; & albus, intellectus characterem animo impressum. Nam quemadmodum cæruleus mutatur alias in flauum nunc in album. Idem & Animæ contingit, quando à bono ad malum inclinat, aut ab insensibilibus ad sensibilia deflectit. Flamma alba eadem est semper absque mutatione, non autem cærulea, quæ mutationi est obnoxia.

Simili modo ignis quadruplex hic apparet. Niger in basi ellychnii, vbi flamma quæ ibi apparet est cærulea. Rubra vero in summitate ellychnii. Denique flamma alba. Quæ diuersæ apparitiones, septem etiam elementa repræsentare possunt. Nigredo terram, albedo Salem & aquam, cærulea aërem & Mercurium. Rubedo ignem & Sulphur. Et tamen omnes istæ variæ repræsentationes nihil aliud sunt quam vnus ignis, diuersis velaminibus in-

ductus, quemadmodum scitè declarat Gerundensis Rambam (id est, Rabbi Moses Ben Maimon) vbi ait, sub terræ nomine in historia creationis intellecta fuisse quatuor elementa; & per tenebras primum ignem. Nam dicitur Deuter. 4. *Verba eius ex ignis medio audiuistis*: & illico additur, *& vocem eius ex obscuritate.* Hic ignis primus dicebatur ignis, quia non est ille qui lucet aut splẽdet, sed tantum qui transparens est visui sicut aër. Nam si luceret, tam noctu quam diu videremus aërem, vt ignem resplendescentem. Et quia aliarum tenebrarum postea mentio fit, videntur distinctæ fuisse hæ tenebræ, de quibus dictum est, *& tenebræ erant super faciem abyssi*; ab illis subsequentibus, *& tenebras appellauit noctem.* Quid enim magis tenebras repræsentare potest, quam fumus qui nihil aliud est, quam flamma non accensa? Quid enim flamma, quam fumus accensus? Nonne pulchras has omnes dixeris meditationes Rabbinicas, sed quæ haud paucis mysteriis intermistæ sunt, quæ ad ignis nostri naturam multum conferre possunt? Huius naturam longa admiratione prosequitur Sanctus Dionysius 15. *Hierarchiæ cælestis*: *Ignis*, inquit, *in quantum essentia eius omni forma denudata est, tam in calore quam figura, ad diuinæ naturæ repræsentationem maximè apta sensibus censetur, in quantum naturæ diuinæ capaces reddi possunt, & sacræ paginæ infinitis in locis Deum & Angelos ignem vocant: Nam non solum nobis proponunt currus &*

rotas

rotas igneas, sed & animalia ignea, flumina & torrentes ardentes, carbones itidem, & homines accensos, corpora similiter cælestia quid nisi luminaria accensa, Thronos & Seraphinos igneos, tantum affinitatis est inter Diuinitatem & ignem. Nam ignis noster sensibilis, separatur quoad substantiam, ab alijs omnibus quæ sibi immisceri aut coniungi nequeunt, nisi hoc fiat à materia combustibili, quæ ad ardendum ei incorporaturt, lucet, & sese huc illucque dispergit: & in se ipso se recolligens, lumine suo illustrat proxima: inuisibilis tamen, nisi materiæ suæ ratione cui adhæret, & in quam actionem suam exercet, non secus ac diuinitas per effectus; neque sisti, nec contingi, neque alijs immisceri se patitur; neque mutari quandiu viuit: ipse tamen omnia contingit, & ad se attrahit & in naturam suam conuertit, omnia calore vitali renouat & exhilarat, illustrat & illuminat, sursum semper tendendo agilitate & motu indicibili, communicat omnibus motum suum, calorem & splendorem absq; vlla suæ substantiæ diminutione, quantamuis portionem auferas. In instanti accedit, tamque cito recedit, vt nullus vnquam dicere potuerit vnde proueniat, aut quo recedat.

Huic tamen sensibili igni alter videtur oppositus, aut huc infra descendens, hoc sensibili igni vestitur. Inde Zoar duplicia indumenta nobis à cælo missa esse asserit in hac vita. Vnum formale, album & resplendens, masculinum, paternum & agens: & hoc ab igne prouenit, & à stellarum claritate, vt intelligentias nostras illustret. Alterum vero est rubrum, ma-

ternum & fæmineum pro anima, proueniens ex ipſa cæli ſubſtantia. Illud iudumentum intellectus reſidet in cerebro; hoc animæ, in corde.

Et quemadmodum in ſubſtantia ipſa cæli reſident aſtra, ſic in anima facultas illa intellectualis. Ita inter omnia corpora nihil accedit magis ad animæ naturam quam ignis, ex Plotino. Et Ariſt. 4. *Meteor.* ait, ante illius ſæculum maximam Philoſophorum partem non cognouiſſe ignis naturam, quoniam ſenſibus non fuit cognitus. Hocque idem de ipſo Ariſt. dici poteſt. Nam neque ille, nec multi poſt ipſum, accuratè nouerunt ignis naturam, quam penitius multis poſt Ariſt. ſæculis Arabes per Alchymiam, vnde tota ignis dependet ſcientia. Ægyptij dicebant fuiſſe Animal inſatiabile, deuorans omnia, tum denique ſe ipſum, vbi pabulo caruerit. Et certè inter omnia elementa ſolus ignis nutritione & accenſione vtitur. Si quid in aliis elementis redundat, hoc tantum fit per appoſitionem, ſicut ſi aquam aquæ, aut terram terræ adieceris. Verum ita haud facies cum igne, niſi materiam tantummodo ſulphuream adiiciendo. Quæ ſi defecerit, illico euaneſcit; nam abſque ipſa vel vno momento vix durare poteſt, ſed redit vnde venerat. Et quum totum ſit in minimis ſuis partibus, poteſt tamen vno momento multiplicari in infinitum, & pariter annihilari: nam parua candela ingentiſſimos rogos, imo vniuerſum accendere poteſt in inſtanti, modo puluere tormentario, aut

aliqua inflammabili materia repleatur, absque vlla tamen suæ substantiæ diminutione,

Mille licet capiant, deperit inde nihil.

Ex his patet, ignem de genere spiritalium magis esse, quam corporeorum. Si enim corporeus esset, proprium inseparabileque corpus à se haberet, non minus quam terra, aqua, cæteræque naturæ sensibiles, quæ in propriis suis corporibus consistunt, terminantur in illis & per illa existunt, vires suas exercent & sensui se exhibent. Ignis vero proprio corpore sensibili caret, alieno tantum insidet. Carbo enim ignis non est, sed lignum ignitum; neque flamma ignis est, sed fumus accensus: denique aliena semper præda ille depascitur, ex præda viuit: qua deficiente extinguitur, vnde alatur ex se non habens. Præterea corpus corpori additum quantitatem auget. At ignis ligno vel fumo additus, id non operatur, neque enim lignum aut fumus per ignis accessionem secundum quantitatem augetur. Vnde palam fit, spiritum magis quam corpus igneum, lignum aut fumum inuadere, spiritualem ignis etiam fulminei naturam esse satis arguunt. Immaterialem tamen non omnino esse fatendum est; materia enim tenuissima constat, per quam circumstanti aëri adhæret, vnde à crassiori detineri potest. Spiritus itaque nomen magis quam corporis meretur: sensibilis enim quantitatis expers est, neque deprehendi potest, nisi corpus alienum induat. Corpora autem aliena illa

sunt duplicia, descendentia, & ascendentia. Quæ ignem descendentem à firmamento vestiunt; sunt vt plurimum frigidissima, vt nitrosa omnia, quorum natura ex sale, aëre & aura multa conglobatur, vt legere potes capite de Nitro. Huic valde affines sunt nix, pruina, nubes, glacies, tonitru, fulmen. Ascendentia vero sunt sulphurea, aquea & aërea. Et hæc de ignis natura. Iam de eius officio dicendum. Ignis autem officium consideratur quatenus est naturæ instrumentum. Nam sicut artis, ita naturæ ratio in instrumentorum patorum cum motione, tum dispositione consistit. Verum in hoc differt à natura, quod ars est radius hominis, natura vero Dei: In arte materia circa quam se se exercet artifex, diuersa est ab instrumentis quibus vtitur: in natura vero materia & instrumenta idem sunt. Et in hoc differunt Plato & Philosophi veteres ab Aristotele, quod hic materiam vere passiuam posuerit: illi vero alia principia materialia inuexerunt, quæ forent instrumenta illius supremæ causæ.

Primum autem quod in iis venit aduertendum, est eorum aptitudo ad vsum in quem sunt ordinata. Loquimur de aptitudine extra compositum, & non in composito. Atque vt ab igne incipiam, circa composita naturalia clarius est eius officium: vt vstione & coctione partes dissoluat, vt calefaciat & luceat. Cum autem ea solutio acumine fiat, quemadmodum Plato

ostendit, subtilissimum esse oportuit. Liquet enim cuneum debere fissuræ respondere. Alioquin si crassior, partes contunderet, non diuideret. Est enim ignis instar cunei, per interstitium partium viam molientis, qua ipsæ possint ab inuicem diuidi. Quod quidem interstitium est minimum, cum quo inuicem cohærent partes illæ, partes inquam minutissimæ, inter quas ingressum tentarunt per illarum diuisionem.

Ex prædictis igitur discimus, quod ignis est purissimum & nobilissimum omnium elementorum, per se incorporeum; Naturæ cum compositionis, tum destructionis instrumentum, per spiritus suos emissarios accedentes & recedentes, mundi & naturarum renouationem procurans, vnctuositate corrodente refertum, penetrans vltra modum, digerens & impensè adhærens, habita ratione peregrinorum corporum indutorum, visibilis, veste exutus, inuisibili, grauis in cõposito, leuis extra compositum, fixissimum, calidissimum, & siccissimum elementum. Velocissimum quoque esse multa demonstrant, quæ non sunt huius loci; potissimum illius illuminatio, quæ velocissimè fit.

Diuiditur in quinque gradus, secundum longitudinem suæ pyramidis. Quorum primus ex purissima suæ substantiæ parte in illam substantiam extẽsi cessit. Minus autem pura parte relicta, in lucem facta est: tertia vero in splendorem luminarium, præcipuè Solis. Sed hoc gradu ignis huic tertio ordini impuro, primus

aëris gradus purissimus adiunctus fuit. Quartum vero ordinem sub sphæra cælorum collocauit, & hunc lumen vocamus. Quintus vero & impurissimus remansit in centro terræ, tenebrosus, vnctuosus & destructiuus, & per apicem pyramidis figuratus. Hi sunt gradus ignis distincti, quamuis reuera inter se sympathiam quandam habeant. Denique Sali, vt terræ suæ cælesti, & terræ, cælo suo terrestri, quasi masculeis & fæmineis communia rerum faciendarum seminaria imponit. Hoc elementum omnium nobilissimum est in omnibus rebus, licet sensu non percipiatur: & non nisi intercedente sua actione, nec generatur, nec corrumpitur, sed accedit & recedit vt naturæ munera subeat. Et hoc testantur lapides & ligna, immo & metallorum dura corpora, in quibus est ignis, quamuis non videatur, neque sentiatur eius calor, nisi violenter excitetur, aut accendatur per motum aliquem. Sed vt compendio prædicta concludam, sciendum duplicem esse ignem: Corporeum & incorporeum. Corporeus in se suum habet elementum, tanquam inhabitatorem; & illud elementum in se habet sua astra, & semina, è quibus enatum est cælum stellatum. Et sicut è terra productæ sunt herbæ & arbores: ita ex cælo corpora stellarum, & manserunt in cælo, natantia in suis orbibus, velut pisces in aqua, aut aues in aëre. Hæ stellæ sunt fructus ignis, qui veniunt ex inuisibilibus astris ignis. Ex elemento ignis hi veluti flores enati

sunt. Stellæ istæ, vt omnia alia creata, duplices
sunt: Corporeæ & incorporeæ. Corporeæ à
nobis videntur. Incorporeæ vero inuisibiles
sunt, & syderei spiritus in hæc inferiora in-
fluentes aspectum nostrum fugiunt. Vt Solis
corpus non est verus Sol, sed spiritus in corpo-
re latens: ita ignis non est corpus, sed spiritus
sydereus in hæc inferiora agens, & alieno sem-
per corpori insidens, memoriali animæ in ele-
mentatis facultati correspondens, fixus semper
& permanens.

DE AERE, EIVS *natura & officio.*

CAPVT XXII.

AER est quasi quoddam spatium, per quod
animantia gradiuntur, & in quo plantæ
crescunt, & per quod influxus cælestes descen-
dunt ad hæc inferiora, & per quod aqua in for-
mam vaporis ascendit, & in vnam molem in-
gentem cogitur, per ipsius ambitum spatiatur,
tandemque in minutas guttas descendens ter-
ram replet, & repetit. Necesse ergo est aërem
esse tenuem & rarum, vt facile cedat. Non ta-
men tantam subtilitatem nactus est, quantam
ignis. Neque debuit ita res diuidere, sed con-
seruare, ideóque non debuit tantæ esse veloci-
tatis. Extra est volatilis & mutabilis, sed intrin-

cè inuisibilis & fixus. Caliditatem & humiditatem eius, ignis temperat. Est volatilis, sed fixari potest; & quando fixatur, reddit omnia tenuia, & ad penetrationem apta. Ex purissima eius substantia nutriuntur spiritus vitales animalium. Substantia eius simpliciter pura, exaltata est in cælo æthereo, & cùm tertio gradu ignis admiscetur. Pars autem crassior remanet in regione sua. Tertia remanet in aqua, & circulatur cum ipsa, sicut ignis circulatur cum terra. Quarta circulatur cum terra, & reddit ipsam porosam.

Hoc elementum est verus locus, seminarium & receptaculum vniuscuiusque rei. Et sicut in homine est semen imaginarium: eodem pacto in hoc elemento itidem est semen, quod post diuturnam circulationem & motum includit se in spermate. Hoc elementum obtinet formam integram & exemplarem, quam denuo distribuit per sperma, & menstruum mundi, vnicuique speciei seminis suam propriam matricem exhibens. In aëre etiam omnium sunt semina. Continet enim spiritum vitalem omnium creaturarum, & includit semen ad alia elementa. Aër etiam nutrit alia elementa, ea conseruat, imprægnat, & vitam tam Vegetatiuam, Animalem, quam Mineralem aliis elementis impertit. Absque eo aquæ putrescunt, ignis extinguitur, pori etiam terræ eo conseruantur. Dum eo priuantur animalia, moriuntur. In hoc elemento omnia integra sunt

per ignis imaginem, quam gerit. Est enim ignis & auræ siue Mercurij imago, & Sulphuris vt maris, tum aquæ vt fœminæ exemplar. Quin etiam repletur virtute diuina. Nam spiritus Domini includitur in ipso, qui ante mundi creationem ferebatur super aquas.

Hæc quum ita sint, quis inficias ibit, ipsum aliquam Diuinitatis particulã non reliquisse?

In hoc elemento includitur vis quædam magnetica à creatione mundi, per quam attrahit suum alimentum, cuius ope crescit & multiplicatur. Alioqui non fieret generatio. Et sicut magnes attrahit ad se ferrum: eodem modo aër per magneticam suam vegetabilemque virtutem in suo semine contentam, attrahit ad se alimentum suum è menstruo mundi, quod est aqua. Hæc omnia officia in aëre dispensantur, cum sit ipsa aqua, aquarum conductrix. Et virtus illa magnetica attrahendi alimentum, ideo ipsi concessa, & in centro omnium seminum inclusa est, tum virtus attrahendi balsamum illud radicale. Et hæc quoque virtus, quæ in omnibus seminibus deprehenditur, est minima pars eiusdem seminis. Elementum igitur aëris est matrix & domicilium spiritus vitalis, & anima omnium creaturarum. Et sicut de igne & aliis elementis dictum fuit, ita de aëre dicetur, duplicem nempe esse, incorporeum & inuisibilem, aut alieno corpore ornatum, quod quasi corpus est, & habens in se suum astrum & elementum, tanquam inhabitatorem. Hoc ele-

mentum non proprio,ſed peregrino ſemper induitur corpore, & per illud ſenſibus noſtris ſeſe obiicit. Denique eſt vtiliſſimum naturæ inſtrumentum, per quod aliæ elementorum operationes & diſpenſationes mutuo perficiuntur; ſenſui communi in elementatis ſimilis, leuis ſemper & volatilis.

DE ELEMENTO aquæ, eius natura & officio.

CAPVT XXIII.

AQVA, quæ nauigationi & piſcium natationi deſtinata eſt, debuit eſſe minus firma quam terra, quæ cum non cedat, talem congreſſum non permittit; magis tamen quam aër, vt ponderi ferendo par eſſet. Eius eſſentia debebat leuior eſſe, vt ab igne eius gremium ſubeunti, ſublimè ferretur, vt dictum eſt. Huic neceſſe fuit aliquod inter partes ſpatiũ ineſſe, in quo ſe facile conderet, & vt partes quaſi in centro ſeſe condentes, per circumferentiam vnirentur, ne ignis facilè auolaret. Item ad refrigerium debuit eſſe tenuis, quo facilè flueret, & poros intraret. Debuit tamen eſſe aëre & igne denſior, vt ignis interni nimium ardorem reprimeret ſua denſitate. Hoc elementum eſt valde graue, imo terra ipſa grauius. Sed multo leuius ſpiritu & ſale: vnctuoſo phlegmate re-

fertum. Externè volatile est, sed internè fixum, frigidum & humidum. Aër ipsum temperat. Est sperma mundi, in quo semina omnium rerum conseruantur. Custos & promptrix est omnium seminis specierum. Sciendum quoque aliud esse sperma, aliud semen. Terra est receptaculum spermatis, aqua est matrix seminis: Omne illud quod inserit aër in aquam, aqua per ignem ingerit in terram: Proinde, vt ait Cosmopolita, facilè immiscetur omnibus rebus. Propter volatilitatem superficiei corporis eius, est receptaculum naturale seminum. Et sicut terra resoluitur & purificatur in ea, eodem pacto aër congelatur in ea. Centrum eius est menstruum mundi, quod aër penetrat: & virtus caloris aërei attrahit secum ex hoc centro vaporem calidum, qui causa est renouationis omnium rerum, quarum terra impraegnationem habet, sicut matrix. Et cùm matrix saturata est semine, si quid nasci debeat, apparere facit, & natura absque intermissione operatur super illo opere, quousque ad extremam perfectionem produxerit, & postea cessat: sic natura separat totum quod restat humiditatis quod est sperma; & quod per calorem putrescit, & postea fit aliud corpus, aliquando etiam fiunt bestiolę diuersi generis: Eodem pacto natura, prima putrefactione producit res puras: secunda autem putrefactione puriores. Ex prima enim putrefactione fit planta, ex planta autem putrefacta fit vermis, corpus multo nobilius.

Diuiditur hoc elementum in tres partes, quarum vna simpliciter pura, altera purior, tertia purissima. Ex hac cæli facti sunt. Minus pura concurrit cum aëre. Maximè vero impura remansit in sua sphæra, quæ cum terra non nisi vnum habet centrum: hæcque pars crassior conseruat subtiliorem. Sciant igitur omnes artis indagatores, aquam & terram non constituere nisi vnum globum, & simul iunctas facere omnia. Hæc duo elementa palpabilia sunt, in iisque reliqua duo occultantur. Ignis impedit terram, quominus submergatur, aut dissoluatur. Aër impedit ignem, ne extinguatur. Aqua impedit terram, ne comburatur. Sufficiat igitur hac vice aquam esse sperma, & menstruum mundi, & vniuersi seminis receptaculum.

Aqua duplex est, corpus & elementum. Corpus non est elementum, sed veri elementi domicilium. Elementum enim est vita & spiritus, in quo astra aquæ iacent, quæ instar masculi ex abysso & matrice sua proferunt Mineralia, Veget. & Animalia. Cuiusque etiam elementi astrum in peregrina matrice parit, suosque fructus deponit. Ignis fructus in aëre, aquæ in terram. Sic nix ab igne (res mira) generata, in aëre, aqua & terra reperitur. Aërei fructus ex centro ad circumferentiam prodeunt. Semina in terræ gremio pariunt, deinde ad superficiem tendunt. Terra vero in aërem suos fructus protendit. Ita elementorum

vniuersorum procreationes ad mundanam prouinciam certatim quasi confluunt. Sic eadem diuina prouidentia fieri videmus, vt aqua non plus producat, quam terra enutriat: aër foueat, quam ignis absumere possit. Denique hoc elementum promptrici animæ facultati correspondere dicimus, proinde leuis semper, fæminea & volatilis.

DE TERRA, EIVS natura & officio.

CAPVT XXIV.

TERRA, locus homini datus, vt isthic militiæ suæ stipendia mereretur. In hac sunt fœcunda generationis semina, tanquam in promptuario longe ditissimo: stat enim vt basis mundi, & centrum, quo excepti cælitus radij, tanquam è speculi cauo, ad animanda fortius singula, & vt per orbis totius amplitudinem prodirent Animantium, Plantarum, Metallorum corpora. Aquarum sedes est, quasi quoddam penu locupletissimum, refertum omnibus quæ ad omnium nutrimentum requiruntur. Firma debuit esse & immobilis: ideoque exiguum inter partes interstitium desiderabat, nempe quantum ad motum solummodo esset necessa-

ria. Crassiorum quoque partium debuit esse, quod nullam subtilitatē petat earū vsus minutissimus. Hæ partes, in quas terra diuidi queat, crassiores sunt si cum aliorum elementorum subtilitate comparentur. Terra igitur est elementum, in sua qualitate satis dignum, in qua sex elementa reliqua conquiescunt, sed principaliter ignis. Valde apta est occultare & manifestare omnia, quæ ipsius custodiæ committuntur. Est crassa, porosa, opaca, grauis, si consideraueris eius officium; sed leuis ratione suæ naturæ. Est centrum mundi, & aliorum elementorum: & per eius centrum transit axis mundi, ab vno in alium polum. Spongiosa est valde, & ex se incapax est productionis, sed excipit quicquid cætera elementa in ipsam iniiciunt. Abscondit abscondenda, manifestat similiter manifestanda, vt dictum est. Sterilis est, sed receptaculum eorum est, quæ à reliquis elementis producuntur, & omne quod ab illis producitur, remanet in ipsa, & per calorem motiuum putrescit, & etiam multiplicatur in ipsa. Post separationem puri ab impuro, quod graue & ponderosum est remanet in terra, & calor centralis emittit ad superficiem quod leue est. Ipsa ergo est nutrix omnium seminum & commixtionum. Aptitudinem habet solum conseruandi semen & compositum vsque ad maturitatem perfectam. Est opaca, frigida & sicca: sed humiditas aquæ temperat & siccitatem eius. Extrinsecè visibilis

est & fixa, sed in intrinseco est inuisibilis, & volatilis. Fuit virgo creationis.

Hoc elementum in duas partes est diuisum, in puram & impuram. Pars pura inseruit aquæ vt producat omnia. Impura manet in suo globo. In centro huius elementi perhibetur esse ignis Gehennæ, qui conseruat machinam hanc in suo esse, expellendo aquam subterraneam, vsq; ad aërem. Hic ignis Gehennæ seu centralis, cum sit grauus ab empyreo igne valde remotus, & in centro aut loco compacto inclusus, sit omnino destructiuus. Proinde dum egredi, & in liberiori campo spatiari conatur, expellit à se aquam vsque ad aërem. Qui vbi à calore Solis & astrorum influentiis, aëre temperatus, exceptus & attractus fuerit, educit vsq; ad aërem, omne illud quod expellere conatur ignis supra terram. Similiter maturare facit quicquid terra suo sinu concepit.

Quo pacto terra cum igne magnam habet affinitatem, qui est ei intrinsecus; neque purificatur nisi per ignem. Nam vnumquodque elementum purificatur per illud, quod sibi est maximè intrinsecum. At intrinsecum seu centrum terræ est substantia Salis purissima igni mixta. In quo centro nihil remanere potest, cum sit quasi locus vacuus, in quem reliqua elementa indunt quicquid produxerunt. Et hęc de terra, quam dicimus esse spongiosam, & aliorum elementorum receptaculum.

Postremo est externa & visibilis, interna &

inuisibilis. Externa non est elementum, sed est corpus elementi. Elementum enim terræ, spiritus & vita est, in quo astra terræ iacent, quæ per corpus terræ omnia crescentia producunt: nam à reliquis elementis fœcundata, omnium ex se est gignitiua. Sic arbores, plantæ, gramen, & omnia terræ crescentia sunt corpora astrorum & fructus terræ, & ex inuisibilibus astris suos ferunt fructus, vt flores, pyra, cerasa: & quilibet horum fructuum iterum est astrum & semen.

Hic porrò est ordo. Terra quam videmus, est matrix continens spiritum, in quo astrum est. Hoc astrum est semen, puta arboris. Hæc arbor habet in se astrum terræ, quod producit fructum. Hic fructus in se habet astrum seu semen, ex quo omnia producuntur. Denique conceptrici facultati phantasmatum, rationum & exemplarium, in elementis, in elementatis vero vitro similis.

Sed exactiorem terræ analysin qui desiderat, è Capite de Vitro Antimonij quærat.

DE

DE MIXTO, MIXTIONE *& generatione, tum his superuenien-te transplantatione, leuis adumbratio & superiorum quasi Epilogus.*

CAPVT XXV.

IACTIS nunc ex consensu Hippocratis & & antiquorum, solidis & inconcussis Physicæ Pyrotechnicæ fundamentis, æquum esse duxi, mixti naturam, leui tantum adumbratione obducere, hicque pedem compositiuæ Methodi figere, & ad Analysin mixtorum, ignis adminiculo, viam sternere, qua iuniores in hoc paruo volumine compendium studiorum inuenientes, à magnorum & dispersorum voluminum fastidiosa varietate & lectione liberati, immortalis beneficij gratias incessanter reddere dignentur. Sed quo felicius intelligatur natura mixti, sciendum de necessitate sequi ex illis quæ *capite quarto* dicta sunt, quod oporteat non mixta, esse ante ea quæ mixta sunt; & perfecta, ante imperfecta; & integra ante partes, & ante ea quæ sunt in aliis, ea quæ in ipsis sunt. Quibus positis, ex propositione *secunda quarti, tum quarta octaui, itidem & nona decimi*, & ex aliis multis precedentibus locis, facile erit col-

ligere elementa (de quibus nunc egimus) in ſuis fontibus quondam vnita, nec officiorum varietate, nec multitudine diſtracta fuiſſe. At poſteaquam æternæ legis ineuitabili decreto, ſęculi mundani œconomiam adminiſtrare iuſſa ſunt, eſſentiis, exiſtentiis, vitis, officiis (vt incorporeis & inſenſibilibus elemẽtis) ſeparata ſunt: ita vt quę antea in ſe ipſis, tandem in aliis conſpiciantur, vt fructuum conſtanti multiplicatione, generationum & tranſplantationum viciſſitudines moderarentur. Et quemadmodum eſſentia, exiſtentia, vita, à parentum ſuorum dignitate, perfectione, puritate & poteſtate plurimum diſcrepant: ita vlterius progreſſurę & in corpoream ſcenam hic peregrinaturę loca, matrices, receptacula, nutrices obtinuerunt à primorum elementorum, domiciliorum, nutricum, ſimplicitate, vigore, poteſtate, virtute tantundem diſcrepantia, quantum partes minimæ, ad mutuum contactum feſtinantes, ab vnione mixti, (veram exemplarium vnitatem æmulante,) diſtare deprehenduntur. Et hæc eſt corporũ origo, ex quibus præſupponimus mixtũ. Supereſt vt ad ipſam mixtionẽ accedamus, quæ ſi modo recte fiat, vt ait Socrates, referente Proclo in Theologia Platonicorum lib. 3. cap. 11. tribus indiget, pulchritudine, veritate & ſymmetria. Neque enim turpe mixtionis rectam rationem præbet, peccati enim & inordinationis eſt cauſa, aut per auaram fraudationem, aut immoderatam habendi cupiditatem

Neq; veritas, à puris & vere possessis separata, ipsam mixtionẽ fieri sinit, sed simulachris, & iis quæ nõ sunt, hoc est, imaginibus totum replet. Nec sine symmetria, communio vlla erit elementorum. Opus igitur est symmetria ad vnionem eorum quæ commiscentur, ad conuenientem communionem, veritate ad puritatem, pulchritudine ad ordinẽ. Pulchritudo est causa ipsi mixto vt sit mente perceptum, veritas vt sit vere, symmetria vt ipsum ens sit vnum. Et cum cuncta viuentia, vitæ vnitate, principia & exemplaria sua imitentur, mixtionem quasi omnium elementorum & principiorum in vnum cõspirationem, & vnionem molita sunt, cuius subiectum, sunt elementa & corporum principia, ex alimentis virtute & scientia spirituum mechanicorum producta; & definitur, *Elementi vitalis & seminary, in minimas seu atomicas partes materiæ, ad mutuum contactum motus, vt fiat vnio; proximum omnis generationis instrumentum.* Et tunc primo mixtio fit, cum ex incorporeis corpora, sed plane spiritualia conficiuntur, estque elementorum inter se, elementorum cum principiis, principiorum inter se & omnium simul. Et cum mixtio definiatur per motum, motorem addere æquum fuit, nihil enim fit sine causa: Elementa autem quatuor vulgaria simplicia, mouere se inuicem ad mixtionem non possunt, cum non habeant nisi vnum motum, vnius enim simplicis corporis vnicus est tantum motus. Et si ex vulgaris Philosophiæ

principiis mixtum definiretur, dubitandum esset, quibus internunciis tam iustis & consentaneis ponderibus, ad comitia confluant, quibus mensuris, portiones illas exiguas dissecant, qua iustitia positiones atomicas absoluant. Nec satis est qualitates definire, sed originem, naturam, proprietates, differentias, actiones qualitatum, sicut supra à nobis demonstratum est, declarare oportet: hoc enim Medico est omnino necessarium. In summa motorem adjungere oportuit, principium vitale, scientia instructũ, formam, speciem, vinculum; cuius potestate & infallibili scientia tam diuina mixtionis officia administrare possint. Hoc vinculum, hunc motorem, qui ignorat, legat præcedentia, in primis quæ à me tradita sunt propositione *secunda cap. 6.* Tum capite de elemento Mercurij & alijs passim infinitis locis.

Modi autem mixtionis fiunt iuxta corporum principia, elementa & seminariam mixti rationem. Alia enim est prima & perfecta, alia superueniens siue corruptibilis, ex quibus tres mixtionum ordines conficiuntur. Aut enim miscetur perfectum perfecto, longaque obtinent digestionum tempora, priusquam ad dissolutionem perueniant; vel impurum & corruptibile corruptibili, & denique perfecto corruptibile, tantum inter se distantes, ratione subiectorum, quantum distabunt vniones, termini vel durationes: impura enim confestim ad interitum festinant, serius ocyus secundum sub-

iectorum analogiam. Et cum mixtio sit seminum ad generationem procedentium instrumentum: cuius ministerio elementa & corporum principia, seminibus domestica colligata, vnitatem suorum exemplarium æmulantur vitali virtute mechanicorum spirituum. Transplantationem vt symptoma generationi (interueniente mixtione) accidere credimus. Et quandoquidem alimenti attractio est primum generationis phœnomenon, non mirum si iuxta alimenta propria, & vnicuique radici seminariç consentanea, speciem efformauerint radici similem. Si vero haud opportuna fuerint, si tincturis & seminum facultatibus inęqualia fuerint, sed potius locorum & matricum rationem magis obtinuerint, tunc pro generatione transplantationem conficient, fietque quod non volunt semina, alienas & peregrinas signaturas accipiendo. Sic sisymbrium in Mentham, Rapa in Raphanum, Imperatoria in Angelicam, triticum in lolium, ocymum in serpillum, angelica in imperatoriam degenerat. Ita in genere mineralium, ex radicibus plumbi transplantatur adamas, ex radicibus Lunę Sapphirus, ex radicibus veneris Smaragdus, ex radice Martis Berillus. Indiuiduę pręterea metallorũ transplantationes vbique conspiciuntur; in metallis, quorum semen est hermaphroditicum; in Marchasitis, Sulphuribus, Salibus, Thermis. Quin etiam artificiosæ trãsplantationes saliũ, vt Aluminis, Vitrioli, salis, nitri, Ammoniaci, Sul-

phurum Antimonialium, Cupri, Ferri, Plumbi, Stanni, naturę mirabilem potestatem satis ostendunt, de quibus copiosè in multis locis Paracelsus Tũ doctè Seuerinus Danus in admirabili suę Medicinæ Philosophicę Idea, cuius mentẽ iuxta diuini Platonis, tum aliorum veterũ Philosophorum pręcepta, expressam, facile quiuis percipiet, modo in Veterum lectione vel minimum exercitatus fuerit: consensumque Hippocratis & Antiquorum passim inueniet. At si ex vulgari tantum Philosophia quisquam instructus, eminus salutauerit experietur, quantis quamq; infinitis difficultatũ fluctibus sese obiiciet, nisi prius diuturna & pertinaci veterũ lectione, quasi Ariadneo filo, sese liberauerit & aculeos inde strenuos acquisiuerit, quibus possit in huius penetralia sese insinuare. Sed si occasio, tẽpus, vsus librorum tibi non suppetat, in hoc casu meis hisce vigilijs, laboribus & obseruationibus instrui te non pigeat. Inuenies enim quęcunq; à veteribus sparsim, & tædiosa voluminum nimis cõpage comprehenduntur, coarctata, & in compendium redacta, non tam immenso labore & industria excogitata, quam diuturna viginti annorum experientia & fide publica confirmata. Quod si aliquo pacto hæc mea tibi placuerint, cogita benignum & humanitatis plenum esse fateri per quos profeceris: & si in hoc studij genere ex antiquorum lectione aliquid nobilibus ingeniis dignum proposuisse videar, tibi, diuine Plato, acceptum re-

ferre par est. Nam vt verbis Lucretij vtar.

--------Tu aurea nobis
Suppeditas praecepta, tuisque ex inclute chartis,
Floriferis vt apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea perpetuâ semper dignissima vitâ.

Hisce igitur iactis naturæ fundamentis, qui in reliquis Theoriæ & experientię labores certissimo ignis examini vbique coniunxerit, artem constituet, principiorum inuicta veritate stabilitam.

Finis secundæ partis.



PARS TERTIA CVRRICVLI CHYMICI:


DE VOCABVLIS CHYMICÆ OPERAtioni inseruientibus.

Ex curriculo W. D. Doctoris Med. in vsum auditorum suorum excerpta.



PARISIIS,
Apud IOANNEM BESSIN, prope Collegium Remense.

M. DC. XL.



ILLVSTRI ET NOBILISSIMO VIRO D. HENRICO PERSY, ILLVSTRISSIMI COMITIS NORTHVM-BRIÆ FILIO.



Vamquam Maiorum Nobilitate, virtute, & gloria, longa iam annorum ſerie ſplendeſcas (vir illuſtriſſime) *hiſce tamen titulis, licet ſummis, quibuſque ſeſe iactat maxima pars mortalium, gloriari nefas exiſtimares: ni innatis, inſitiſque dotibus potius, quam alienis te nobilem vtique oſtenderes. Hoc*

præstas, dum animã origine quidem sublimẽ, sed in lutea hac corporis capsula degentem (quasi altera Pallas Homerica Nausicaen de somno compellans,) ad superbum virtutis culmen superãdum tua sponte inuitas, & impellis, quò immenso, & peculiari mentis conamine, patrum nobilitatem tibi propriis tuis laboribus adscribis. Quibus præclaris virtutum encomijs Maiorum tuorum splendori respondes: vt merito auorum manes, qui inter primos inuictissimæ gentis Anglicanæ proceres virtute, & fortuna pari claruere, se tanta prole beatos deputauerint. Horum bene præclaréque gesta, æternam suo, venturisque sæculis peperere me-

moriam, facilemque tibi ad virtutem & gloriam fecere aditum. Queis plurimum confert bene nasci, & clara stirpe procreari, ac ima & infima plebe iam inde ab ortu eximi: his tamen ni accedant peculiares & propriæ dotes, non immeritò in illos quadret, quod Ajaci olim πολύτροπος *Vlysses exprobrat.*

Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.

Proinde, cum auorum nobilitatem propria virtute exornas, eorumdem imagines & monumenta iure merito tibi vendicas, dispersamque in multis famam, & gloriam in te vnum cogis.

Dum te rerum natura creatrix
Pluribus ornatum voluit præcellere rebus.

Et vt educationem taceam liberaliorem, indoles generosior,

animique vigor, & magnitudo claro ortum ſanguine à limine te clamitat, cuius rei ſingulare in me ſpecimen exhibuiſti. Nam cùm hic Lutetiæ Pariſiorum graui, ne dicam lethali, febre correptus decubuiſſes, meam libuit operam adſciſcere, quâ tandem, fauente diuino Numine, vbi ad optatam priſtinæ ſalutis metam rediiſſes, me illico arctioribus ſincerioris amicitiæ teſtimonijs, certiſſimo liberalis, & ingenui tui animi indicio, cumulatè complexus es. Huc acceſſit præclara inſuper, longeque amplior, quam par fuit, remuneratio. At hæc benignitati, & grato animo metas non poſuere. Sed vt altiores liberalitatis, & beneuolentiæ tuæ

erga me radices ageres, succedentibus dein annis aliquot, dum te secundò Gallia exciperet, iterato me beneficiorum cumulo prosequi non sat esse duxisti, ni etiam illustrium tuorum amicorum fauorem, & gratiam abunde mihi conciliares. Hæc ego certißima beneuolentiæ tuæ pignora tanti facio, vti iure tibi me, meaque omnia consecrare non dubitem: adeoque tertiam hanc Curriculi Chymiatrici partem sub tui nominis auspicijs in lucem emitto, vt tuo patrocinio, ceu Palladio munita, apud bonos authoritatem acquirat, & inuidorum virgulam & linguam censoriam contemnat. Munusculum hoc qualecunque, etsi tuis in me me-

ritis longè impar, quæso, boni consulas: aut si mauis, non munus, sed obseruantiæ pignus pro tua humanitate ducito. Hoc pacto, acriori me stimulo ad maiora aliquando offerenda induces. Interim nusquam non paratum inuenies.

Noctes vigilare serenas,
Quærentem dictis quibus & quo numine demum
Clara tuæ possim præpandere lumina menti.

Viue igitur diu, & vale, Clientisque me titulo beatum pro solito protege, qui sum ex animo

Tui obseruantissimus & addictissimus

W. D'AVISSONVS
Scotus Med. Doctor.

- Gradus separationis comprehenduntur
  - Corruptione, quæ est, Chymica operatio, continuitatem corporis dissoluens, impuritatesque omnes separans; cuius duplex officium.
    - Soluere compagem rei; quod fit duobus modis.
      - aut
        - Redigendo corpus in minimas partes.
          - Illius species sunt octo.
            - *Limatio.*
            - *Rasio.*
            - *Puluerisatio.*
            - *Incisio.*
            - *Læuigatio.* — Huius sunt species.
              - vel
                - Fusio,
                - Dissolutio.
                  - Quæ si fiat
                    - cum
                      - Calore,
                        - de Metallis propriè fusio dicitur; de pinguedinibus animalium & vegetabilium, vt lachrymæ & resinæ, propriè liquatio dicitur.
                        - vel
                          - cum
                          - Menstruo
                            - Tunc vsum habet in succis inspissatis, & propriè dissolutio dicitur.
                            - Tunc vsum habet in salibus & calcibus, & tunc propriè deliquium vocatur.
                          - sine
                    - sine
            - *Contusio.*
            - *Granulatio.*
            - *Laminatio.*
        - Faciendo corpus fluidum.
          - Huius octodecim.
            - *Putrefactio.*
            - *Maceratio.*
            - *Fumigatio.* — Quæ fit in sicco & in humido.
            - *Cohobatio.*
            - *Præcipitatio.*
            - *Amalgamatio,*
            - *Destillatio.*
            - *Rectificatio*
            - *Sublimatio.*
            - *Calcinatio.* — Duplex est.
              - Actualis
              - Potentialis
                - fit
                  - Quando vi ignis materialis. res in calcem redigitur.
                  - Quando vi ignis essentialis res in calcem redigitur.
                    - Ad hanc referuntur.
                      - *Præcipitatio.*
                      - *Fumigatio.*
                      - *Stratificatio.*
                      - *Amalgamatio.*
            - *Extractio*
            - *Expressio.*
            - *Digestio.*
            - *Euaporatio.*
            - *Exhalatio.*
            - *Coagulatio.*
            - *Cæmentatio.*
            - *Fulminatio.*
    - Separare purum ab impuro; quæ duplex est.
      - Materialis.
        - Quæ externas solùm substantias & apparentes impuritates tollit à se inuicem.
      - Formalis.
        - Quæ non solùm substantiam separat, sed etiam purum illud à capite mortuo in vase relictum educit, partesque homogeneas cōgregat, heterogeneas separat.
          - Eius species sunt
            - Prima quæ generatim separat habita ratione totius naturæ.
              - *Cribratio,*
              - *Ablutio,*
              - *Detersio,*
              - *Expressio,*
              - *Effusio,*
              - *Colatio,*
              - *Filtratio,*
              - *Despumatio.*
              - *Subductio.*
            - Secunda.
              - Quæ impuritatem & alienitates à relictâ purâ substantiâ aufert & ad altiorem virtutis gradum deducit.
                - Vt & huius.
                  - Illius sunt species.
                    - Quinque.
                      - *Destillatio,*
                      - *Sublimatio,*
                      - *Rectificatio,*
                      - *Dissolutio,*
                      - *Extractio.*
                    - Huius tres sunt species.
                      - *Per ascensum.*
                      - *Per latus.*
                      - *Per descensum.*
                  - Quinque.
                    - *Digestio,*
                    - *Euaporatio,*
                    - *Exhalatio,*
                    - *Cæmentatio,*
                    - *Fulminatio.*
  - Generatione, quæ est noui ac propositi medicamenti ex impuro & crudo corpore eductio, & habet sex operationum species.
    - *Fixationem,*
    - *Volatilisationem.*
      - Ambæ
        - Absoluuntur quinque subalternis operationibus quæ sunt,
          - *Extinctio,*
          - *Maceratio,*
          - *Inceratio,*
          - *Sublimatio,*
          - *Solutio.*
    - *Circulationem,*
    - *Coagulationem,*
    - *Incerationem,*
    - *Digestionem.*
      - In hac duo obseruantur.
        - Primò
          - Vel noua qualitas introducitur, seruatâ prioris medicamenti formâ.
        - Secundò.
          - Vt si consistentia corporis mutetur, & qualitates nouæ introducantur.
            - Gradus omnes separationis perficiuntur mediantibus igne, vasis, & fornacibus. Ignis autem agit super materiam.
              - vel
                - mediatè
                  - Cum vas aliquod interponitur inter ignem & materiam.
                - immediatè.
                  - Cum nihil interponitur, & dicitur ignis nudus; horum duodecim sunt gradus. De quibus cōsule vltimā tertiæ partis pagellam.



DE FINE SEPARATIONIS.

CAPVT PRIMVM.

DVPLICEM ob finem, Chymici, ſicuti duplicem peccati labem deprehenderunt, in mixtis ſeparationem inſtituerunt. Vnum propter impuritatem, tam ſubſtantiæ quam qualitatis: alterum propter contumacem corporis duritiẽ. Quia non tantum tractabilem ſubſtantiam, vt ſpiritibus mechanicis cedat, reddunt: ſed etiam qualitates, aperiendo interiora clauſtra, mutant. Quod cùm non leuis ſit artificij, & naturæ potius quàm artis opus eſſe videatur: non immeritò magnis ſtudiis & longa experientia, Philoſophi hermetici multas & infinitas operationes naturam imitantes inuenerunt: quas omnes ſub vita & morte incluſerunt, iuxta illud Phi-

losophorum, *mortuum fac, & resuscita*, id est ad generationem & corruptionem. Sub hac, quæcunque ad continuitatis corruptionem tendunt: sub illa, quæ ad regenerationem & nouæ formæ vel qualitatis inductionem pertinent, comprehenduntur.

DE GRADIBVS SEparationis puri ab impuro.

CAPVT II.

GRADVS separationis omnes comprehenduntur sub generatione & corruptione. Corruptio est Chymica operatio, continuitatem corporis dissoluens, impuritatesque omnes separans, quousque ad debitum gradum perfectionis deuentum fuerit, quem sibi pro objecto proponit artifex.

Et quoniam duo sunt corruptionis officia, nempe soluere compagem rei, & separare purum ab impuro: de vtroque particulatim dicendum erit, & primò de illa corruptione, continuitatem corporis dissoluente, quæ duplici modo fieri potest, vel redigendo materiam, corruptioni destinatam, in minimas partes, aut faciendo rem fluidam.

Octo sunt eius species.

Limatio.
Rasio.
Pulverisatio.
Læuigatio.
Incisio.
Contusio.
Granulatio.
Laminatio.

Limatio eſt ſolutio continuitatis corporis per limam ferream, qua corpus ita præparatum, limatum dicimus. In triplici rerum familia vſum habet.

Rasio eſt huic affinis, niſi quòd in maiores partes diuidat, aut inſtrumento priori ſimili, aut cultello: & corpus ita præparatum, raſum dicitur.

Puluerisatio eſt tritura corporis in puluerem, ſiue in mortario, ſiue alio quouis modo. Huic inſeruit inciſio.

Læuigatio eſt deductio corporis in minimas partes. Eius vſum poſtea audietis. Si corpus fluidum reddi debet, dicitur fuſio vel diſſolutio.

Eſt autem fuſio operatio, per quam tam in nudo igne, quàm cum medio corpus ex ſe ſolidum, fluidum redditur caloris virtute. Si nudo igne operatio fiat, tunc metallorum purgatio-

ni, ſulphuris, antimonii, & vt volatile à fixo diſcernatur, inſeruit. Tumque ſolent artifices ſalem ammoniacum aut nitrum addere, vel ex ſalibus mineralium, vt ſal petræ; aut animalium, vt pinguedinum & adipum: tunc depuratio perficitur per colationem vel ablutionem, vel ſaltem vt cum aliis incorporentur. Vel eſt vegetabilium, vt lachrymarum arborum. De quibus omnibus propriè liquatio dicitur.

Si fuerit cum calore mediato: tunc hoc fit vel in balneo Mariæ, aut cinerum: & eſt oleorum, aut ſalium, quæ nudo igni, ſine ſubſtantiæ ſuæ deperditione, aut periculo aduſtionis, non admouentur.

Si ſine calore, tunc fit cum menſtruo, vel ſine eodem. Si cum menſtruo, tunc vſum habet in ſuccis inſpiſſatis: & propriè diſſolutio dicitur. Si ſine menſtruo, tunc deliquium propriè nominatur, quod eſt concreti diſſolutio per aërem humidum ſeſe in corpus inſinuantem: vſumque habet in ſalibus, calcibus & iis corporibus quæ aliquid ſalis admixtum habent.

In ſalibus totalis fit diſſolutio, in calcibus ſalis tantum à terra ſeparatio: & purificationi ſalium inſeruiunt.

Proceſſus eorum talis eſt.

Sales & calces læuigantur ſuper marmore, dein vitro lato imponuntur (quia fictile penetrant) & in cella humida collocantur, declinando ſuper aliud vitrum, aptum ad recipiendum illud quod fluit guttatim ex pannis laneis,

è vitro continenter dependentibus.

In hac operatione obſeruandum, quod nullum deliquium poteſt eſſe abſque ſale, & vt vaſa ſint talia quæ penetrari non poſſint.

Hactenus de operationibus primæ ſpeciei corruptionis in ſpecie, & eius diuiſione ſubalterna. Sequitur in genere.

DE CORRVPTIONIS *munere in genere.*

CAPVT III.

IN priori ſpeciatim diximus de primo corruptionis officio, & eius ſpecie ſubalterna. Nunc verò generatim de omnibus eſt dicendum.

Eius autem ſpecies ſunt octodecim, de quibus particulatim dicendum.

Putrefactio.
Maceratio.
Cohobatio.
Calcinatio.
Præcipitatio.
Fumigatio.
Amalgamatio.
Deſtillatio.
Rectificatio.

Sublimatio.
Extractio.
Expressio.
Digestio.
Euaporatio.
Exhalatio.
Coagulatio.
Cæmentatio.
Fulminatio.

Putrefactio eſt ſpecies corruptionis, quæ diſſoluit mixtum per naturalem putredinem, eius interna clauſtra reſerando, corrumpendo ſubſtantiam ipſam in calore humido.

Eius proceſſus talis eſt.

Res putrefacienda ſi humore abundet, vt recentes herbæ & flores inciſi vel contuſi; in matratium longi colli imponatur, in fimo equino vel balneo Mariæ tepido locetur ad menſem plus minus, pro iudicio artificis, vaſe diligenter obturato, ne ingrediatur aër & fœtorem rei putrefaciendæ impertiat, ſuper omnia fugiendum, & ne ſpiritus exhalent.

Si parum aut nihil humoris in ſe habuerit: tunc terenda, & humore aſpergenda. Sic putrefactionem accelerabis, & materiam à fœtore liberabis, addendo parum ſalis tartari, aut fermenti acris; tuncque dici poteſt fermentatio.

Maceratio eſt infuſio corporis in menſtruo aliquo ad iuſtum tempus. Cuius apparatus talis eſt.

Res maceranda priùs trita, ſpiramentis vndique occluſis, tepido loco ponenda. Si fuerit vegetabilis, bal. M. aut venter equinus præſtabit B. cinetum, ſæpius in dies agitando materiam. Maneat autem in maceratione, donec menſtruum ſaturatum fuerit tincturâ rei. Quare huius operationis tempus determinatum non deſcribitur. Huius vſus eſt in extractis & in eſſentiis eliciendis.

Regulæ obſeruandæ.

CVRANDVM vt menſtruum idoneum eligatur. Si nempe eſſentia extrahenda, fuerit oleoſa aut aquoſa, opus erit menſtruo oleoſo aut aquoſo: per aliud enim nunquam extrahitur, vt videmus in tinctura ſulphuris, quæ nullo alio menſtruo quam oleo terebinthinæ æthereo extrahitur. Denique conſiderandum quale fuerit corpus ex quo cogitas eſſentiam extrahere: ſi compactum ſit, firmum, rarum aut molle: idem enim menſtruum inſeruire nequit extractioni corallorum & florum.

Cohobatio eſt ſolutio ſiue corruptio partium corporis, frequenti vehiculi reaffuſione. Huius ſemper vſus eſt in deſtillatione.

Calcinatio eſt violenta per ignem corporis in calcem reductio: & eſt actualis, aut potentialis.

Actualis eſt, quando vi ignis materialis, res in calcem redigitur. Eius apparatus talis eſt.

Res calcinanda in minimas partes redigitur, & vasi suo imponitur, siue clauso, siue aperto, vt res exigit, cum additamentis, vt sunt antimonium, sulphur, salia multa, vitriolum; vel sine additamento si sit facilis calcinationis, vt sunt vegetabilia & animalia.

Canones.

Si calcinatio fit cum additamentis, in vase clauso relinquendum est spiraculum pro fumo exituro, alioquin rumperetur vas.

Si sine additamentis, & materia fuerit pretiosa: tunc pomo inuoluenda, & limo obducenda: & priusquam igni admoueatur, lutum optimè siccetur.

Calcinatio potentialis est, qua materia igne essentiali in calcem veram redigitur, & ad hanc referuntur

Præcipitatio.
Fumigatio.
Stratificatio.
Amalgamatio.

Præcipitatio est separatio spirituum aquæ fortis à minerali, priùs aqua aliqua forti dissoluto & in sese rapto, vt in perfecta liquoris aut aquæ specie vbique appareat, eiusdemque in fundum vasis disjectio, per affusionem aquæ salitæ aut salis tartari dissoluti.

Eius

Eius apparatus talis eſt. Materia ſic calcinanda, ſiue ſit metallum, ſiue marchaſita, ideſt medium minerale; ſiue ſint lapides, conchylia, aut eiuſmodi: limantur aut contunduntur, & vitro forti imponuntur: aqua fortis aut acetum deſtillatum, aut ſpiritus quiuis corroſiuus affunditur, vt materiam tres vel quatuor digitos ſupereemineat. Tum aqua protinus agere incipit, corpuſque corrodere, donec opus abſoluat, & nihil amplius materiæ appareat. Si diutiùs cunctetur, quod ſæpe accidit propter duas cauſas, nempe propter nimiam aquæ imbecillitatem, tuncque admouendum erit vas cineribus calidis; aut propter nimiam ſpirituum compactionem, & in hoc caſu additur aqua dulcis, quæ ſeparat & dilatat ſpiritus condenſatos. Abſoluto denique opere, affunde aquam ſalitam, ſiue ſal tartari in aqua ſolutum: & immediatè videbis materiam delabi in fundum, conſiſtentiâ pulueris albi aut flaui, pro natura mixti: quem, vt res poſtulabit, lauabis & deſiccabis ad vſum.

Fumigatio eſt extremarum partium corporis corroſio per vaporem aquæ corrodentis. Duplex eſt eius proceſſus, vel in humido vapore, vel in ſicco. In humido talis eſt operatio. Res fumiganda (quæ vt plurimum eſt ex familia mineralium) in laminas tenuiſſimas contunditur, & intra ollam anguſti orificij, aceto deſtillato vel alio liquore acri ſemiplenam imponitur, lamellæ foramini filo ſuſpenduntur in

olla vndequaque cooperta. Tunc in fimo equino vel calidis cineribus collocatur vas, vt vapor aſcendens ſe ſe corpori inſinuet, & corrodat, tandiu relinquendum, quandiu opus erit; & denuo reiteratur.

Fumigatio ſicca eſt calcinatio metallorum per Saturnum, aut Mercurium, quæ naturali ſuo halitu omnia metalla fragilia reddit, vt poſtea in puluerem redigantur. Sic Mercurius Saturnum, & Saturnus Mercurium calcinat.

Apparatus talis eſt. Mercurius ollæ anguſti orificij imponitur, & ſuppoſito lento igne apponitur lamina ſolis vel lunæ, vt ſuper-aſcendens Mercurij vel plumbi vapor ſe ſe corpori inſinuet & fragile reddat.

Amalgamatio, eſt particularis & propria metallorum calcinatio, qua in calcem vel puluerem ſubtiliſſimum per hydrargyrum rediguntur, ita vt metallum cum Mercurio incorporatum, inſtar butyri in vola extendi poſſit.

Forma procedendi talis eſt. Mercurius imponitur ardenti tigillo, & cum incipit exhalare Mercurius, additur aurum, aut argentum bracteatum, id eſt in folia ductũ. Doſis exactè non obſeruatur, niſi quod opus eſt, vt ſemper ſit ſextuplo plus Mercurij, quam alterius metalli. Tunc omnia agitantur bacillo ligneo: (nam Mercurio non admouetur metallum) donec optime incorporentur. Tunc ſubito extinguitur amalgama, proijciendum in vas aqua pura plenum, in qua abluitur à nigredine, quam à

bacillo ligneo contraxit.

Si ſubtiliſſimum puluerem cupis, contere amalgama ſuper marmore cum ſale, Mercurium euapora, & calcem ablue. Reiteretur amalgamatio vt prius. Et ſic de cæteris ſubalternæ corruptionis ſpeciebus.

DE SVBALTERNA corruptionis ſpecie, quæ eſt ſeparare purum ab impuro.

CAPVT IV.

EXPLICATA ratione qua corporis continuitas ſolui poſſit, nunc agetur de ſeparatione puri ab impuro.

Separatio igitur in genere eſt ſecunda ſpecies corruptionis, quæ docet ſeparare partes corporis ſoluti, tam homogeneas, quam heterogeneas.

Duplex autem eſt ſeparatio, materialis & formalis.

Materialis eſt ſpecies corruptionis, quæ externas ſolum ſubſtantias & apparentes impuritates tollit à ſe inuicem. Eius decem ſunt ſpecies.

Cribratio, quæ ſatis nota eſt.
Ablutio.
Deterſio.

Expressio.
Effusio.
Colatio.
Filtratio.
Despumatio.
Subductio.
Destillatio.

Filtratio fit per colum Chymicum, quod linguam bouis aut lingulam vocamus. Componitur ex panno laneo ſpiſſo. Hæc etiam operatio fit per chartam emporeticam, triangulari forma duplicatam, & dicitur *filtrum Philoſophorum*. Cætera quæ ſatis per ſe ſunt nota, omittimus.

Separatio formalis, eſt ſpecies corruptionis, quæ non ſolum ſubſtantiam ſeparat, ſed etiam purum illud à capite mortuo in vaſe relictum educit, parteſque homogeneas coniungit, heterogeneas vero diſgregat. Cuius duæ ſunt ſpecies. Vna quæ generatim ſeparat purum ab impuro, habita ratione totius naturæ, nempe phlegma, ſpiritum, & oleum à capite mortuo, & à ſale: & puram ſubſtantiam à tenaciter adhærentibus. Huius quatuor ſunt operationes.

Destillatio.
Sublimatio.
Rectificatio.
Extractio.

Altera quæ impuritates, & alienitates (vt ita dicam) à relicta pura substantia aufert, & ad altiorem virtutis gradum deducit. Huic quinque operationes subministrant.

Digestio.
Euaporatio.
Exhalatio.
Cæmentatio.
Fulminatio.

Destillatio est separationis species, qua quod in corpore est humoris, scilicet aqua, oleum, & spiritus, totum illud, vaporis specie, ab ea separatur, quod postea à frigido ambiente congelatum in liquorem à receptaculo excipitur.

Huius tres sunt species.

Destillatio per ascensum.
Destillatio per latus.
Destillatio per descensum.

Per *ascensum* est, cum humor vrgente calore supposito cogitur ascendere è corpore, specie aërea, in alembicum, ibique congelatur & per rostrum destillat.

Ad latus, cum vas, continens & recipiens, vtrumque ad latus inclinat, & dicitur destillatio per retortam.

Per *descensum*, quando vi ignis superpositi humor cogitur descendere.

Canones.

In omni deſtillatione ignis nunquam intermittendus: nam tunc fixantur ſpiritus, & vix vmquam, niſi violento igne, ſeparantur.

Rectificatio eſt reiterata deſtillatio, vt perfectius reddatur opus.

Sublimatio eſt ſpecies ſeparationis, qua corpus, halitus ſpecie, vi ignis in ſublime propellitur, ibíque ab ambiente frigido congelatum ſubſiſtit: & à forma operationis ſublimatio dicitur, & opponitur præcipitationi.

Extractio eſt eſſentiæ corporis per menſtruum ſeparatio, vnde oritur tinctura, quæ poſtea ſeparato menſtruo, vel euaporatione, vel deſtillatione in fundo relinquitur, & dicitur extractum.

DE SECVNDA FORMAlis ſeparationis ſpecie.

CAPVT V.

DIGESTIO eſt ſpecies ſeparationis, in qua materia concoquitur, vt in ventriculo, ſeparando purum ab impuro. In hac nempe humores ſpiſſi ſubtiliantur, aquoſitates & cruditates in ſuccis coquuntur, opaca illuſtrantur,

ad fundum grauia & terreſtria præcipitantur, leuia ſupernatare coguntur. Eaque omnia perficiuntur vi & efficacia externi caloris concoquentis, & continuitatem totius penetrantis, calidum denique innatum ſeu quintam rei eſſentiam in actum redigentis. Eius apparatus docebitur in ipſa operatione.

Euaporatio eſt ſpecies ſeparationis, qua humidum in aërem ſiue vaporem diſcedit.

Exhalatio eſt ſpecies ſeparationis, per quam ſpiritus ſicci per calorem in aëre eleuati abeunt à materia ſicca.

Cæmentatio eſt ſpecies ſeparationis propria metallorum, qua vitia & impuritates metallorum auferuntur, & adulterata metalla & fucatæ tincturæ diſcernuntur.

Apparatus talis eſt.

Olla cæmentatoria circa fundum cæmento ſternitur. Cæmentum autem dicitur materia omnis, ex qua fit cæmentatio, vt eſt ærugo, chalcanthum, ſulphur, & multæ ſalium ſpecies. Sparguntur digiti altitudine in fundo ollæ, prout durities vel impuritas metalli cæmentandi requirit. Strato deinde ſuperponitur aliud ſtratum, metalli laminati, aut limati, deinde aliud ſtratum cæmenti: & ſic per vices vſque dum olla impleatur. Hoc tamen obſeruandum, vt cæmentum obtineat ſuperiorem & inferiorem locum. Deinde armatur olla luto, & operculo tegitur, relictis ſpiramentis. Poſtea omnibus ritè ſiccatis, vas imponitur furno

reuerberij, ad tempus in operatione præscriptum.

Fulminatio est species separationis, qua metalla in cineritio à sordibus & aliis similibus ipsis adhærentibus separantur, quaque omnia metalla volatilia & imperfecta, (auro & argento exceptis) in fumum seu halitum abeunt: ipsum vero quod fulminandum erat, instar nebulæ purissimæ, in medio coruscat. Eius vsus est in purgatione solis & lunæ; nam omnia alia his exceptis in fumum soluuntur.

DE SECVNDO GRADV separationis, quæ est generatio.

EXPLICATA corruptionis ratione, iam exponendum, quo modo inde nouum corpus constitui possit ratione generationis. Generatio autem est noui ac propositi medicamenti ex impuro & crudo corpore eductio, sexque species operationum habet.

Fixationem.
Circulationem.
Volatilisationem.
Coagulationem.
Digestionem.
Incerationem.

Digestio eandem requirit operationem cum priori, & duo in ea obseruantur. Primo, vel noua qualitas introducitur, seruata priori medicamenti forma, seu consistentia. Secundo, si consistentia corporis mutetur, & qualitates nouæ introducantur. Si noua qualitas introducenda est, hæc operatio vsum tantum habet in corrigendis extractis, cui inseruiunt frequentes cohobationes.

Eius apparatus talis est.

Corrigere cupio facultatem narcoticam, qua laborat opij extractum: lenire & auferre qualitatem venenosam extracti hellebori, sic procedo. Tincturas cordialium affundo extracto, supra dictum vas digestorium optimè clausum in furno digestorio colloco ad aliquot dies, donec vrgente calore externo, calor ascendens & descendens omnia misceat & penetret, ita vt corpus homogeneum appareat, & ne minima quidem pars extracti sit quæ tincturam non abunde sapiat.

Canones.

Exagitetur materia bis aut ter in dies in vase digestorio, postea menstruum lento B. calore separetur, materiaque relicta in fundo siccetur, vel ad consistentiam requisitam coaguletur, præmissa semper filtratione.

Si tam formæ, quam qualitatis mutatio requiratur, tunc vsum habet vt calces minera-

lium in oleum redigantur.

Liquor aliquis instituto inseruiens affunditur, digeritur, separatur, coagulatur, cohobatur, donec tandem calx à menstruo separata in oleum cedat. Quod agnoscitur, cum coagulationem amplius non admittit.

Coagulatio est corporis fluidi ad consistentiam deductio. Fit vel separatione humoris per destillationem aut euaporationem, vel paulatim illum humorem in corpore absumendo, donec totum fuerit fixum.


Inceratio est humoris mixtio cum materia sicca per lentam imbibitionem ad consistentiam vsque ceræ emollitæ, vnde inceratio, aliàs imbibitio dicitur.

Circulatio est liquoris puri per circularem destillationem exaltatio.

Eius apparatus idem est cum digestione.

Fixatio est qua volatilia fixa redduntur. Huic opponitur volatilisatio, qua corpora fixa volatilia redduntur. Absoluuntur ambo quinque subalternis operationibus, quæ sunt.

Extinctio.
Maceratio.
Inceratio.
Sublimatio.
Solutio.



HVIVS TRACTATVS VLTIMA PARS.

DE MEDIIS AD SEPArationem, & gradibus ignis.

GRADVS ſeparationis perficiuntur mediantibus igne, vaſis, & fornacibus. Ignis autem agit ſuper materiam vel immediatè, cum nihil accedit inter materiam & ignem, & dicitur ignis nudus; vel mediate, tunc interponitur vas aliquod inter ignem & materiam.

Eius duodecim ſunt gradus.

Primus flammeus, qui calcinat & reuerberat omnia corpora.

Secundus ignis carbonum, qui cæmentat, co-

lorat, & purgat metalla à suis scoriis, & solem & lunam altius gradat, venerem dealbat, omnia metalla renouat.

Tertius est ignis laminæ ferreæ ignitæ, in quo tincturæ metallorum probantur.

Quartus est scobis ferreæ.

Quintus arenæ.

Sextus cineris.

Septimus candelæ aut lychnij, qui fixat omnia corpora volatilia.

Octauus balneum Mariæ, in quo multiplices fiunt destillationes, sublimationes & coagulationes.

Nonus balneum roris.

Decimus venter equinus.

Vndecimus balneum cinerum è balneo.

Duodecimus per ignem speculi inuisibilem, & radios solis.

De fornacum structura & diuersitate vasorum, de lutatione & instrumentis idoneis, quibus artifex absque fastidiosa assistentia, immensis sumptibus, periculo ruptionis vasorum & innumerabilibus aliis dispendiis, quaslibet operationes facilè expedire possit, nihil hic dicere statuo. Vniuscuiusque erit omnia illa quæ mihi in vsu veniunt retinere, ne labor meus & industria aliis potius, quam iis quibus hæc destinata sunt, prodesse videantur.


Hactenus de principiis ad Chymicam operationem ordinariis.

Nunc autem vt pagellas aliquot vacuas vtili aliquo labore adimpleam, adiicio tractatulum de morbis tartareis, omnibus physicæ scientiæ studiosis pernecessarium.





DE TARTARO, EIVS ORIGINE, ET CAVSIS MORBORVM TARTAREORVM.



VÆLIBET humiditas è terra concorporatam quandam materiam concipit, quæ ad coagulationem disposita est. Exemplum.

Vinum è terra secum congenitam materiam adfert. Iam accedens ad operationem coagulationis, coagulum illud à vino separatur, & intus parietibus dolij adhærescit, hoc adhærescens tartarum vini dicitur.

Simile coagulum in aqua, in lacte, in succis herbarum & leguminum deprehenditur. Et hæc est generatio tartari. Quotuplicia autem

sunt corpora, totidem genera etiam tartari reperiuntur: imo & ciborum diuersa genera simul ingesta habent suum tartarum diuersum, quæ per se iuncta constituunt nouam tartari speciem. Aliæ etiam tartari species regionibus quibusdam particulares inueniuntur. Et hæc per encheiresin, hoc est in sequestratione puri ab impuro per extractiones Chymicas (rem ipsam actualiter palpantes) cognoscuntur: non autem ab illis, qui suis libris solum & studiis dediti, museo inclusi, vanisque scriptorum authoritatibus innixi, huius cognitionis perfectionem spernunt. Cùm tamen non plus veri adipiscantur in natura, quàm illi qui in cœnobio inclusi, saltem circuitus & funes campanarum norunt. Et hæc obiter monui, non vt viros doctos offendam, sed potius vt eos ad ipsam αὐτοψίαν inuitem, & vt praxim theoriæ vbique coniungant, sine qua nullus verum Physici nomen sibi arrogare iure potest.

Tartari enim cognitio dependet ex cognitione libri terræ & aquæ: quique eum legere potest, omnes tartari etiam species cognoscere potest. De hac materia nullus Medicorum recentiorum mentionem fecit, vno excepto Paracelso. Inter veteres tamen vnum Hippocratem excipimus, qui quamuis nomen non expresserit: facultatem tamen & signaturas eius egregiè descripsit *in lib. de locis in homine*. Μύξα, inquit, πᾶσιν ἐστὶ φύσει. καὶ ὅταν αὕτη καθαρὴ ᾖ, ὑγιαίνει τὰ ἄρθρα, καὶ διὰ τοῦτο εὐκίνητά ἐστιν, ὥστε ὀλι-

φαίνοντα πρὸς ἑωυτά. πόνος δὲ καὶ ὀδύνη γίνεται, ὅταν ἀπὸ τῆς σαρκὸς ὑγρασίη ῥυῆ πονησίων, id est. Mucus omnibus ineſt naturâ, & cum hic purus eſt, articuli ſunt ſani & ad motum apti: humiditate enim ſua iuuantur; dolor verò & labor, quando à carne humiditas doloroſa ſeparatur. Ex hoc muco contingunt cephalalgiæ, arthritides, podagræ, chiragræ & vulnerum pernicioſa ſymptomata. Conſtant enim ex impuritatibus tartareis, in quibus tincturæ ſalium acerbæ, punctagioſæ, amaræ, ſalſæ, acres, acetoſæ, tartareæ, vitriolatæ, nitroſæ, aluminoſæ, aronicæ, vrticoſæ, perſicariæ: quarum tamen prædeſtinationes ad morbum non feſtinant, niſi longa circulatione. Itaque ſemina morborum inferioris globi in cibo deliteſcunt & potu, ſuntque impuritates de quibus iam diximus. Quæ ſi ſeparentur & viis conſuetis expellantur, omnia in corpore rectè adminiſtrantur: ſin minus, beneficio alterius tartari expelli debent. Hæ ſunt mucilagines tartareæ, lapideæ, bolares, quæ à Galeno denominantur pituitoſæ, melancholicæ, quæ in leguminibus, frumentis, aquis, vino, ceruiſia, carnibus continentur. Quorum vſu, fruſtrata ſeparatione in corporibus, ſiue in ventriculo, inteſtinis, meſaraïcis venis, hepate, renibus, veſica: ſiue in alia tandem cauitate lateant, exaltantur & ſymptomatum pernicie hominibus innoteſcunt.

Iam reſtat vt dicamus quid ſit *Tartareus morbus.*

Is autem

Is autem eſt *Morbus* (ita definiente Paracelſo) *lepantheus & lapilloſus, prohibens naturæ effectum.*

Lepantheus eſt tartarus, mediam inter lutum & lapidem materiam obtinens. Hæc materia eſt in potu; neque ex ea fit lapis: ſed vbi occupat fundum ſtomachi, conſtipat & ſupprimit aluum.

Lapilloſus eſt lapis, non lutum. In aqua eſt, ſed modo reſoluto; ideo niſi virtus expulſiua fuerit fortis, permittit fieri lapidem.

Tartari duo ſunt genera ſubalterna, *Pruinum*, & *Gemmeum*.

Pruinum eſt primum genus ſubalternum. Hic ſubtilis & tenuis eſt tartarus, & adhæret fibris & tunicis ſtomachi, in veſica, hepate, & viis vrinæ.

Gemmeum eſt lapis generatus ex tartaro diaphano.

Pruinum eſt duplex, *Vſneum* & *Grandinis*.

Vſneum, eſt tartarus ſpongioſus, ſicut vſnea quæ naſcitur in arbore aut latere.

Grandinis, eſt tartarus recollectus in granum.

Gemmeum eſt triplex, *Collectum*, *Simplex* & *Diuiſum*.

Collectum, eſt compoſitum ex omnibus ſpeciebus tartari.

Simplex, fit ex vna ſpecie.

Diuiſum, ex diuerſis.

Omnia iſta genera ſimiles habent diſpoſitiones. Aut enim ſunt *Alabaſtrina*, aut *Marmorea*, aut *Lepanthea*, aut *Adamantina*, aut *Duelech*, aut *Magnetica*, habentque ſua loca, eaque varia. Loca autem dicuntur apud Hippoc. κοιλίαι, i. ſtomachi, cauitates, hoc eſt non ſolum ſtomachus, ſed hepar, renes, ſplen, pulmo, & quicquid cauitates obtinet, apud ipſum ſtomachus appellatur.

Morbi autem *Tartarei* vel ſunt *Elementini*, vel *ſeminarij*.

Elementini etiam duplices, vel *Superioris*, vel *Inferioris globi*.

Superioris globi, aër nempe & ignis: hæc duo enim generant tartarum & cum eo inficiunt ſpiritum, vnde Morbi epidemici. Tales morbos citat Hippoc. *lib. de humana natura*: *Morbi*, inquit, *alij à diæta, alij à ſpiritu quem attrahimus*. Item *libello de humoribus*; *Morbi autem alij cognati, quos ab ægris interrogando diſcimus, alij à regione, nonnulli à diæta, alij ex temporum conſtitutione*. Huiuſmodi ſcientia (nempe morborum ſpiritualium cognitio) dicitur apud Paracelſum *Aſtronomia*.

Inferioris autem *Globi* Morbi fiunt vel ab aqua, vel à terra. De his lege libros Paracelſi de tartaro. Illud enim omne quod edimus & bibimus, eſt ex elemento aquæ & terræ: terraque illa & aqua continent in ſe copioſum tartarum.

Notandum etiam quod omne quod edimus

& bibimus, aut eſt *Sulphureum*, & hoc vadit ad ſtercus; aut *Mercuriale*, & hoc vadit ad nutrimentum; aut *ſal reſolutum*, & hoc vadit ad vrinam; ſic in viis vrinæ tartarus inſidet, & ſi vis expulſiua eſt fortis, expellit; ſi non, generat morbos tartareos.

Similiter ſi ſtomachus eſt debilis, non ſeparat, ſed putrefit materia ingeſta: inde febres & alij morbi. At tartarus non putreſcit, ſed alimentum quod ad membra ire debet impedit: inde vapores mali. Ideo febres non curantur, niſi purgando materiam obſtruentem.

Animaduertendum etiam in hoc caſu, Paracelſum diuerſam ab aliis Medicis opinionem tenere: is enim ſeparationem ponit in ſtomacho ante digeſtionem: ait enim archiæum ſtomachi primò ſeparare purum ab impuro, ſecundò digerere. Si autem ſtomachus bene ſeparat & digerit, tranſmittit per venas meſaraicas ad iecur, & ita ſublimatum nihil aliud eſt quam Mercurius & ſal. Mercurius vadit ad nutrimentum, ſal vero ad vrinam. Et ſeparatio iſta eſt principium ſecundæ digeſtionis, & eſt prima materia vrinæ; nam vbi ſulphur, ibi ſtercus: ſeparat hepar rubinum à cryſtallino, rubinum diſtribuit, cryſtallinum expellit ad renes. Vrina ergo nihil aliud eſt, niſi ſal reſolutus ab hepate in aquam, quæ expellitur & rurſus coagulatur in tartarum. Si vero in renibus non fuerit ſe-

paratus, ſed pulſus ad collum veſicæ; tunc in iſto loco ſal dominus erit coagulationis, & inde generatio lapilli, quam multi λίθον, vel λιθίασιν, calculum vocant, ego vero tartarum: nam ſal quod eſt in vrina, ipſum generat, & talem vim lapillandi impertit. Et quo longius ab vrinæ origine diſtat, eo fortius eſt opus ſalis. In renibus ſunt alabaſtrini & pruini: & vſneæ, gemmeæ, alabaſtrinæ, ſed in fine renum duriores, maiores & fortiores.

In veſica fortiſſima vis eſt congelandi, quia longe diſtat à calore; calor enim diſſoluit tartarum, frigidum vero coagulat; quicquid enim habet ſpiritus, coagulatur in frigido, ſi ſatis nempe habeat ſalis fixi: ſpiritus nempe per ſe nihil coagulant. Omnis ergo vrina micta generat lapidem, quod apparet in matulis.

Sunt autem duæ operationes obſeruandæ in generatione tartari. Vna vis congelandi abſque ſpiritu vrinæ. Altera vero per ſpiritum vrinæ. Prima reddit molles tartaros. Secunda verò duros & craſſos.

Seminariorum autem Morborum duplex eſt claſſis. Quidam ab Illiaſtro, quidam à Cagaſtro.

Morbi ab Illiaſtro dicuntur Morbi hereditarij, nempe Morbi prouenientes à ſemine parentum.

Morborum à Cagaſtro quadruplex eſt claſſis.

Prima ex quatuor Elementorum concursu, vnde Morbi acuti.

Secunda ex septem planetarum cursu, vnde Morbi chronici, qui tandiu durant, quandiu influentia illius Astri. Saturnus dominatur in splene, Iupiter in hepate, Mars in felle, Sol in corde, Venus in renibus, Mercurius in pulmone, Luna in cerebro.

Tertia secundum concursus humorum & eorundem exaltationes. De his mentionem facit Hipp. 1. *de morbis, &* 1. περὶ πάθων. *Ab initio Morbi*, inquit, *hominibus à bile & pituita fiunt, tanquam in corpore existentibus. Excitantur vero hæc à cibis, potibus, laboribus, calido supercalefaciente, frigido superfrigefaciente.*

Hic bilem & pituitam, tanquam communia penuaria & matrices morborum constituit, quæ à semine interno producuntur. In illis enim, vt in terra, omnigenæ facultates vigent, quæ vbi ab aliis separantur & exaltantur, morbos pariunt. Separationem vero accelerant, vel retardant admouenda, facienda, foris incidentia, i. calidum, frigidum, cibus, potus, venus, labores, affectus animi, &c. Rursus *lib. de antiqua Medicina*; Alij ἀπὸ δυνάμεων, alij ἀπὸ σχημάτων: δυνάμεις appellat τῶν χυμῶν τὰς ἀκρότητας καὶ ἰσχυς. i. humorum exaltationes, summitates, potestates, summas vires. Vbi explicat quo pacto humores morbos generent. Non quod calida & sicca est bilis, propterea Hippocrati morborum geni-

trix esse censetur, sed quia δυνάμεις in se continet, quæ ὅταν μετέωραι, ἄπεπτοι καὶ ἀκρόταται, i. quando exaltatæ fuerint, incoctæ, ab aliis separatæ, summas vires & extremas potestates, calamitosa symptomatum pernicie, ostendunt.

Figurarum & cauitatum Morbi omnibus noti sunt ex libello de alimentis, hos deriuans ex locis & partibus in quibus fouentur.

Morborum differentiæ, inquit, *in alimento, in spiritu, in calore, in sanguine, in pituita, in bile, in arteria, neruo, membrana, humoribus, pinguedine, osse, hepate, splene, cerebro, vtero, renibus, ventriculo, intestinis.* Humores hi vocantur apud Medicos sanguis, pituita & vtraque bilis, cum tamen non sint nisi species salium, & quidem diuersi saporis.

Sanguis est sal salsus, phlegma sal dulcis, bilis sal amarus, melancholia sal acidus.

Quarta classis ex concursu quatuor qualitatum, vnde sunt complexiones calidæ humidæ, calidæ siccæ, frigidæ siccæ, frigidæ humidæ.

FINIS.

PARS QVARTA CVRRICVLI CHYMICI.

IN QVA

OPERATIONES CHYMICÆ MVLTO FACILIORI METHODO,

tenuiori ſumptu, leuiorique labore & aſſiſtentia, quam hactenus à quouis huius ſæculi Chymico, perfici docentur: Nouaque & peculiaris principiorum demonſtratio, tutiſſima medicamentorum præparatio, & in morbis omnibus adminiſtratio continentur.

Ex curriculo W. D. nobilis Scoti Doctoris Med.



PARISIIS,
Apud IOANNEM BESSIN, prope Collegium Remenſe.

M. DC. XL.



NOBILISSIMO, AMPLISS. ET ERVDITISS. VIRO

D. GILBERTO GAVMINO,

CHRISTIANISSIMI REGIS A SVPPLICIBVS LIBELLIS CONSILIARIO.

AD eximiæ tuæ eruditionis patrocinium vnicum ſponte ſua confugit quarta hæc pars Curriculi Chymiatrici, in publicum hominum conſpectum minimè pro-

ditura, nisi tu eam ex ipso limine sub protectionis tuæ clypeo tuendam suscepisses. Te solum etenim inter atros carbones, cineremque immundum Chymiatriæ flosculos selectiores discernere valentem agnoscit & appellat, exoptatque tantum ab authoritate tua ornamenti & roboris, quantum fiduciæ in tua beneuolentia habet tui obseruantissimus eius genitor, quem sola tui nominis inclyta fama intimioris cognitionis aculeis primò inflammauit. Nec hoc nomine, scio, quod hospes, aut aduena sum, fœtum hunc aspernaberis, sed potiori animo amplecteris, & Galliam tuam, peregrinorum nutricem, & tute-

larem deam imitaberis, quæ præ alijs nationibus vel hoc nomine caput ſuum tantum extollere creditur,

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Sic præclariſſimæ gentis, & patroni ſimul fauore abunde ſuffultus æquiores ſubinde fauentioreſque ſententias, veritatis nomine & numine fretus, mihi pollicebor. Neque dedignaberis ſpero, ſi mei ingenij tenuitas religioſo tuæ mentis candori officiat: quin potius hoc, vt te dignum, niſi à te ipſo proficiſci nihil poſſe cogites. Tamen ſi vel minimum obſeruantiæ conatum in his aliquo pacto probaueris, maximo mihi apponetur lucro,

uberemque putabo uniuersi operis fructum percepisse. Sin minus dolebo, neque tam infœcundum agellum deinceps recolere suscipiã, ne auidißimis domini votis nimis auara vtique meßis non respõdeat. Quicquid tamen sors túlerit, vt cliẽtem tuum, tui obseruantissimum, protegas, iterum atque iterum rogo. In cuius beneficij accepti testatiorem memoriam, nullis occasionibus parcet, quibus tibi in omni officij genere inseruire posse conabitur; non secus ac

CLARISSIME VIR,


Humillimus, & tui studiosissimus seruus,

W. D'AVISSONVS
Scotus Med. Doctor.



AVTHORIS

AD CVRIOSAM iuuentutem, Philosophiæ & Medicinæ Pyrotechnicæ ſtudioſam, Parænesis.



I hæc prima Spagyricæ aut Pyrotechnicæ artis elementa, vltra inſtitutum meum, in aliorum, quam priuatorum meorum auditorum, manus inciderint: illos humillimè monitos exopto, me hæc doctiſsimorum quorundam, &

curiosissimorum hortatu in discentium, & in hac arte adhuc tyronum priuatam gratiam emisisse, non vt ignauæ plebeculæ futilem auram in tam tenui labore ambirem. Neque enim eò dementiæ redactus sum, vt propter sola hæc prima Chymiatricarum operationum rudimenta aliquid haud vulgaris famæ subnasci mihi posse cogitem, quum passim hæc inter destillatores, & Chymiæ huius sæculi, vt vocantur, operarios, & empiricos, non minus tritè quam insulsè iactitentur. Neque enim tam vilis est hodie operator, qui postquam vnam, aut alteram operationem Chymicam vtcunque edidicerit, se pro Medico Spagyrico, Chymico aut Hermetico illico non venditet, neque vllo alio se insigniri nomine patiatur. Quum tamen rudis, liberalium artium, & omnis eruditionis, immo Chymiæ ipsius, & imprimis Medicinæ igna-

rus prorſus reperiatur. Hinc tam improba & commiſeranda diuinæ huius artis clades nata eſt, & veſana vulgi ſtupiditas, vt audito Chymicarum operationum nomine, ſtatim Galenicorum deſertorem, operatorem, Alchymiſtam, Empiricum, Agyrtam, deſtillatorem, mercaturam lucroſam medicamentorum exercentem, & in publicum protrudentem, aut Monetæ regiæ infamem adulteratorem, illico ſibi ſomnient. Quo fit, vt viri docti & probi hanc nominis infamiam metuentes, à diuinæ huius artis ſpeculatione, quæ tota ex operationibus ipſis dependet, non paruo reip. literariæ, & præcipuè rei medicæ, damno & dedecore abſterreantur aut auocentur. Sed forti nodo fortis cuneus adhibendus. Vulneri immedicabili ſæpe inſperatum valuit remedium. Mutantur ſæcula & ſæculorum mores. Veritas

sola constans & immutabilis omnem
sæculi improbitatem superat, soli-
dumque rerum lumen in ipsis tenebri
splendescere cogit. Hanc ipsam, vt
Palladem è Iouis cerebro natam, cælo-
rum incolam & immortalem, vt iu-
dicem & vindicem pariter inuocabit,
diuina hęc ars, vt obscuram hãc, abie-
ctã & contumeliosam aliquãdo nomi-
nis derogatiuam, artis & artificũ cele-
britate, iterum obliteret, & in pristini
splendoris carpento extollat. Quod
quum attingere neque aut Agyrtæ,
paulatim pallore liuidi, & pudore
suffusi, inanium titulorum synceram
ἀκρίβειαν *illico deponent, & aditum viris*
doctis & probis præbebunt. Vnde fiet
vt hæc ars per se excellentißima, iu-
cundißima, & vtilißima à viris doctis,
præcipue Medicis, coli & in deli-
ciis haberi incipiet, donec tandem in
Philosophico pomærio triumphans,
veritatem

veritatem suam abutentium vindicta redemptam, debitis honoribus persoluat, & à putatitia illa vulgi infamia professores suos liberet, inter liberaliores artes posita nominis sui præstantiam agnoscat.

Hanc artem Reges meditari & exercere quondam non dedignabantur. Inter quos fuerunt Sabor & Giges Medorum Reges, Sabid & Geber Reges Arabum, Mithridates Persarum Rex, Rex Ægyptiorum Hermes, Pythagoras, Empedocles & multi alij diuini viri, immo & huius ætatis Romanorum Imperatores multi, tum Principes in hac arte præcelluerunt. Quin etiam viri docti, Philosophi & Medici eam colere & amare incipiunt, filijs artis commendant, & vsum instituunt. Parisios nunc ex tota Gallia ingens studiosorum non solum, sed & Medico-

rum numerus confluere incipit. Neque ex Gallia solum, sed & ex ipsa huius artis nutrice Germania, Anglia, Italia, & remotioribus Europæ locis affatim concurrit: adeo vt nullus hodie Medicus in pretio sit, nisi qui Peripateticis & Medicis Chymica vtique adiecerit.

Sed quum hæc ars à notioribus nobis incipiat, & absque operationibus, quæ igne & aqua, vt separationum instrumentis, perficiuntur, tractari nequeat: idealem hanc omnium operationum formulam discentibus obieci, per quam infinitæ aliæ, hic non à me memoratę, leui negotio, parco sumptu, nulla molestia, vel ab imperitißimo famulo perfici queant. Ex his enim constabit de τῷ ὅτι, *priusquam ad* τὸ διότι, *& rationis reddendę modum deuentum fuerit. Non inquam captandæ laudis gratia, sed potius vt*

importuno auditorum meorum in scribendo & dictando labori parcerem, mutando horas olim dictationi harum operationum (vt mediorum demonstrationis) insumptas, in sublimiores, & Philosophico, tum medico genio gratiores & vtiliores exercitationes, vtpote in reddendis infinitorum phænomenorum, quę ex encheiresi dissolutorum mixtorum perpetuo enascuntur, rationibus, tum persoluendis reconditissimę huius artis debitis, quę haud vnquam, nisi vnicis τοῦ λόγου, καὶ τῆς πείρας κριτηρίοις *persolui posse possibile est.*

Tam stricte enim vniuntur inter se speculatiua & practica, vt nec imaginatione violenta dirimi poßint. Vnde fit vt in turpißimos errores incidant, qui ex suis aut aliorum experientiis superficiariis veritatem huius artis examinant, aut fundamenta ia-

ciunt. Proinde vt studiosæ iuuentuti prodessem, & studijs illorum in hac parte pro virili consulerem (post 27. à me multorum precibus susceptum curriculum, & cum vniuerso auditorum, tam Philosophorum, quam Medicorum insignium; tam conterraneorum, quam peregrinorum in hac celeberrima Parisiensi ciuitate, ob huius generis studij occasionem tunc degentium applausu, celebratum) volui in eorum tantum priuatam gratiam hæc prima rerũ tyrocinia edere. Quæ, licet ab aliis multis, qui ante me in hoc genere claruerunt, edita fuere, tamen (absque iactantia dixerim) vix ab vllo huius sæculi Chymico, minus artis ipsius philautia preoccupato, aut diuersorum Philosophorum variis opinionibus addicto, aut falsis operationum inexpertarum hypothesibus innixo, hucusque edita fuisse perspexerim.

Immo norunt quamplurimi viri probi & docti, quorum grata in dies consuetudine fruor, me hęc non ex nuda authorum lectione huc transtulisse, nec ex vanis cerebri imaginationibus (vt quamplurimi magnorum voluminum scriptores, non sine artis dedecore solent) confinxisse: sed ex ipsa multoties repetita experientia promulgasse. Tres enim priscis sapientibus humanę vitę duces constituuntur. Quarum prima est ratio, diu diligenterque examinata: Secunda experientia, rerum diuturna consuetudine confirmata: Tertia authoritas antiquorum, eorum scilicet, qui tales fuerunt, vt neque ab alio facilè decipi potuerint, neque ipsi decipere alios voluisse videantur. Magis enim attendendum est quid egerit quisque, quam quid dixerit; bene loqui multorum est, bene agere paucorum. Quare consultiores multo optarem iuniores

Chymicos, quos in hoc laudare non possum, dum artem hanc, per se quidẽ laude dignißimam, portentosis, miris, & longe vltra omnem rei euidentiam & veritatem encomiis extollunt: hoc non est Chymiam colere, sed ipsam ludibrio & sannis maleuolentiũ exponere. Alij corruptum elephanticorum hepar remediis suis hac arte paratis in integrũ restituere pollicẽtur. Alij morbos difficillimos, vt hydropẽ & phthisim, ab hominibus in bruta animalia & plantas transferre se iactitant. Alij, vt Biolychnij author, lampadem ex sanguine alicuius ita confectam venditãt, vt sibi de sanitate corporis, & affectibus animi illius, ex cuius sanguine confecta fuerit lampas, facilè iudicare posse somnient: & eo ipso tempore, quo lampadem inspiciunt, de eius vita aut morte certos reddi, neque vnquam posse extingui, nisi eo ipso momento

quo ille, ex cuius ſanguine fuit confecta, exſpirauerit: eo enim ipſiſsimo inſtanti extingui lampadem aſſerunt. Sed dij boni! quam horrendum mendacium, & fabula anilis, comœdorum ſcenis vix committenda? Deus ſaniorem mentem ipſis inſpiret. Sed quid dicam de iſtis, qui nullo alio quam Philoſophorum nomine inſigniri volunt, quum tamen nihil minus quam Philoſophi ſint? Philomoros potius vocarem, dolorumque & fraudum amatores, quum pollicitis ingentibus decipiant incautos, montes aureos iis promittentes. Sed heu! quam ſit ipſorum dolenda conditio, quam inanis mens & inexperta manus! Tales ſunt, qui nihil niſi de leone viridi, aut rubeo, de ſerpente deuorante ſuam caudam deblaterant. Hieroglyphica certe ſunt iſta, à veteribus

Philosophis non absque ratione vsurpata, sed ab ipsis miserrimè prophanata: nec equidem sine magno huius artis præclarissimæ damno & dedecore. Horum ingenium paucis cognitum in apertum propalatum est. Neque immerito damnatur, irridetur, sannis excipitur: cùm continuo ipsis obijciatur, quod per portentosas eiusmodi rerum analogias famelicam auri plebem decipere studeant. Quum illorum tale sit ingenium, vt quoties vera loquuntur, & quibus fidem experimenta conciliant, clarè suos exponant sensus, & verbis vsitatissimis vtantur. At vbi ad imposturas dilabuntur, verborum portenta euomunt, aut innouata, aut ex alieno petita idiomate: vt quia nihil significant, falsitatis non possint redargui; aut impossibilia quædam exigunt, vel certè talia, quæ vix quisquam exequi possit. Ex quo semper

effugium habent, rem non esse ea ratione factam, qua ipsorum ars præcepit. Talesque sunt, vt si manum operi ipsi admouerent, ne vel adaptare vasculum fornaci, aut gradum ignis temperare, aut facillimam aliquam operatiunculam perficere, absque materiæ, temporis & vasorum iactura valerent. His obijci merito potest, quod olim in belli tumultibus Drauci.

--- quem gloria Turni,
Obliqua inuidia, stimulisque agitabat amaris,
Largus opum, lingua melior, sed frigida bello
Dextera.

Hi tales sunt, quibus omnis animi virtus effusa à centro ad circunferentiam in linguam penitus exhauritur.

Qui Martem in lingua, pedibusq; fugacibus acrem
Semper habent.

Sed hos non moror, quum meum sit institutum non magnorum promissorum spe, aut speciosis voluminibus auram popularem captare: sed viros probos, & doctos, qui hactenus ab artificum impostura fuerunt ab hac arte deterriti, in veram rerum naturalium cognitionem allicere, & Chymiam ipsam, per se artium omnium iucundissimam & laudatissimam, ab infinitorum operariorum, & destillatorum, tum vanorum speculatorum, simul fingentium & credentium fraude, ita liberare, vt nec decipi, nec decipere alios patiantur. Neque enim satis est nudis rerum sensibilium experimentis inhærere, nec solis vanorum speculatorum authoritatibus fidem adhibere, sed

experientiæ diuturnæ ratio & autoritas, rationi pariter & autoritati experientiæ manus vtique erit cõnectenda his, qui Dianam absque veste videre satagunt. In hoc enim studiorum genere non tam ingenio ad discendum, quam iudicio ad discernendum imprimis opus eße arbitror. Hoc pacto recentiorum inuenta veterum institutis ritè conciliabuntur, & hæc illorum accessu locupletari poterunt. Sic vetusta nouitatem, noua authoritatem, obscura lucem, fastidita gratiam, neglecta cultum, confusa ordinem, dubia fidem, experientia rationem, ratio experientiam vndiq; confirmabunt: tunc neque Chymica Galenicis, aut Peripateticis; nec Peripatetica Platonicis & Chymicis aduersari credentur, sed mutuas semper præstabunt manus. Neque tam credulus quisquam esse debet, vt audito Chymici nomine Ga-

leniue doctrinæ desertorem mox sibi somniet. Sed maturiori iudicio omnia examinanda erunt. Sic qualis sit Chymicus facilè quiuis iudicabit.

Nunc autem, vt compendium tum meis, tum auditorum laboribus accederet, typis hunc tractatulum commisi, vt auritis & oculatis manibus rerum naturalium resolutionem examinarent. Paucæ admodum hic sunt operationes: sed ideales valdè, & tales, ad quarum exemplar mille aliæ à me non commemoratæ, immo omnes vel leuißimo opere, paucis additis & detractis perfici poßint.

Singulis operationibus medicamenti præparati vires, vsus, & dosis, in praxi medica à me fideliter obseruata, annexa reperientur.

Sermonis exquisitus si desit ornatus, sciant omnes hoc mihi non esse propositum.

Ornari res ipsa vetat, contenta doceri.

Verba enim nihil sunt, nisi otiosorum hominum deliramenta, & deceptorum vt plurimum abblandimenta. Nam

Fistula dulce canit volucrem dum decipit auceps.

Satis mihi erit commodo & familiari loquendi stylo vti: ne, dum politioribus nimium complacere videar, obscuritatem incomptioribus ingeniis metuendam iniiciam.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltra citraque nequit consistere rectum.

Et ne tamen ipse in tractatulis meis de Nitro & Vitro (à nullo quod sciam ante me in lucem editis) ob-

ſcuritatem inſignem redolere videar, ſciant iſta intricatiſsima eſſe, & intellectu difficillima, & forſan abſurdiſsima, ſi quis verborum ſenſum ex vulgari Peripatetice mutuandum autumet. At vero ſi ex principiorum meorũ fundamento rem iudicent, iſta omnia vel ſcirpo læuigatiora illico inuenient: quare nõ meã in ſcribendo obſcuritatem, ſed illorum in variorũ authorũ lectione ſocordiam & faſtuoſum in alienis iudicandis ingenium vtique accuſabunt. Tales enim plerumq; ſunt multi, qui peculiaribus ſectis pertinaciter adſtricti, aliorum (quãuis experientia & ratione confirmatã) doctrinam, quã nec haurire, vel guſtare vnquã licuerit, obſcuritatis vel ineptiæ illico redarguunt. Sed conſiliũ in hoc meũ erit, prius veritatem alicuiꝰ ſcientiæ acquirere, aut peritiã alicuius artis indagare, quam de incognitis nimis te-

merariũ, & Philósophica, tũ Medica maiestate indignũ iudicium próferre, ne meritò mihi obijciatur illud Lyrici,

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilæ, disciue, trochiue quiescat,
Ne spissæ risum tollant impune coronæ.

Consultius multo facerent plurimi viri docti, si aliena haud intellecta non illico spernerent, aut autores quos nunquam viderunt, obscùritatis, aut innouationis insuetæ accusarent. Nam re percepta, tantum abesset vt obscuritatis, aut falsitatis accusarentur, quin potius pro Naturæ interpretibus, & imprimis artis medicæ illustratoribus summis haberentur. Et vt verum fatear, mihi ipsi olim hæc nimia dijudicandi temeritas incoluit, dum aliàs incidissem in doctißimi Philosophi & Medici Petri Seuerini Dani librum egregium, Idéam Medicinæ

Philosophicæ, Hippocrat. Galenicæ & Paracelsicę nominatum. Qui, quum nescirem de quibus Abyßis, Elementis inuisibilibus, emeritis, & relollaceis qualitatibus, Spiritibus Mechanicis, Bal*samis, & Mumiis inusitato more loqueretur: illico stoliditatis & ineptiæ accusabam. Verum authore iterum propter styli elegantiam reuoluto, suspicari incepi aliquid haud vulgare ibidem latere. Proinde* Pl*atonicos, quorum mentionem crebram fecisse videram, & veteres* Philo*sophos perlustraui: ibique quum non mediocrem lucem, imo & supra omnem imaginationem, facilitatem insignem, totius Ideæ illius Philosophicæ inuenirem, ad Seuerinum redij. Vbi profecto, vt serio dicam, tantum abest, vt in priori persisterem sententia, quin potius fateri coactus sim, ex vnico Seuerino omnes*

omnium quarumcumque difficultatum solutiones posse absque tædio facillimè expiscari, & in genuinum Hippocrat. & Galeni sensum conciliari. Cuius præclara doctrina quum non tantum mirificè Medicinam adornet, sed propter insignes in Philosophia Chymica quos habet vsus, ab omnibus viris doctis, præcipuè Medicis, expetatur: statui breuiter in illorum gratiam commentaria in integram Seuerini Ideam typis committere. Ex quibus vel primo intuitu omnes vel difficillimæ totius operis difficultates explicari facillimè possunt. Sed vt propriis respondeam difficultatibus, sciant omnes, me hæc, vt sensibus notiora, Theoreticis præmisisse. Quibus positis, vt sensibilibus demonstrationum mediis & speculationum fundamentis, ad Theo-

riam ipsam accedam, & per rationis cribrum sensibiles mixtorum dissolutiones examinabo: examinatas, per intellectum, vt supremum animę apicem, castigabo. Hoc est, quasi à phantasia aut sensibus ad rationem, à ratione ad intellectum: inde ad vniuersi opificem primum & vltimum modum entis. Hoc est, ad ens causæ scandere conabor, & ab ente causæ, ad ens formæ: ab ente formę, ad ens participationis: ab ente participationis, ad ens repræsentationis denuo descendere. Et sic superiora inferioribus grato commercio coniungere nitar.

Sed si hisce præclaris institutis hoc in loco satisfacere minime queam, hoc temporis defectui & grauiorum negotiorum interpellationi imponendum. Ex quibus simul ac emergere

licebit, Theoriam loco primæ & secundæ partis perfectißimam solidis & inconcußis fundamentis confirmatam in publicum edam. Ex qua omnes omnium reconditißimarum difficultatum in Physica Chymica occurrentium solutiones, vel leui negotio inueniri poßint, & non secus ac Problemata Euclidea ex ipsis primis, veris, & immediatis causis demonstrare, & veritatem indubitatam in animo dubitantis relinquere.

Triplici autem fundamento, quasi gradu, innitentur. Primo ab effectu, hoc est à posteriori constituentur positiones, nempe τὸ ὅτι, *quæ tamen perpetuæ erunt & spagyrica manu confirmatæ. Secundò, innitentur Aristotelico, sed Chymico suffultæ fundamento. Tertiò denique Platonico, sed Chymico & Peripatetico*

progreſſu confirmatæ. Ita nec Chymicus Peripatetico *, nec* Peripateti*cus* Platonico *aduerſabitur: ſed mutuas tradent manus ad vnius rei veritatem indubitatam indagandam. Neque enim vllus ad Platonica recte admittetur, niſi prius Ariſtotelicis imbuatur. Neque quis ad Ariſtotelica recte vnquam intelligenda capax reperietur, niſi prius* Chymicis *experientiis, quibus tota Ariſt. doctrina innititur, ſimiliter adornetur. Ita tandem fiet, vt* Chy*mia propter abutentium numerum hactenus exoſa, & à Peripateticorum, &* Galenicorum *cœtu hucuſque exploſa, à longo exilio reuocetur; ab illis, propter experimenta certiſsima ratiocinatrici facultati oblata, colatur; ab his vero, propter præclaram & exactiſsimam medica-*

mentorum preparationem amplectatur, foueatur, & in pristini splendoris terminum restituatur, omnium eruditorum applausu scientiarum omnium ancilla primo ductrix, deinde comes, tandem gubernatrix fælicißima agnoscatur.

Hæc sunt, beneuole lector, *siue de meorum numero sis, siue aduena, de quibus te monitum volui. De cæteris vbi primam & secundam huius tractatus partem Theoreticam demonstrationum principiis exornatam edidero, seriò admoniturus. Tu interim fruere his primis, & fidelibus experientiæ meæ laboribus. Sed hac lege, ne prius seueriori censura opprimas, quam intelligas; reprimas, quam perlegas.*

Ne mea dona tibi ſtudio diſpo-
ſta fideli,
Intellecta prius quam ſint, con-
tempta relinquas.





APPARATVS AD operationem Chymicam, ex vegetabilibus, mineralibus & animalibus desumptus.



VVM omnis doctrina & methodus incipere debeant à sensu, tanquam priori multo, & familiariori intellectui; conandum ante omnia, siue scientiam tradituris, siue inuenturis, vt sensus habeant instructos vsu & experientia rerum; intellectum vero principiis, tum natura insitis, tum studio multo, & exercitatione sedula comparatis. Proinde iis accidit qui alterutrum negligunt, vt in turpissimos sæpè errores incidant, aut qui ex aliorum aut suis principiis valde superficiariis, fundamenta alicuius artis, aut doctrinæ (præcipuè verò rerum naturalium) constituere conantur.

Primò enim inquirendum an res sit, dein-

de quare ſit. Sic in violentis reſolutionibus quæ per ignem fiunt, flammam aut fumum qui videt, is aërem, aut ignem eſſe, ineptiſſimè credit. Si enim alembico accipiantur, deprehendentur non eſſe pura elementa, ſed mixta adhuc. Nam fumi iſti tantum abeſt vt ſint iſta elementa, ſeu pura vel impura, vel etiam imperfectè mixta, ſed ipſiſſima corpora reſoluta, vt ex ſulphure & ammoniaco flores; fumus qui ex Mercurio prodit, ipſe Mercurius eſt. Sic cum cinerem vulgo vident, terram eſſe dicunt imperitiſſimè. Separatio enim per aquam affuſam, quid ſal & terra differant, & vtrumque in cinere contineri oſtendit. Neque refugiendum ad id, quod arti & non naturæ vulgo illorum eſſentias tribuant; artificialia enim dicuntur, quorum natura ab arte ſolùm dependet, vt domus, lectus, &c. Vbi autem mutuas operas tradunt natura & ars, opus merè artificiale dici non poteſt, ſed quatenus adaptatur materia vaſi, vel aliquo alio modo diſponitur, dicitur artificiale. quatenus vero ignis, omnium agentium potentiſſimus, educit aliquid è mixto, certum eſt eſſe operationem naturalem; applicat enim artifex actiua paſſiuis ſecundum artis regulas. Reliqua vero vel abſente artifice, aut dormiente à natura perficiuntur. Neque conuenit Medici induſtriam à Chymicorum operariis aut metallorum foſſoribus, in hoc genere ſuperari,

quorum ſæpè maior, quam ex libris Phyſicorum, & otioſarum ſpeculationum, eſt peritia, quibuſque fides in his non eſt deroganda ſenſibus. Niſi forſan idem tentare velit ac vulpes, quæ lupum ſub imagine Lunæ in puteo apparentis deceptura, eandem fuiſſe caſeum recentem quaſi ſyllogiſmo perſuadebat.

At ſi quis ſtatuere velit, cinerem, terram, fumum, aërem vel ignem à prædominio elementi ita dicta: quæratur quid tandem reddat hoc elementum impurum. Non reſponderi poteſt, quod ſit vllum elementum: nullum enim elementum eſt ſapidum vel odorabile. Sed cum maior ſit certitudo in operibus artis vbi nihil perit, ſed vaſis clauſis omnia adminiſtrantur, parteſque reſolutæ & incluſæ colliguntur, heterogeneæ ab homogeneis ſeparantur, vt rectum de omnibus iudicium fieri poſſit, abſque quo experimento impoſſibile eſt vt quiſquam, etſi pro abſolutiſſimo Phyſico & Philoſopho ſeſe venditet, ex ſolo vapore aſcendente de materia rei iudicare poſſit, cum vapores ad aſpectum ſint ſimiles: id vero quod in vaſe recipiente colligitur, diuerſitatem monſtret. Non ergo ita obiter & ſuperficialiter de naturæ operationibus iudicandum, ſed paulo penitius inſpiciendum, & quod nobis fortuito obijcitur, arte & induſtria inquirendum.

Nec dubito, quin hæc velut longius petita & extra methodi septa, reiiciant procul fuci, & tales multi, qui vt ne Empirici vel circumforanei habeantur, iactari sese in ataxiæ salo & numquam ad littus peruenire volunt, iuxta illud Lyrici.

Dum vitant stulti, vitia in contraria currunt: dumque Empirici videri nolunt, mere ἀπίεϱοι, ignaui & inexpertes deprehenduntur. Verum eò dementiæ processit hæc ætas, vt ad comparandas opes non tam hodie referat, quid quisque sciat, quàm vt scire videatur; quibus sanè vel lingua venalis, vel assentandi sola peritia sufficit. Verum aliud est parasitum & sophistam, aliud Philosophum & artificem agere. Sed vt nunc sunt tempora, ita morem geras, & vt pulchrè Erasmus in epistola quadam, antiquitus, non ideo quisquam pro Doctore aut Philosopho habitus fuit, quod Doctoris titulum esset mercatus; Sed ij Doctores & Philosophi dicebantur, qui vel præclaris operibus artis, vel libris editis manifestum doctrinæ specimen edidissent. At nunc illi qui gradum ascendunt, ad speciem magis externam & inanes titulos currunt: illi verò qui conferunt ad promptam pecuniarum numerationem, quæ nunc pro actus cuiusque forma siue ἐντελεχεία præcipua celebratur: hinc vt & illi qui dant & qui accipiunt: sic qui tales in rectæ beatæque vitæ semitam decurrere iudicant, sæpe etiam à

legitimo fine & rerum veritate declinare videntur, quando vulgus stolidum vel leonina pelle indutos Asinos, supra leonis ingenuam formam colunt & admirantur.

Sed motos præstat componere fluctus.


Nunc autem omnibus acriori iudicio præditis, id paucis defixum ante oculos, & circumferri in animis suaderem, non modo in vita, praxi & theoria dari coniugij vinculum indissolubile, sed & hæc singula variare vices, sensus nempè & intellectus: hic rerum communium magis & abditarum, ille vero sensibilium prius & singularium: contemplatio enim circa communia fit, actio vero circa singularia. Imo & hæc singula ratione finium conuerti: nam propter actionem suscipitur contemplatio, & propter contemplationem actio. Quare & re ipsa, naturæque consilio complicata, non nisi violenta cogitatione dirimi possunt.


Ingeniosas fornacum, vasorum instrumentorumque idoneorum constructiones & absque luto adaptationes meis dumtaxat communicaturus, prima ipsa inspectione & operatione demonstrabo.

De adaptatione vasorum.

Fiat ahenum A, in cuius margine seu limbo adaptetur medietas B, inde consurget vasculum A B, à Pharmacopœis vesica dictum: tunc transeat ad ceruicem C, & habe-

bis vesicam cum ceruice. Huic adapta refrigerium vulgare Pharmacopœorum D, & habebis refrigerium vulgare: è quo spiritum vini & aromatum inflammabilem, immo & aquas simplices eliciunt. Quod si eius loco libuerit, non per refrigerium, sed per capitellum E, ex ferro albo confectum, cum tubulo sinuoso etiam ferreo, per doliolum F, aqua frigida plenum, siue spiritus inflammabiles vini, ceruisiæ, succi pomorum fermentati elicere volueris: multo præstantiori & faciliori modo perficies. Hac arte possunt olea etiam odorata ex rosis, floribus aurantiorum, & similibus copiosiori multo & exactiori modo elici. Si vero vti volueris Balneo Mariæ, loco partis B, adapta vasculum H, I: super quod ponetur Alembicus aliquis vitreus. Ita super exiguo carbonum calore, quouis tempore, absque apparatu aut sumptu, poteris quaslibet aquas vulgares educere, vt vides in N, & circulo O, congruere. Denique si per Balneum & refrigerium eodem tempore elicere aquas animus erit, vt vides in K, L, tunc admoue refrigerans K, ad L ahenum, & circulum; & voti compos eris. Et si, vt sæpe accidit, cucurbita & Alembico vitreo vti volueris, adminiculo tripodij M, in fundo Aheni A, positi cum circulo collo cucurbitæ appropriato O, hæc tibi ex voto succedent.


Quid Philosopho aut Medico indignius? quid ineptius? quid turpius? quam in resolutione mixtorum quæ per distillationes exercetu
cœcutire, in qua præstantissima quæque Naturæ et artis momumienta reconduntur.
Balneum Mariæ
Matheus fe.


K
Retorta
Capsulæ
adaptata
Capsula
terrea.
L
E
A
C
D
B
M
A
I
H
E
O
N
B
G

DE GENERALIBVS quibusdam obseruationibus, in destillatione scitu imprimis necessariys.

CAPVT PRIMVM.

QVAM multa sint in aliis artibus, tum potissimùm in Chymia, quæ plus vigent obseruantium attendentiumque industria; quàm præceptis, fabula Phaëthontis satis superque innuit. Instructus ille paternis præceptis erat sufficienter: sed vsum rei non fecerat, nec initium progressumve, nec tempora mandatorum nouerat, multo minus si quid casu euenisset, moderamen accommodare, & errata reuocare poterat. Ita tyrones Chymici, vbi pyragras, aludeles, alembicos, fornacum structuras, lutamenta, prunarum ignitiones & reliqua viderunt, & iam ad præcepta operarum admissi aquam simplicem destillatione prolectam, in receptaculum phantasiæ decurrunt; sibi iam de artis arcanis plenè constare credunt, in morem illorum qui ad academias missi, antequam Apollinem conspexerunt, omnia ad vnguem

ſibi explorata pollicentur. Sed artifex Chymicus ſulphuris cum ſale petræ deſtillationem proponens ſtultitiam periculo corrigit. Optarem tale quid vetulis illis, & ſeplaſiariis, qui tam confidenter ſibi arrogant myſteria chymica, vbi ex cacabo & campana roſtrata aquam paululum quid roſas ſpirantem profluere ex voto ſuo conſpicantur. Ego amplitudine & difficultate experimentorum motus non auſim mihi quicquam promittere, quod non longo vſu obſeruatum artificibus innotuerit. Craſes rerum & affectiones tot ſunt, quot res numero. Non vno modo ſe habent ad artis magiſteria omnes. Non omnes ignem patiuntur ſimiliter. Sunt & diſtincti operarum fines; quorum quiſque ſuo innoteſcit ſigno. Peritos auſcultandos ſpectandoſque, manumque ſæpius admouendam iudicant, qui ſapiunt. In deſtillatione deprehenſum eſt, quædam indigere rigatione, quædam ſuo ſucco quem habent, & tunſa præbent copioſum, contenta macerari. Illa ſicca ſunt, hæc actu humida. Vulgus deſtillatorum cuilibet herbæ affundit ſeu fontanæ, ſeu pluuiæ (nihil enim putant intereſſe) ſatis vaſtam molem, & ſuo ſe officio functum putat, ſi ex roſtro deſtillauit liquor, tametſi is ſæpiſſimè nihil præter empyreuma quoddam ſapiat aut redoleat. Monent artifices aliquibus deberi irrigationem ex vino, aliquibus ex aqua propria; & quantitatem determinant,

tum humoris ſufficientia, tum aduſtionis cautela. In aromatis pro eliciendo oleo aquam ter deſtillatam vt exuperet palmum, affundi iubent, vt & in lignis & aliis ſiccioribus, ex genere animalium & plantarum. In deſcenſione nulla opus eſt aqua. Plerumque ſicca imponuntur: vnde & empyreuma contrahunt. In aliis deſcenſionibus res plana eſt, dum imbibita aqua intumeſcit corpus; aperit penetralia ſua & ad intimam virtutum ianuam, quæ ſine humore latitaret clauſa. Quod ſi affuderis quid nimium, pauca virtus in vaſtitate exileſcit, diſſipaturque: non tantum quia ſpargitur, ſed & à copioſi ſubiecti vi maiore obliteratur, niſi artificio compenſare abundantiam poſſis, & ſine iactura copiam ad pauca reuocare. Niſi etiam irrigua res ſit, citius adureretur, quàm opes effunderet, præſertim calore ſicco. Itaque etiam in hoc paulo plus affundendum eſt, quàm cum deſtillatio in balneo, aut vndiquaque calore humido peragitur. Solet autem elementaria & nutritiua humiditas ſequacior eſſe quàm radicalis, quæ plerumque oleoſam ſortita eſt naturam. Non abiiciendus animus eſt, ſi non ſtatim prima deſtillatione prodit liquor totus. Elicienda aqua eſt vſque ad ſiccum, ſed citra combuſtionem. Reliquiæ denuò terendæ, ſuoque ſpiritu infundendæ, ſeu in digeſtione & putrefactione collocandæ; & tunc reuertendum ad deſtillatio-

nem, donec voti fias compos. Sed tunc, maceratio minus humoris requirit, quàm cùm aquam prolicis. Nota in plerisque non totam aquam extrahi, sed saltem partem tertiam. Si extrahitur tota, rectificanda est abducto phlegmate. Huius vsus porrò potest esse in oleo euocando. Attenditur hoc in plantis & earum partibus vt plurimum. Locum tamen habet etiam in mineralibus aliquibus & animalibus. Quæ digerenda, putrefaciendaque prius sint, quandiu, & quo fine, in singularibus dicitur. Pinguia, vt resinæ, &c. destillantur sine adiectis arenis, cinere, sale, & similibus. Valet tamen & hic ignis industria. Gummi resolui solent in suis liquoribus, aceto nempe vel vino, quædam etiam in aqua terebinthi: vocant menstruum terebinthinatum. Spirituosa, vastiora exigunt instrumenta, vt mel. Mineralium spiritus postulant receptaculum amplissimum. Quædam non vno fiunt artificio. In omnibus penè vbi igni opus est, à primo gradu paulatim progressus est ad reliquos. Phlegmata facile exeunt. Olea difficilius.

Distinguuntur diuersa stillicidia coloribus & consistentia. Plerumque aqua agnoscitur ex limpida & fluxili natura, quanquam in aliquibus sat fluat turbida; & à spiritu oculis non benè dignoscatur. Sequitur eam flauities, & tandem igni vltimo rubedo ignea. Si segregare ignores, diuersis opus est rece-

ptaculis

ptaculis. Oleoſa ſubſtantia aliquando innatat aquæ,& facilis eſt ſegregatio per inclinationem, aut ſubducta per tubulum aqua. Interdum ſubſtat. Vti poterimus effuſione, lacinia, emiſſariis. Aliqui per filtrum ſeu tritorium chymicum ex charta ſubducunt aquoſa. Olei craſſities reſtat in charta, nec perlabitur. Non deſunt, qui per retortam blando igni eliciunt aquam oleo reſtitante. Nonnulli cochleari metallico, aut pennæ coliculo recipiunt innatans oleum. Subſtans cohibent appoſito goſſipio, quod aquam tranſmittit ſeruato oleo. Alij infundibulum cum roſtello vſurpant.

In quibus non ſegregantur ſtatim eſſentiæ, ſolis aut fornacis moderatam implorant digeſtionem: qua fit vt ex ſuo complexu aqua dimittat oleum, ſeparandum ſubtili admodum induſtria & cautè. Aliquibus placet pennæ caudex exceptorius.

Rectificatio neceſſaria eſt in omnibus per deſcenſum actis. Peragitur illa affuſione ſpiritus vel aquæ cuiuſdam, maceratione & repetita deſtillatione. In aliquibus ſaltem calore mitiore auocatur ſubtile oleum à fœtente viſcoſitate. In floribus deſtillandis ignis regendi modum tritum inueſtigant. Si floris odor euaneſcit digitorum attritione aut deterior redditur; indicium eſt extare in ſuperficie ſubtiliſſimam eſſentiæ partem cum tinctura. Si melior redditur, latet in re-

cessu. Itaque ibi leuior opera & calor mitior, vt est balnei blandities, requiritur: hic intensior: aquæ præstantiores fiunt, si nouis infundantur rebus, & iterum destillentur. Quidam non resumunt herbas, sed immittunt semina, vel radices, & à maceratione destillant; destillatum rectificantes in sole. Aliqui rosaceam instillant.

In aliquibus primum exit aqua inefficax ex vapore tenui. Sequitur succus crassior & virtute prægnantior. In aliquibus contra fit; aquæ interdum sedimenta deponunt: quæ sunt corruptionis causa & indicium heterogeniæ seu impuritatis. Hæ corriguntur destillatione lenta: qua quod tenuissimum est abstrahitur. Aquositas restat in vase: ita & vetustæ, nisi penitus sint corruptæ, possunt corrigi.

DE AQVIS DEſtillatis.

CAPVT II.

De Fumaria.

ORDO requirit vt à notioribus initium ducatur. At quod primo omnium è mixtis, ſenſibus noſtris ſe ſe offert in diſſolutione, eſt illud maxime extrinſecum, quod dicitur phlegma, ſeu elementum aquæ, vicarius Mercurij ſeu ſpiritus acidi. Eius natura ſatis patet ex prioribus, eſſe omnium elementorum ſenſibilium volatiliſſimum, primum frigidum & humidum: quod elicitur ex omnibus rebus mediante deſtillatione, idque duobus modis. Vel enim elicitur ex ſuccoſis, vel ſiccis.

Ex ſuccoſis modus eliciendi talis erit.

Sume herbam ſuccoſam quamcunque, ſi vis fumariam: contunde & exprime ſuccum per torcular. Depuretur ſuccus per lentam efferueſcentiam cum albumine ouorum, modo vulgari pharmacopœorum: depuratum ſuccum filtra triplici filtro: filtratum impone

in cucurbitam vitream, quam ad tertiam partem implere debes. Tunc adaptato alembico rostrato cum recipiente, iuncturis negligenter obturatis papyro & albumine ouorum, pone cucurbitam in balneum Mariæ. Si velis depurare aquam tuam à phlegmate, vbi destillauerit vna pars tertia succi, aufer, & reserua, est enim phlegma; & muta recipiens: tunc transfer cucurbitam in balneum cinerum, & vrge destillationem igne lento, quousque videris succum tuum obtinere consistentiam syrupi, aut mellis. Tunc destillatio erit perfecta. Reserua phlegma per se, & aquam destillatam similiter: succum vero inspissatum pone in disculis vitreis, aut terreis vitratis, & repone in balneo Mariæ ad euaporandum in perfectiorem consistentiam. Sic habebis aquas & extractum, separatas ab omnibus impuritatibus, & imbutas omnibus viribus mixti. Sed extractum viribus ipsi aquæ præpollet. At notandum vbi desideraueris retinere in extracto omnes vires mixti, tunc cõtinuandam esse destillationem è B.M. ne violentiore calore spiritus fixi egrediantur cum phlegmate, qui denudare solent extractum proprietatibus eius maximè intrinsecis & specificis. Secus si desideraueris aquam viribus mixti pollentem, tunc vrgeri debet destillatio super cineres, reiteratis multis cohobiis super fæces. Sic habebis optimam aquam, extractum

autem nullius momenti.

Sume denique fæces herbæ, quas calcinabis ad perfectam cinefactionem: fac lixiuium per suam aquam, quam postea filtrabis (pręmissa longa digestione) & sic impręgnabitur aqua suo sale, quæ ad multos annos durare potest absque corruptione vlla. Aut si salem exoptes, euaporato lixiuio, in fundo vasis inuenies, sicut ab extracto, vt gendo destillationem, spiritum acidum seu Mercurium, & oleum seu sulphur elicies. Extracti vsus varius est, si nempe ex ipso velis conficere Syrupum, sume eius aquæ destillatæ vnciam vnam, in qua dissolue dragmas duas sacchari, (vt moris est apud pharmacopœos) extracti totidem etiam, coque omnia ad consistentiam requisitam, & habebis Syrupum, multis gradibus, vulgari modo parato, præstantiorem. Si autem planta habeat virtutem aliquam catharticam, habebis similiter extractum catharticum, vt de rosis pallidis & esula minori. Si vulnerariam, habebis ex hypericonis, betonicæ, menthæ, saniculæ herbis, extractum vulnerarium, longis interuallis vnguentis vulgaribus anteponendum, quod ad multos annos potest conseruari, & de quo ex tempore poteris conficere vnguenta, addendo vel oleum flauum, aut rubrum terebinthinæ, aut extractum succini, aut croci, &c. Immo si mellis opus fuerit, aut addita cera reducere poteris in

consistentiam, vel emplastri, vel cerati. Denique hisce munitus extractis, in vna pyxide comportare poteris integram officinam pharmacopœi. Si velis redigere extractum in consistentiam pilularum, aut alio quouis modo præparare, licebit, verbi gratia, ex rosis pallidis. Hoc extractum est efficacissimum, diuque seruari potest.

Obseruandum in huiusmodi destillationibus, cum fiunt per balneum Mariæ, aut in sole, extractum obtinere omnes mixti vires: aquam vero paucas easque inualidas, & elementares. Proinde non exhibetur eiusmodi aqua, nisi pro simplici qualitate, & si quam aliam habeat, ea valde exigua est, vt supra dictum fuit.

Vires huius plantæ cum satis sint notæ ex authoribus qui de re botanica scripserunt, ad illos recurrendum.

Siccæ autem herbæ tales sunt, vel à natura, vel per desiccationem in vmbra. Vtręque destillantur modo sequenti. Sume siccam aut desiccatam, & scinde in frustula, & pro libra vna aut duabus, pro capacitate vasis, affunde libras quatuor aquæ fontanæ, siue pluuialis. Pone in digestione cum pauco sale tartari ad fermentationem per aliquot dies, vase optimè occluso, in ventre equino aut balneo Mariæ, vt præscriptum est supra in apparatu digestionis. Tunc destilla è vesica per Balneum cum capitello & refrigerio spi-

rituum, meo more apparatis: & procede lento igne carbonum. Egredietur primò aqua ſpirituoſa, omnibus viribus mixti imbuta. Si planta fuerit oleaginoſa, ſicut ſaluia, lauendula: emanabit oleum cum ipſa aqua. Aut ſi fuerit ex genere aromatum, quæ naturalem in ſe obtinent fermentationem, aut ſi ſint artè fermentata ſecundum proceſſum antea præſcriptum, vt videmus in vino, pomacio, ceruiſia, cinamomo: tunc illud quod primo egreditur, eſt præſtantiſſima mixti pars & inflammabilis, vt patet in aquis vitæ, quæ fiunt per ſubtiliſationem partium craſſarum in perfectam & æthereum naturam: reliquum enim quod ex talibus elicitur, nihil ſapit niſi phlegma, quod vrgendo ignem ſolet aduehere ſecum reſinam, quæ vulgo dici ſolet *Empyreuma*. Si autem prædictorum naturam minime ſapiat, vt ſi fiat, qualis eſſe deprehenditur fumaria, aut betonica: tunc excellentiorem aquam habebis, affundendo aquam tuam deſtillatam ſuper recentem materiam eiuſdem ſpeciei: & habebis duplicem, triplicem, quadruplicem aquam: ſæpius ſi vis cohobatam, pro intentione artificis, quæ per multos annos durare poteſt.

Oleum autem ſeparabis ab aqua per clepſydram. Ad cuius conſeruationem vtile erit relinquere aliquid aquæ ſub ipſo.

Eiuſmodi operationes fieri poſſunt ex ſal-

uia, maiorana, lauendula, hyssopo, & omnibus herbis similibus.

Denique æquum erit calcinare fæces, & inde educere salem per lixiuium, quam admiscere debes suæ aquæ.

Sed in toto hoc processu obseruandum, quod aquæ quæ eliciuntur ex herbis succosis frigidis, validius refrigerent, si destillentur è balneo Mariæ: sed non diu conseruantur, inde enim nihil emanat nisi purum phlegma. Proprietates aliæ mixti reperiuntur in extracto.

EXAMEN EORVM quæ hoc capite habentur, per modum interrogationis & responsionis.

Peripateticus, Spagyricus.

PEripat. Diligenter hactenus omnia, quemadmodum postulat rerum natura, distinxisti, tumque optima quæque, nec vulgaria de ipsis rerum simplicibus corporibus pertractasti: Nunc autem quoniam de mixtis sermo est, ipsorum etiam naturam

magnopere addiſcere cupio. Quæ veniunt conſideranda in hoc proceſſu?

Spagyr. Duo, diſſolutio corporis mixti, & debita eius præparatio, cum ad conſeruandam ſanitatem, tum ad morborum curam.

Perip. Diſſolutio de quibus intelligitur?

Spagyr. De compoſitis & mixtis.

Perip. In quibus differunt compoſitum & mixtum?

Spagyr. Secundum Ariſtotelem compoſitum eſt illud, quod vinculo vnius formæ eſſentialis minimè continetur, ſicut cumulus frumenti & fabarum. Mixtum autem ſecundum eundem *lib.* 1. *de ortu*, *& int. cap. vlt.* dicitur, quando vnum corpus eſt, cuius partium omnium extrema vnum ſunt inter ſe.

Perip. Quotuplices ſunt mixti ſpecies, ſecundum Peripateticos?

Spagyr. Triplices. Prima eſt eorum, quæ vbi coiere, rurſus diſſolui poſſunt, vt aqua vino mixta. Altera in corporibus naturalibus, quæ mixta imperfecta dicuntur, vt ſunt nubes, pluuia, venti, &c. Tertia eſt corporum, quæ vegetant & ſentiunt.

Perip. Quare dicitur mixtum vnum?

Spagyr. Tum propter continuationem, hoc eſt priuationem puræ contiguitatis: cum propter formam, per quam fit vt partes ad vnionem coeant, ſeu, vt loquitur Gal. cum mixtio fit εἰδοποιός, & ex omnibus mixti partibus fit vnum ens formaliter.

Perip. In hac mixtione formæ miſcibilium manent-ne in mixto, an abolentur, vt volunt Peripatetici?

Spargyr. Rem petis difficilem, & in hac humana caligine arduam. Tamen producam quid veritas, experientiæ manu, in tanta re extorquere poſſit. Vix vlla res eſt, ex qua non eliciant Chymici tres naturas valde inter ſe differentes: quarum quæ ſubtilior & volatilior, ſpiritus dicitur, ſeu Mercurius: quæ vero craſſior & pinguior, oleum & ſulphur; quæ vero omnium maxime fixa, & ex intimis mixti penetralibus educta percipitur, ſal illis nuncupatur. Præter has tres naturas valde vtiles, ſupereſt quædam materia terreſtris & inutilis quoad eſſentiam (non tamen quoad compoſitionem) ex qua duæ naturæ educuntur, nempe arena ſeu limus, ex quo denique fit vitrum. Eſt etiam inſuper aqueus quidam & inſipidus liquor, quem phlegma dicunt. Ecce quomodo vnumquodque mixtum in tot diuerſas partes diſſoluitur: ex cuius diſſolutione compoſitio ſimiliter inueſtigatur. Compoſitionem enim rei aliquis ſcire non poterit (inquit Geber) qui deſtructionem illius ignorauerit. Neque ſolum iſtas naturas, ſed etiam ignem & aërem, nempe vulgaria elementa quãquam inuiſibilia, tres itidem ignis ſpecies intuendæ in mixto: quas Plato in vrentem & non lucentem, qualis in ſale guſtu deprehenditur, & omnibus eſcha-

roticis: lucentem & vrentem, qualem in oleaginosa parte deprehendimus: tertiumque lucentem & non vrentem, qualem in calore innato, spiritu aut forma deprehendimus. Ex his omnibus componi mixtum certum est, cũ in ea dissoluatur, haud secus atque ex aqua & vino fit crama. Rursus mixtum quodlibet, in ignem terram, seu vitrum, aërem, aquam, salem, oleum, & spiritum resolui quemadmodum potionem illam in vinum & aquam, est conspicuum. Quidni igitur quod de aqua & vino, id ipsum de his elementis agnoscimus, ea scilicet in mixto durasse, propriamque naturam semper retinuisse?

Perip. At ista è diametro pugnare videntur contra ea quæ Arist. contra Empedoclem affirmat *lib.* 1. rationem mixtionis in eo esse, vt mixti partes sint eiusdem naturæ, nec minus similes quam aquæ partes: alioqui futuram compositionem, non mixtionem, si partes, quantumuis exiguæ, naturam inuicem diuersam retineant. Similiterque 2. *de generatione cap.* 6. redarguit Empedoclem, quia secundum eius sententiam sequeretur, quod ex qualibet parte mixti non possunt quatuor elementa extrahi, & sic quælibet mixti pars non esset mixta.

Spagyr. Primum quod attinet, certum est cum corpus mixtum ex pluribus vnum fiat, potestate tamen multiplex, concurrere elementa partim contraria, partim conuenien-

tia, vix aliter ſane, quam per appoſitionem quandam vnius ſubſtantiæ ad alteram, intercedente ſectione mutua ſubſtantiarum ſimul & qualitatum, ſæpe vſque ad particulas minimas ſecundum ſenſum, ſæpe propter ſubiectæ materiæ contumaciam diuiſione tam imaginabili, vt in ſimilaribus multis ipſas quoque ſubſtantiarum & qualitatum diuerſas ſedes vel ſenſus oſtendat. Lac enim vel hoc nomine ſimilare eſt, quod omnis fit eius diuiſio in partes eiuſdem rationis. Videt tamen in illo ſenſus alibi butyrum, ſerum, caſeum: vna tamen lactis forma, omniumque fuit vnio perfectiſſima, vnumque totius fuit corporis temperamentum. Quare quæcumque formarum in hoc ſublunari orbe reperitur compactio, non tam videtur mixtio, quam vnius in alteram tranſire volentis abſumptio. Proinde recte definiuiſſe videtur Scaliger, cum aſſerit, mixtionem eſſe *motum minimorum corporum ad mutuum contactum vt fiat vnio.* Et quod experientia, atque inde ratio manifeſta docuit, id ipſum veteres Philoſophi & Medici complures clariſſimi agnouerunt. Ad quam veterum veritatem ſpectat illud Lucretij *de rerũ natura lib.* 2.

Cedit enim retrò, de terra quod fuit antè,
In terras, & quod miſſum eſt ex ætheris oris,
Id rurſum cæli rellatum templa receptant.
Nec ſic interimit mors res, vt materiaï
Corpora conficiat, ſed cœtum diſſuat ollis.

Quam fuiſſe ſententiam Hippocratis nullus negabit, niſi qui Hippocraticæ lectionis ſit prorſus ignarus. Et vt cætera omittam, in libro de humana natura, magna pars operis eò tendit, vt demonſtret, quomodo natura humana rerum obitus conficiens, eò ſingula refert, vnde accepta fuerunt: proinde vnumquodque ex iis conſtare, in quæ reſoluitur. At ea quibus alimur, non ſunt homogenea, neque conſtant ſimilibus partibus, quum reſoluantur in ſalſum, amarum, inſipidum, acidum & παντοῖον, quas δυνάμεις appellat. Ergo ex iſtis diuerſiſſimis partibus conſtare vnumquodque neceſſe eſt. Alibique ait ſimilem naturam ſibi ſimilem è terra producere. At hoc denotat in ipſa terra eſſe partes diſſimilares, quod innuere videtur & Lucretius de natura rerum.

Præterea quæcunque è terra corpora creſcunt,
Si ſunt in terris, terras conſtare neceſſe eſt
Ex alienigenis, quæ terris exoriuntur.

Ex quibus apparet formas elementorum non aboleri. Aliàs enim in putredine & reſolutione fieret noua elementorum generatio, & in generatione fieret priorum elementorum corruptio.

Peripat. Accipio iſta & egregia, & Medicorum omnia authoritatibus approbata. Sed cupio ex te aliquid ſenſibus magis congruum, & experientiæ manu confirmatum, quo poſſim in tuam tranſire ſententiam. Adfer

ergo exempla artis Chymicæ, quibus possis diuersarum partium in mixto remanentium naturam apprime demonstrare.

Spagyr. Nonne fidem facere possunt, quæ de auro, argento, mercurio, plumbo, antimonio, adferre licet: quæ quantumuis millies dissoluas, tamen semper ad primam naturam videntur redire?

Peripat. Ista omnia sunt imperfecte mixta. Da exemplum vegetabilium aut animalium.

Spagyr. Si hæc tibi fidem plenam non fecerunt, ecce perfecti, vt ais, mixti exemplum. Corpus cibo augetur & alitur, cibus autem quo alimur, non est vnus, neque vnius generis; alimur enim, verbi gratia, pane, carnibus, piscibus, radicibus, caseo, fructibus, baccis arborum, aqua & vino, & similibus, atque hæc sunt alienigena & dissimilia inter se. Ergo neque venæ & sanguis, neque cætera singula constant partibus similibus, cum hæc omnia cibis illis diuersis alantur & crescant. Si dixeris cibos constare corpore mixto: at ista mista sunt heterogenea, vt prius dictum est. Hoc dilucidè à Lucretio de rerum natura exponitur.

Præterea quoniam cibus auget corpus, alitque,
Scire licet nobis venas, & sanguinem, & ossa,
Et neruos alienigenis ex partibus esse.
Siue cibos omnes commixto corpore dicant
Esse, & habere in se neruorum corpora parua,
Ossaque & omnino venas partesque cruoris,

Fiet vti cibus omnis & aridus, & liquor ipſe
Ex alienigenis rebus conſtare putetur,
Oßibus & neruis, veniſque & ſanguine mixto.

Similiter in fumaria viridi, cum humiditas quæ in illa eſt, aufertur, nonne quo plus humidi ex ea elicitur, & eo extracto ſicciores euadunt partes reliquæ: nonne fateberis ſeparatione partium humidarum reliquas ſiccas totum ſiccius conſtituere? At Ariſtoteles affirmat, æqualiter omnes partes mixti fuiſſe humidas. Quæro ergo vnde effectum ſit, vt aliis ſe ſe exſiccantibus aliæ madeſcant magis: an quod aliarum humiditas in has tranſeat? At hoc eſt dicere accidens tranſire è ſubiecto in ſubiectum, quod nullus ſanus admiſerit. Cum igitur nulla poſſit aſſignari vera cauſa, fatendum quod verum eſt, partes alias in mixto fuiſſe, quarum ſegregatione reliquæ ſiccæ apparuerint, harumque ſiccitas cum humidis confuſa non patebat. Quod optimè notauit Lucretius.

In lignis ſi flamma latet, fumuſque ciniſque:
Ex alienigenis conſiſtant ligna neceſſe eſt,
Ex alienigenis quæ lignis exoriuntur.

Exemplum artis ſumamus. Ex lacte in infantis ventriculo cocto, pars in ſedimentum, aliæ in chylum conuertuntur: ex hoc aliæ in ſanguinem, aliæ in pituitam, bilem, melancholiam: denique partes omnes in propriam ſuam quamque regionem amandantur. Rurſus ex ſanguinis partibus, pars alia in vrinas,

alia in excrementa demittitur. Vnde ergo harum rerum dissimilitudo? Idem nempe est agens, eademque vis ex eodem succo, quem æqualiter afficit, partes tam dissimiles educens. Calidiores, frigidiores, humidiores, ficciores, leuiores, grauiores, dilutiores, spissiores, amariores, dulciores, & plurimis aliis modis inter se dissidentes sibique contrariæ quid aliud prædicant, quam diuersarum partium ex eadem massa, facta dissolutione, segregationem? calidioresque frigidiorum, sicciores-que humidiorum, spissiores liquidiorum separatione factas: quas idcirco prius fuisse verisimile est, dum licet diuersæ ab inuicem, quadam tamen proportione temperatæ, vnum conflabant compositum. Hanc diuersam rerum posituram elegantissimè exprimit Lucretius.

Dissimiles igitur formæ glomeramen in vnum
Conueniunt, & res permisto semine constant.
Quin etiam passim nostris in versibus ipsis
Multa elementa vides multis communia verbis,
Cum tamen inter se versus & verba necesse est
Confiteare & re, & sonitu distare sonanti:
Confiteare alia ex aliis constare elementis,
Tantum elementa queunt permutato ordine solo.

Videsne hîc diuersitatem partium mixti, mistumque nil esse, nisi diuersarum partium diuersam compositionem, esseque mixta vnum per contiguitatem, non autem continuitate: remanent enim formæ omnes in mixto.

mixto. Si enim vniformes essent, neque ipse Oedipus causam assignarit, cur idem agens ex æquo in omnes vim suam immittens, eiusdem massæ humidæ ac liquidæ partes alias in sanguinem, alias in bilem, pituitam, melancholiam, transmutarit? Cur quo plus humiditatis illæ, eo plus siccitatis hæ acquirant? Cur exhalatis calidioribus, reliquæ maneant frigidiores? Cur ex eiusdem ligni particulis continuis, fumum, aquam, flammam, cineres, eduxerit? Cur quantumuis suam actionem augeat atque continuet, nec prunas in flammam, nec cineres in flammam, nec vini phlegma in aquam ardentem, nec recrementa in eorum naturam quæ inde expressa sunt, possit conuertere? Cur fragrantibus expiratis aliæ restant insipidæ? vt fit in malo odorifero & similibus. Certum inde exurgit testimonium, partium quę expirantur, eas esse quæ nares tuas subeant, vt talem sensum iis præbeant: Oleo pariter ex nuce moschata extracto, fæces quam diligentissimè potueris tere, experturus an pressæ in oleum conuertantur. Norunt Spagyrici, repetita contritione & concoctione, posse aliquid de nouo elici, sed diuersissimæ naturæ à priori. At quid euidentius facit ad veritatem huius rei, quam omnium Chymicorum salium, qui prius latitabant, ope aquæ, artificiosæ prolectiones? Vnde iuuabit annotare, quam alienum ab experientia contineat illud Arist. dogma *lib.* 2.

meteor. causam salsuginis maris inuestigans, eam ex adustione deducens. Si enim per adustionem cineres ab igne acrimoniam acciperent, eosdem cineres lixiuio facto, & partibus acribus semel ademptis, si rursus adusseris, semper eandem acrimoniam imprimeres. Sed hoc experientiæ repugnat. Arena enim, quæ vera est terra & terrestris pars, vitrificationem admittit, adustionem vero nunquam. Ergo patet salem esse reuera in rebus, neque vllo pacto fieri per adustionem. Quare non immerito salem pro symbolo æternitatis statuit cum Israëlitis omnipotens Deus, *stabilibo*, inquit, *hodie vobiscum fœdus salis*, hoc est perpetuum. Præterea, quia si salem quem eduxeris, iterum ac sæpius aqua diluas, lixiuium conficies simile priori, quo euaporato tuum salem inuenies puriorem in cineris tui materia. Igitur antea fuit sal ipsemet, imo ante cinifactionem actu erat in ipsa planta, sed iam aqua dilutus: antea autem per minutissimas plantæ partes dispersus delitescebat. Iam vero aquæ euaporatione relictus, quicquid in cineribus acrimoniæ erat remanentis, cineribus insipidis & insulsis modicum hoc salis prius dispersi iam coactum in vnam massam vires exerit. Vnde patet omnes partes plantæ, nec cinerum, non fuisse similes, cum his acrioribus inuentis, reliquæ partes suam acrimoniam minimè perdiderint. Nil enim aliud facit ignis, quam dissoluere ne-

xum partium corporis, vt ſingulæ partes ad eandem redeant naturam quam prius habebant. Ex his omnibus conſtat, partes mixti nunquam à natura propria receſſiſſe, ac propterea falſiſſimum eſſe ipſas eandem cum toto ſeu mixto rationem nanciſci, vt partes aquæ eandem, quam totum, naturam participent.

Perip. Vnde ergo eſt, quod videmus partes habere inter ſe tantam ſimilitudinem, vt vnum appareant?

Spagyr. Anaxagoras, (refert Cicero, *lib. 2. acad. quæſt.*) hanc difficultatem tollit, dum ait materiam eſſe infinitam, è qua omnia gignantur (& vt ait Hippocrates, in terra inſunt omnigenæ facultates) eiuſque particulas ſimiles inter ſe vnitas eas primum confuſas, poſtea in ordinem adductas à mente diuina. Hic librum ſuum ſic orſus eſt, ὁμοῦ πάντα χρήματα ἦν, νοῦς δὲ αὐτὰ διῆρε καὶ διεκόσμησε. Id eſt, *ſimul erant omnes res: mens autem eas diſtinxit & in ordinem redegit.* Et ab hac mente prouenit forma vniuerſalis mundi, & omnium partium eius. Proinde nihil eſt eſſentia, ſed ratio illius vinculi. Neque eò abſurditatis proſiliiſſent multi, niſi credidiſſent ac pro fundamento ſuppoſuiſſent, ex qualibet mixti particula educi poſſe quatuor elementa. Cuius quam ſit falſiſſimum commentum, iam videbimus. Ariſtoteles contra Empedoclem aſſerens minutiſſimas mixti partes ſingulas

in diuersas diuersorum elementorum particulas resolui disputans, fortissimo argumento infert, quod secundum eius opinionem ex vna eademq; mixti particula vtrumque educi nequeat, aqua simul & ignis cum reliquis elementis: & ita quælibet pars mixti cum toto non erit similis. Sed quid inde absurdi esset? Partes non esse similares hactenus ratione, & experientia clarum fecimus. Iam autem inuictissimis duobus argumentis demonstrabimus, ex qualibet parte mixti non posse educi quatuor elementa, sed ex singulis singula. Et ad hoc probandum: In schola Peripatetica nemo ignorat, ex carne & ligno ignem & aquam produci. Idem est, ac si dicas, materiam carnis aut ligni forma corrupta, formam aquæ & ignis complecti. Itaque secundum illos ex qualibet carnis particula ignem & aquam educi, nihil aliud est, quam partem quamlibet materiæ carnis, formam ignis & aquæ suscipere. Iam quæro. E carnis particula vel simul exeunt, vel vnum post aliud. Si primum, quod apud ipsos est indubitatum, ad formam ignis & aquæ requiritur præuia materiæ dispositio, quæ paulatim fit & successiuè. Debuit ergo quæ ad formam ignis tendebat, esse valde calida & sicca, quantumque ignis natura postulabat: contra, quæ ad formam aquæ, esse apprimè frigida & humida. Iudicent an eadem materiæ particula potuerit simul ad

formam ignis & aquæ motibus contrariis tendere, vt fuerit in gradu intenso calida & sicca, simulque frigida & humida. Si secundum dicant, vt ignem & aquam vnum post alterum abiisse putent: clarum est non ex eadem materia prodiisse. Non enim fit de nouo illa materia, sed quæ carnis formæ substrata erat, abiens formam vel aquæ vel ignis accepit. Non autem est materia, quæ iam in aquam abiit, & illa quæ adhuc sub forma carnis est speciem ignis expectans. Iam vero considerandum; materiam ignis & aquæ quæ producebantur ex carne, non aliam esse, quam quæ prius erat sub forma carnis vnita: non enim de nouo producitur. Et quamuis aliud faciat compositum, tamen eadem est quæ fuit prius: sed iam materia ignis non est materia aquæ. Ergo nunquam fuit eadem. Potest quidem eadem materia aliter esse affecta in composito. Insaniunt qui putant materiam iam ignem factam in carne, fuisse illam quæ iam induit aquæ speciem. Ecce vt pro Empedocle veritas vincat, ex diuersis partibus mixti diuersa exire percepisti.

Perip. Ista vt vera & sensibus congrua video, mixtionemq; magno rei medicæ damno in rerum naturam introductam fuisse, quam & totius naturæ testimonio deuictam nunc fatebor, magnoque rei philosophicæ ac medica tranquillitate cessaturum veteribus Philosophis, Medicis, & Chymicis, deinceps pro-

fitebor, cum non nisi ex eorum principiorum notitia certa pateat rerum cognitio.

Hoc capite ex accurata huius mixti analysi confirmabuntur partis meæ Theoreticæ vera principia, & vice versa per synthesin practicæ partis vera resolutio. Quæ omnia schedulis auditorum committentur.

DE MERCVRIO, sub titulo aceti destillati.

CAPVT III.

IN omni destillatione Mercurius inter tria principia est minus radicalis seu intrinsecus, propterea primo ascendit, aliquando in valde parua quantitate, & non nisi lentè si res destillanda fuerit valde compacta, aut si paucos habeat spiritus: secus si spiritus in mixto præualuerint: tunc paruo ignis adminiculo ascendit spiritus cum phlegmate. Exempli gratia, in separatione aceti, cum sit valdè acidum, spiritus acidus, cum phlegmate facilè ascendit. Vbi notandum, quod in liquoribus valde acidis, phlegma primo erumpit, cum aliqua spirituum portione. Contrarium videmus in liquoribus, vbi

prædominatur oleum, seu quinta essentia, quæ fit vt supra per fermentationem. Primò enim ascendit inflammabilis illa quinta essentia, quæ vt plurimum dicitur spiritus nutritiuus, deinde phlegma. Ex quo sequitur non leuis dubitatio ex superioribus orta. Dictum est supra, Mercurium & phlegma esse maximè extrinseca: & iam videmus de quinta essentia hoc ipsum asserere: quod enim primo egreditur in resolutione mixti per ignem, illud est maximè extrinsecũ; atqui quinta essentia talis est, ergo. Quæstio soluitur per assumpti distinctionem: aliud enim est esse extrinsecum natura, aliud munere & officio. Phlegma enim, vt & spiritus, natura sunt magis extrinseca: quinta autem essentia, quum animæ vegetantis officium subire videatur, maximè intrinseca & radicalis esse debet. At cum in dissolutione mixti primo egreditur, hoc est vt corruptioni tantum mixtum relinquat, proinde in dissolutione mixti primo egreditur: mors enim vegetabilium nihil aliud est, nisi ablatio cælestis & inuisibilis caloris. At iste inuisibilis calor, quid aliud est quam quid purius seu quinta essentia? Qui dicitur anima rei, prouinciamque obtinet in viuo attrahendi, disponendi, crescendi, & nutriendi: quas facultates tribuit essentiæ quintæ, quasi eius instrumento proximo. Quarum facultatum ideæ in mortuo non nisi ex parte inueniuntur,

nempe conſeruant mortuum à putredine & deperditione partium, quouſque per nouam generationem ſibi aduocauerit animam, & corpus nouum conſtituerit. Sin vero vitæ affecta tædio, ſiue violenter è ſede ſua expulſa, primò exit non natura, ſed munere abſoluto obligata.

Ratio diſtinctionis probatur ab exemplo vegetabilium. Sume quamlibet herbam virentem & iam pullulantem. Sume eandem, ſed maturitate & pari quantitate euectam; extrahe è ſecunda per longam fermentationem, vt docebitur, quintam eſſentiam; ſimiliter ex immatura eandem elice. Vtriuſque operatione peracta, non inuenies quintæ eſſentiæ æqualem portionem in vtraque: ex matura enim duplo plus quintæ eſſentiæ habebis, quam ex immatura ſeu virente. Largiorem vero phlegmatis & ſpirituum portionem in virente procul dubio inuenies. Et ratio eſt, quod cum quinta eſſentia tam puſillis ab initio dimenſionum legibus coërceatur, non tam ſui quam officij memor, tota circa ſalem, ſulphur & Mercurium occupata eſt, vt ſecundum eiuſmodi inſtrumenta attractoria, corpus ſibi deſtinatum & ſuæ ſpeciei ſimile conficiat: præcipuè vero cum Mercurio coniugium iniens, in cuius poteſtate ſpiritus mechanici attractionum deliteſcunt, copioſiorem Mercurium ſemper de terra attrahunt, quam alicuius

alterius principij, quousque planta peruenerit ad summum suæ perfectionis gradum: Tunc quinta essentia non solum è terra, sed etiam è cælo naturam analogam attrahit, nunquam perituram, nec elementorum legibus subiectam, manetque in mixto vsque ad vltimum eius fatum, neque vnquam educitur nisi violenter. Eoque tempore primò egreditur dissoluto vinculo, & hoc est quod voluit Hippocrates *lib. de locis; Ex paucis multa contingunt, quia copiosiorem materiam è terra educunt, quam à parentibus acceperunt*: intelligens sine dubio seminariam cuiusque rei facultatem, quæ qualis est in semine, talis est etiam in ipsa terra. Sed redeamus ad acetum.

Acetum cum habeat in se diuersas substantias sicut alia mixta, dubitare fecit Galenum, eius qualitatem aliquando calidam, nunc frigidam existimantem. A Chymiatro facile solui potest hoc dubium; separatio enim talis est. Sume acetum & destilla è cucurbita vitrea, per balneum Mariæ tepidum, quousque habueris quartam partem aut circiter affusi aceti, si sit acetum vulgare. Hoc enim quod primo effluit, nihil sapit præter elementum aquæ, & dicitur phlegma. Sed satius erit gustu, quam quantitate examinare: phlegma enim est insipidum, spiritus semper acidus. Proinde vbi inuenitur aciditas sensibilis, mutari debet matratium, &

auferri ſimiliter cucurbita è B. M. & transferri ſuper balneum cinerum, reſeruando reſiduum ſpirituum deſtillandorum pro aceto deſtillato. Illud autem ſpiſſum quod remanet in fundo poſt deſtillationem, dicitur extractum aceti. Si autem velis eandem materiam per retortam expellere, habebis acetum radicale, & menſtruum proprium pro diſſolutione metallorum, & extractione vitrioli ex omnibus metallis, ſicut docebimus in apparatu vitrioli lunæ.

Notandum quod qui velit ab extracto aceti elicere ſalem eſſentialem, facile erit ponendo extractum illud in loco frigido per aliquot ſeptimanas: & in ipſo congregabuntur cryſtalli, quæ ſeruari debent in loco frigido, non ad vſum Medicum, ſed ad rem metallicam.

Hinc facile ſoluitur difficultas illa Galeni de qualitate partium aceti: ſunt enim in aceto partes calidæ in ſpiritu, oleo & ſale: in phlegmate verò benè depurato frigidæ.

Vſus eiuſdem in Medicina nullus eſt, aut valdè rarus iſque externus, niſi quod ſit optimum menſtruum in corrigendis aut fixandis facultatibus malignis & volatilibus remediorum venenatorum, vt hellebori, opij: tum in educendis ſalibus mineralium aut metallorum.

Hactenus hoc capite ſpirituum originem & naturam, eorumque à ſale volatili, & ſulphure

ſubtili diſtinctionem (vt celeberrimam & ab omnibus huius ſæculi Chymicis hactenus expetitam) paucarum linearum ductu comprehendam.

DOCTRINA DE ſpirituum origine, ex ſecundæ partis Theoria, ad Praxin excerpta, & in vſum iam exercitatorum reducta.

VT Animam ἀυτοκίνητον, Mens ἀκίνητος
antecedit, fundat, conſeruat, hypoſtaſi
ſuſtentat, perficit, æterna & immutabili eſſen-
tia donat: ſic Anima τοῖς ἑτεροκινήτοις pari ra-
tione ſua officia & proprietates diſpenſat
& diſtribuit. Media ergo exiſtens impartibi-
lium & circa corpora partibilium, oportet
omnes eſſe res: ſupremas, per imaginem &
ſimilitudinem: infimas vero, vt exemplar,
cùm mens ſuprema ipſo eſſe immobilis
exiſtens ſit, dabit etiam animæ à ſe conſtitu-
tæ omnium quæ in ipſa ſunt, eſſentiales ra-
tiones, & imprimis immutabilem eſſentiam.
Quod autem ab immobili cauſa manat, im-
mutabilem habet eſſentiam & ſempiternam.
Et è conuerſo, quod à mobili cauſa manat, eſ-

ſentiam habet mutabilem. Si enim illud quod aliquid facit, eſt prorſus immobile, non per motum: ſed per ipſum eſſe, producit ipſum ſecundum ex ſe ipſo. Si verò detur hoc, cum ſuo ipſius eſſe concurrens habet ipſum ſecundum à ſe manans. Hoc verò ſi concedatur, quandiu erit, producet. Semper autem eſt, ſemper igitur conſtituit id quod eſt poſt ipſum. Itaque ſemper hoc inde manat, & ſemper cum ipſo illius ſemper quod eſt ſecundum actionem, coniungens ſui ipſius ſemper progreſſum. Si igitur ipſa cauſa mouetur, & quod ab ea fit, erit mutabile propter eſſentiam. Cui enim eſt ipſum eſſe per motum, id motu mutato mutat eſſe. Si enim quod ex motu producitur, immutabile ipſum manet, præſtantius erit producente cauſa, quod eſt impoſſibile. Non ergo erit immutabile. Mutatur ergò, & mouetur ſecundum eſſentiam, imitans motum qui ipſum conſtituit.

Si verò proximè ab intellectu perficitur, etiam conuertitur ad intellectum, & participat cognitionem, quam intellectus largitur ijs quæ participare poſſunt. Omnis enim cognitio ab intellectu, omnibus ineſt, quibus eſt intellectus. In quod verò omnia conuertuntur ſecundum naturam, ab hoc etiam progreſſionem habent ſecundum eſſentiam. Omnis ergo Anima à mente progreditur. Si vero ab intellectu progreditur, & intel-

lectus perfector Animæ, & ipso esse immobilis existens, & omnia intellectus producit, dabit animæ à se constitutæ rerum omnium in se comprehensarum essentiales rationes. Omne enim quod per suum esse facit id quod ipsum est primo, hoc ei, id est producto quod fit, secundo impertit. Anima igitur intellectualium formarum imagines secundo habet, hoc est tacitas mentis significationes. Quorum ergo causa præexistit, hæc præaccepit exemplariter. A quibus verò constituta est, hæc per participationem habet. Et vt primorum germina præaccepit, ergo & habet Anima sensibilia omnia per causam, & rationes materialium elementorum immateriales, & corporeorum incorporeas, & distantium indistantes. Intelligibilia vero, per imaginem & simulachra, & formas illorum, impartibilium partibiliter, vniformium multipliciter, per se mobiliter immobilium suscepit. Omnia ergo est entia, suprema quidem per participationem: quæ vero post ipsam, sensibilia nempe, exemplariter. Anima ergo gerit omnium sensibilium apud se exemplaria, sicut & sensibilia simulachra & imagines eorum quæ prius in Anima fuere. De qua obseruatione dignissimum est quod scribit Proclus, *commentario in Euclidem*: Cunctæ res Mathematicæ, inquit, primum in ipsa Anima sunt, & ante numeros numeri, qui per se mouentur, & ante appa-

rentes figuras figuræ vitales, & ante ea quæ concinnata ſunt harmonicæ rationes: & ante corpora quæ circulariter mouentur, inuiſibiles circuli producti fuere, horumque omnium vbertas, ipſa Anima eſt. Et iſte ornatus alius eſt qui ſe ipſum producit, & à proprio producitur principio, & vita ſeipſam explet, & ab opifice abſque corpore ac ſine dimenſione expletur: & quando ſuas promit rationes, tunc patefacit ſuas ſcientias atque virtutes. His itaque formis Anima induit ſuam eſſentiam, nec eſt numerus in ipſa multitudo vnitatum exiſtimandus. Neque eorum quę cum dimenſione ſunt idea, corporaliter eſt intelligenda: ſed vitaliter & intelligenter omnia apparentium numerorum, figurarum, rationum & motuum exempla ſunt ſupponenda. Sed quoniam entia in vno gradum ſiſtere non poterant, tanta numerorum, proportionumque fœcunditate grauida, itaque digeſtis ac definitis temporibus in mundanam ſcenam ex inuiſibilibus elementorum & ſeminum abyſſis joditura ſeparantur, dum imagines & ſimulachra earum, quæ prius in anima fuere per ſpiritus ſuos mechanicos, vt animæ emiſſarios, ambiunt & amplectuntur. Per ſpiritus dico, ex quibus corpora tandem conſtitui poſſunt virtute vitalis & æternæ ſcientiæ ibidem contentæ. Corpora tamen ſpirituum talium ſignaturis, donis, ſcientiis, officiis & prædeſti-

nationibus ornata, hi mechanici ſpiritus & ſeminalia principia vincula ſunt viſibilium & inuiſibilium, temporalium & æternorum, corruptibilium & incorruptibilium, ſuperiorum & inferiorum; vtriuſque naturæ proprietates oſtendunt, & tamen neutrius conditiones purè & exquiſitè referunt: deficiunt enim à puritate, ſtatu & ęternitate ſuperiorum: inferiorum vero mutabilem & momentaneam ſortem longe ſuperant. Qui quamuis ab initio inuiſibiles ſint, corporum tamen principia & elementa in ſe continent, continenturque in vitali principio generationum: illiſque robur & agendi poteſtatem tribuimus ex incorporeis & inuiſibilibus elementorum theſauris corporea & viſibilia, vt fructus inuiſibilium, producere. Qui quum ſe inuicem foueant, breui tamen langueſcerent & exhaurirentur, niſi ex elementorum fœcundis abyſſis, noua in horas corporum prodiret ſoboles. Ex his theſauris quod deſideratur in corporibus iam productis reſarciunt, notaque augmenta perficiunt, corporumque diuerſitatem ſignaturis aptè accommodatam adiungunt: aliis, colores veſtiunt, aliis ſapores, aliis odores. Hæc poſtrema corpora quia plurimum diſtant à ſpirituum mechanicorum ſubtilitate, mediis adhuc indigebant vinculis, vt continuitate gubernationis communi imperio ſubiicerentur, adeoque vita fruerentur. Quæ vincula am-

bigunt (vt dixi) inter naturam corpoream & incorpoream. Corpora tamen ſunt, ſed ſpiritalia: ſpiritus rurſus, ſed corporei. Huiuſmodi corpora, quæ vicinitate ſpiritibus mechanicis ſeu Architectonicis & radicibus ſeminariis proximè adhærent, primæ materiæ apud Philoſophos appellatione inſignita ſunt, vnde Elementa, & corporum principia conſentanea talibus radicibus & ſeminalibus rerum principiis conſtituuntur, ad vniuerſæ creaturæ imitationem.

Hæc vera in generationis fluxu, cuſtodiri neceſſariò debent, quod ex his nutrimenta, augmenta ac mixtiones omnium proficiſcuntur. Prima vtique neceſſitas fuit earum partium, quæ horum miniſteriis deſtinantur. Eæ autem erant Elementa diſtincta in duos ordines, ſuperioris nempe firmamenti, fixi & permanentes, ſiue ignis: & inferioris aquæ, volatilis: & quia generationis initio omnia ſpiritalia ſunt & vnita: Elementa quoque hæc ſimilia eſſe oportuit, vt partibus ſpiritalibus officia ſua peragerēt. Hanc ſeminis vnitatem reſpexit Hippocrates, vbi aſſerit nos ex duobus conſtare, igne ſcilicet & aqua. Ignis omnia mouet, ait Hippocrates, aqua omnia nutrit. Multa enim hîc vnita ſunt, quæ ſenſus non poteſt diſcernere. Sunt radices ſeminales, corporum principia & Elementa; ita patrocinio vnitatis, omnes hæ locutiones admittuntur, ex vno ſemine: naſ-

cimus

cimur tamen ex quatuor elementis, vel ex igne & aqua: ex ſale, ſulphure & Mercurio. Quæ tria quamuis antea ſub nomine firmamenti, quintæ eſſentiæ, Elementi, aſtræi, vnita videbantur. Immo quamuis Hippocrates ita intelligendus, ſæpius ψυχὴν appellat, propter illorum facultates inibi contentas: alibi θερμὸν, vt *in libro de carnibus*; *in libro de diæta*, ſępe πῦρ nominauit. Tria tamen illa ſub diuerſis appellationibus in natura vnita proprietates ſine confuſione illæſas cuſtodire videntur. Semen proinde quod fœcundum eſt, elementa habet corporum domeſticis principiis inſignita, iuxta animæ vitalem ſcientiam: tunc confeſtim firmamentum ſeu quinta eſſentia & aër, vitali occultaque conſpiratione, officia illorum Architectonica abſoluunt. Inferiora ſimiliter Elementa, aqua ſcilicet & terra, nutritione his conſentanea omnia fouent, idque ſpiritualium corporum miniſterio. Atque ſic omnia officia corporum generando peragunt. At vero ſpiritibus mixtione continua creſcentibus diſtantiæ, ſeparationes, ac donorum diuiſiones contingunt, alimentaque accedunt craſſiora, impuritatibus comitata. Itaque ſpirituum ac ſcientiarum facta ſeparatione, partes conformantur ſingulæ, ſuis ſcientiis accommodatæ. Primum enim Elementa & corporum principia domeſtica adſciſcunt ſpiritus illi mechanici (id eſt talem ignem,

aërem, aquam, terram: tale Sulphur, tale Sal, talem Mercurium) qualia prædestinationibus, officiis & ſcientiis talibus reſpondere poſſunt: ex quibus primum ſpiritalia corpora producuntur, id eſt caliditates, frigiditates, humiditates, ſiccitates: colores, ſapores, odores; perpetuo tales, quales in prædeſtinata ſpirituum ſcientia vigent. Quibus omnibus opportunè mixtis, & nutritione aſſidua auctis, paulatim à ſpiritualibus deſcendentes in corpoream degenerant familiam, donec tandem artificum manibus pertractanda & ſeparanda ſeſe obtulerint. De quorum Anatomia qui diligens ſcrutator eſſe voluerit, legat *cap. de principijs in genere*: tum operationes ſubſequentes, quæ occultam illorum naturam, ignis adminiculo, detegere in integrum poteſt. Obiter tamen dicam, prioribus jactis fundamentis, ex his tribus duo eſſe corporea & viſibilia, ſal & ſulphur: ſal fixum, & ſulphur volatile: tertium verò ſpiritum ſeu Mercurium, qui per ſe neque fixus eſt, neque volatilis: neque ſal, neque ſulphur: ſed horum corporibus amictus vndique deprehenditur. Proinde mediæ eſt naturæ: cum fixis eſt fixus: cum volatilibus volatilis. Omnium enim extremarum partiũ ſcientias & poteſtates continet, & aliorum neceſſitatibus ſatisfacere poteſt, quia vnitati, radici & ſpiritibus mechanicis propinquior eſt: proinde plurimarum diuerſiſſima-

rumque partium ab vnitate deſcendentium prædeſtinationibus ſufficere poteſt. Terra Mercurio veſtita, perſpicuitatem illi præbet: ſali, ſaporem, aquæ fluiditatem, ſulphuri odorem: colorem denique. Salem volatiliſat, & acidum reddit, ſulphur ſeparat ab aliis fermentatione, & craſſam eius naturam in æthercam reducit ſubtilitatem: denique omnium Elementorum eſt medium vinculum, vt continuitate gubernationis communi imperio ſubiicerentur, & exemplaribus ſuis quam ſimillima redderet. Definitur autem à priori, eſſe *Animæ propaginem & proximum inſtrumentum, quo commercio corporeo addicti, in hæc inferiora actiones vitæ & mortis perficiuntur.* A poſteriori autem ſunt *Aſtralia vel inuiſibilia corpora, accenſa, reſoluta, ſublimata vel in actum reducta: ſapore acido, odore ſulphureo, virtute ſupra modum penetrante prædita*, denique proprietatibus trium principiorum inſignita, quibus actionum cauſas adſcribimus.

Spirituum diſcrimina plurima ſunt. Quidam dicuntur ſpiritus Mechanici, vt diſtinguantur à fumis & vaporibus, & quia mechanica ſcientia condendi res pollent. Illam ſcientiam vocauit Hippocrates naturam, quam fuiſſe ἀπαίδευτον dicebat, hoc eſt à nullo edoctam, æquiuocè cum hac noſtra conferendo: quia vna eſt innata, altera vero ſtudio & labore comparata. Quidam coniugia cum corporibus arctiora contraxerunt, qui

corporei quodammodo, crassi, & tardi euadunt. Quidam subtilioribus adhærent, alii puri, alii mixti, alii salium proprietates magis referunt, alij sulphurearum specierum, alij mercurialium.

Actiones quoque & impressiones spirituum differentiis analogę. Nam corporei in partibus vicinis solummodo imprimunt, & saporum ac salium crassiorum proprietatibus agunt: hi in ventriculo & intestinis impuritates sulphureas, crassas, vomitioni destinatas, vel alui excretioni, resoluunt. Alij, qui corporum crassorum commercia non habent, colorum, lucis, & subtilissimorum saporum tincturas, impressiones & actiones imitantur: tales clarificant, consumunt, mundificant, subtilium tincturarum & impuritatum resolutiones moliuntur, & volatilitate ac facili penetratione prędití cùm sint, vitalia elementa vniuersi corporis tingunt, locisque distantibus facile actiones imprimunt, iuxta radicum vnde emanarunt scientiam, quarum satellites & emissarii habentur.

DE SPIRITV, OLEO & ſale Tartari.

CAPVT IV.

Methodus exigit perfectam deſcriptionem & præparationem ſpirituum in triplici familia, nempe V. A. & M. Sed hoc difficile eſt propter affinitatem aliarum partium. Proinde cogor confusè de ſpiritibus, oleis, & ſale tartari agere.

Sume tartari communis libras duas vel tres. Contunde vt ingredi poſſit per collum vaſis ſolummodo, pone in retorta vitrea, quam adaptabis capſulæ, in furno reuerberij, adaptando recipiens ſatis amplum, iuncturis luto ſalito & tomento bene munitis: tunc admoue ignem per refrigerium clauſum, per vnam horam: poſtea aperi ad digitum per tres horas, vt lentè, blandè & æqualiter caleſiant vaſa: deinde aperi ad tres digitos, per tres alias horas, denique da vltimum gradum ad quinque horas, & operatio erit perfecta.

In hac operatione occurrunt obſeruanda. Primò diuerſiſſimæ partes extractæ ex mixto. Secundò ordo; primò enim emanat phlegma, modò admoueatur initio lentus calor; ſi vero acrior, egreditur cum phleg-

mate portio quædam ſpirituum volatilior ; deinde vrgente calore emanabunt ſpiritus fixiſſimi cum oleo nigro & fœtido. Hic ordo & gradus cognoſcitur per magnam nebularum albarum copiam in recipiente vagantium. Tandem omnino pellitur oleum, & nebulæ ceſſant, & ſic operatio eſt peracta. Tunc intermittendus eſt ignis, & vaſa lentè refrigeranda, ne rumpantur : delutandæ erunt iuncturæ aqua tepida, & ſic remouebis lentè vas recipiens à collo retortæ, & conſiderabis ea quæ emanarunt in dictum vas recipiens: videbis enim oleum craſſum ſubſidens, ſpiritum & phlegma huic innatantia, quibus etiam ſupernatat oleum ex nigro flaueſcens, & priori multo tenuius. Separabis phlegma & ſpiritus ab oleis per clepſydram. Spiritus autem à phlegmate ſeparari poteſt per lentam deſtillationem in balneo Mariæ: illud enim quod primo emanat in iſtis operationibus eſt phlegma, modò euocetur lento calore, & reſeruetur per ſe. Si vis tamen, poteris ſimul rectificare & ſpiritus & phlegma. Vbi vtile erit, propter inſignem eius fœtorem, reiterare deſtillationem ad tres vices, mutato ſemper recipiente & retorta. Sic habebis ſpiritum tartari optimè rectificatum. Spiritus eſt acidus poſt crebras rectificationes : quamnis prima facie habeat pungentem quandam aciditatem, propter copiam ſalis crudi, & non exactè adhuc vo-

latilisati, quod non eueniet post frequentes rectificationes. Oleum est fœtidum & inflammabile.

Illud vero quod in retorta est, dicitur caput mortuum, ex quo educitur sal sequenti modo. Sume caput mortuum, & pone in olla terrea non vitrata, & calcina ad albedinem. Ex quo calcinato, fac lixiuium cum aqua calida, agitando omnia simul baculo ligneo, quousque lixiuium seu aqua affusa appareat salsa, quod accidit post digestionem quinque vel sex horarum. Tunc filtra lixiuium per lingulam, filtratum euapora in vase vitreo, aut terreo non poroso, & in fundo vasis remanebit sal albissimus, valde corrosiuus & acris. Si vero prima vice non obtinuerit perfectam albedinem, reiterabitur dissolutio & coagulatio eiusdem quousque satis.

Oleum eius nunquam intus exhibetur propter insignem eius fœtorem: extra vero prodest admotum naribus hystericarum. Spiritus est valde sudorificus & incidens, prodestque exhibitus cum decocto aliquo sudorifico, nunquam alioquin absque liquore propinandus. Curat epilepsiam sympathicam, sumptus manè in aquis pæoniæ, florum tiliæ, lilij conuallium. Dosis eius extenditur à tribus drachmis ad vnciam semis, in vnciis sex liquoris: habita ratione ætatis, habitus corporis, & virium ægri. Vtilissimum

etiam eſt remedium paralyticis & in ſuffuſione, ſiue initio catarractarum, cum muſcæ & nebulæ apparent circa oculos: diſſoluit enim & reſoluit humorem tartareum, iuxta pupillam ſub cornea membrana concretum.

Hoc loco non eſt imitandus Paracelſi, Quercetani & aliorum Chymicorum error, dum rectificant ſpiritus ſupra colcothar, hoc eſt vitriolum calcinatum in rubrum. Eo enim pacto nihil emanat è ſpiritu tartari, niſi phlegma, quia maximum reperitur coniugium inter ſalia & ſpiritus. Vbicunque enim ſimul inueniuntur, tam ſtrictè ſeſe amplectuntur, vt nunquam ſeparari poſſint abſque ignis reuerberij ope. Si quis tamen rectificare velit olea eo modo, non erit abſurdum. Spiritus autem eius rectificari debent per ſe. Et huic meæ rationi experientia ipſa ſuffragatur, vt cuiuis operanti obuium erit.

Si quis oleum tartari per deliquium, quod nihil eſt pręter quam ſal reſolutus: tunc optatam attinges metam exponendo ſalem ſuper marmore, aut in vaſculo aliquo appropriato in cella vinaria, aut in aëre humido: & reſoluetur poſt aliquot dies in humorem ſalſum, quem vulgus oleum appellat.

Poſt ipſam inſpectionem, hoc loco de origine, officiis, donis, & prædeſtinationibus ſalis, ſulphuris & Mercurij, vt formalibus illis primæ compoſitionis elementis, non minus breui quam hactenus vtili demonſtratione tradam.

DE OLEO, SALE & spiritu Guaiaci per descensum.

Pro lignorum, radicum, & locustarum omnium exemplo.

CAPVT V.

SVme Guaiaci libras duas vel tres in taleolas scissi, pone in olla terrea forti, cuius collum adaptabis collo alterius ollæ terreæ, lutentur optimè, eo loco quo iunguntur luto, ex terra macra & arenosa salito, cum tomento composito: desicca, & pone vas tuum in fimum siue receptaculum in foramine aliquo è terra effosso, & ipsi admoue multum terræ, quam compinges fortiter circa vas, vt totum sepeliatur, excepta ea capacitate vasis, in qua contineri putas taleolas tuas. Hoc tamen obseruandum ante lutationem, ne aliquæ taleolæ decidant in infimam ollam, inter vtriusque orificium interiici debere ferrum album perforatum, vt spiritus

& oleum inde transire possint: tunc admouere debes ignem lentum primæ ollæ, & continuare augendo vsque ad horas sex: tunc intermitte ignem. Omnibus satis refrigeratis, inuenies in olla inferiori oleum & spiritus, quæ separari debent per clepsydram, & rectificari separatim. Quod autem in olla superiori remanet, est caput mortuum, quod calcinari debet, ex quo sal elicietur, eodem prorsus ordine, vt dictum est de sale tartari.

Virtutes & vires olei sunt innumerabiles. Primas exerit in perfecta luis venereæ curatione. Sumptum enim in dies à guttis tribus vel quatuor in decocto sudorifico, prouocat sudores, diuertit catarractas, prodest epilepsiæ, curat paralysin foras admotum, lenit dolores podagricos, redactum in consistentiam vnguenti sanat vlcera venerea & callosa, detrudit vermes & occidit.

Spiritus eius est valdè acidus, proinde in complicatione morborum venereorum valdè vtilis est; nempe si adsit febris aut intemperies aliqua, quæ cogit sæpe Medicum vti ordine præpostero, nempe exhibendo frigida & humida, sicut iulapia & apozemata. Hic spiritus in istis affectibus exhibitus pellit putredinem & refrigerat, soluit omnes obstructiones iecoris & lienis. Dosis eius æstimatur ex sensibili aciditate menstrui.

Virtutes salis sunt catharticæ: subducit enim alvum & præparat viam ad vrinas.

Eodem pacto eliciuntur ſpiritus, oleum & ſal, ex ebeno, quercu, iunipero & omnibus lignis.

Hic modus deſtillandi non eſt tam aptus, nec tam naturalis, quam ille vulgaris qui fit per deſtillationem ad latus. Proinde ligna iſta optimè deſtillantur è retorta vitrea cum recipiente amplo.

Hoc vno exemplo contenti eritis pro deſtillatione per deſcenſum.

De eſſentia ignis naturæ, eius in ſeminibus tum elementis ſcientia, tum fabricandi & conſeruandi architectonica omnium V. A. & M. ſpecies iuxta exemplar ſibi in prima rerum creatione commiſſum adornans, hoc in loco ſatis commodo tradam.

DE OLEO ET SPIritu Maſtichis.

Pro exemplo omnium gummatum.

CAPVT VI.

OMnia gummata deſtillantur ad modum maſtichis. Multi ſolent adiicere arenam, oſſa calcinata, & redigunt in paſtam,

denique in globulos, quos desiccant. Sed modus omnium optimus & simplicissimus est destillatio absque heterogeneitate.

Sume mastichis libram vnam vel duas, pone in retorta vitrea, adaptando recipiens satis amplum cum leui lutatione. Admoue ignem primò lentum ad horas duas vel tres, vt eo temporis possint leuiter calefieri vasa absque vllo damno aut periculo ruptionis, &c. Emanabit spiritus acidus, deinde oleum eius æthereum, postea rubrum: tunc aperi registerium ad digitum vnum, & emanabit oleum flauum, & sic ascendendo per gradus ad vltimum, & emanabit oleum crassum & nigrum. Vase denique refrigerato, affunde illud omne quod emanauit in vas recipiens, & pone in retorta huic vsui appropriata. Adaptando matratium, pone retortam super balneum cinerum & lento igne: Primo pellitur oleum æthereum, deinde oleum flauum & pellucidum simul cum spiritibus, deinde crassum incipit emanare. Postea muta recipiens, aut alioqui parce labori in re tam parui pretij: est enim oleum crassum, fœtidum valde & ingratum, nullíque vsui commodum.

Vsus eius est tam intrinsecus, quam extrinsecus. Extrinsecus enim confert stomachi debilitatibus. Litus eiusdem prodest dysenteriæ, lienteriæ, diarrhœæ, immoderato fluxui menstruorum: corroborat enim &

aſtringit partes flaccidas.

Oleum flauum intus exhiberi poteſt ad omnes ventriculi affectus in catarrho, diarrhœa, lienteria, in oculorum affectibus, in epilepſia ſtomachica & vterina, in dolore dentium. Doſis eius eſt à tribus guttis ad quinque in liquore aliquo appropriato. Denique pro vlceribus eſt optimum ſarcoticum, redactum in formam vnguenti, ſiue per ſe, ſiue aliis admixtum.

Hic de ſpermate & menſtruo ſeu proxima ſpecierum ſeminalium matrice, tum ſpiritualium omnium naturarum ſenſibili receptaculo & cortice dictaturus.

DE SPIRITIBVS ET oleis Terebinthinæ.

CAPVT VII.

EX Terebinthina vulgari elicitur oleum cum ſpiritu ſuo acido.

Sume Terebinthinæ communis albiſſimæ libras tres vel quatuor pro capacitate vaſis: pone in retorta, & admoue recipiens ſatis amplum, non lutatis iuncturis, vt hac ratione auferri poſſit matratium diuerſis oleis

emanantibus. Pone retortam in furno reuerberij, & adapta capſulæ ſuæ terreæ, vt ſupra dictum eſt de tartaro. Egredietur primò oleum æthereum clarum & pellucidum, ſicut aqua deſtillata, dein ſpiritus acidi, denique oleum flauum., poſtremo rubrum. Poteſt etiam per arenam, aut per refrigerium deſtillari cum aqua vulgari.

Obſeruationes de renaſcentibus formis.

ANimaduertendum quod in emanatione diuerſorum oleorum debeat ſemper mutari recipiens, ſaltem poſt oleum æthereum, quod per ſe ſeruari debet, cum non egeat aliqua rectificatione. Duo olea, nempe rubrum & flauum, debent rectificari ſupra cineres è retorta, adaptato matratio communi, & egredietur oleum flauum, quod per ſe ſeruari debet. Deniq; oleum rubrum, ſpiſſum & balſamicum. Quorum nullus eſt vſus internus in Medicina, niſi olei ætherei: habet enim virtutes diüreticas, proinde feliciter vſurpatur in gonorrhœa virulenta quando ſiſtendus eſt fluxus. Doſis eius eſt à tribus vel quatuor guttis mane è vino albo, aut aqua pimpinellæ, eius vſum continuando ad tres vel quatuor dies. Hoc in caſu eſſet optimum remedium, niſi tentaret caput, & no-

ceret iis qui fluxionibus sunt obnoxij. Extra vero est optimum linimentum cum æquis partibus aquæ vitæ rectificatæ, in stupore & paralysi, in arthritide frigida, in doloribus ischiadicis. Olei flaui & rubri vsus est externus pro vulneribus & vlceribus. Primas tenet oleum flauum & rubrum inter omnia vegetabilia: imo non opus est alio vnguento vbi adfuerit. Sed oleum rubrum maiori virtute styptica pollet.

Hic obseruandum Quercetanum, egregium Chymicum, scripsisse *in libro de veterum Philosophorum & Medicorum materia medica*, historiam Poloni cuiusdam non vulgarem: quæ proculdubio magnoperè conferre videtur ad cognitionem formarum, & ad viam, per quam origo formarum inueniri possit. Talis autem est historia. Polonus ille, vt aiebat, diuersa habebat vasa sigillata hermeticè. In quibus singulis inclusum puluerem & non leui magisterio præparatum seruabat, correspondentem plantarum & florum diuersis speciebus. Horum vasorum quodlibet admotum lento calori, nempe lychnij aut candelæ, in se repræsentabat illico speciem & formam plantæ in puluerem redactæ & inclusæ. Ita vt si quis desideraret speciem vel formam calendulæ vel rosæ, illico exsurgebat forma rei optatæ, non absque adstantium stupore. Remoto autem à calore vase, euanescebat forma & quamprimum in pul-

uerem decidebat.

Eodem pacto cum lixiuium conficeret Quercetanus, ex cineribus vrticarum, hiberno tempore relicto vase extra fenestram vitream, lixiuium concreuit in glaciem, referentem formam mille vrticarum, ex quarum cineribus lixiuium illud fuit factum. Sed forma illa neque colorem, neque consistentiam vrticarum referebat, sed potius vmbram. Quæ proculdubio duæ historiæ non parum luminis afferunt ad inuestigandam originem formarum.

Tertia autem historia propriis meorum laborum experimentis primò innotuit quingentorum & vltra proborum & fide dignorum hominum testimoniis: qui aut apud me vasculum viderunt, aut lectionibus meis, tum quum istam operationem perficiebam intererant, confirmabitur. Res autem est de abietum formis, quæ tam apertè in Terebinthina apparent trans retortam vitream, vt dixeris non existere eiusmodi picturas absque pictoris arte: quum tamen propter angustiam vasis nullo penicillo ibi depingi possint. Tam egregiè apparent circa vasis parietes 50. aut 40. distinctæ formæ abietum, vt ex colore viridi subflauescenti, pineis racemis, foliis comatis & cyperissatis, imo radicibus ex terra erumpentibus & interuallo truncorum in terræ superficie, mille arbustulis in diuerso gramine interiectis syluam ipsam

potius

potius abietum, quam nudas abietum formas dixeris. Quæ formæ non euanescunt, vt aliæ prius notatæ, sed perpetuò eædem manent, nisi fracto vase, & per consequens materia disgregata & interrupta aliter eueniat. Vas hoc hisce formis adornatum ad mille annos seruari potest, & (absit verbo inuidia) inter maxima naturæ & artis secreta recenseri posse crediderim.

Animaduertendum est formas istas non erumpere, quousque materia fuerit debitè præparata, hoc est quousque materia fuerit pellucida & rarefacta à densitate suæ materiæ, & similiter coagulata à fluiditate caloris externi, qui massam opacam reddebat. Tunc enim demulcendo suauiter retortam, vbi est inclusa materia, videbis illico ingentem erumpere strepitum cum variis fissuris, per totam circumferentiam vasis apparentibus. Sed ea proportione & modulo, vt fissuræ illæ abietum formas vndique præseferant: tanta elegantia, vt magnæ fissuræ, truncos; minores, racemos; minimæ folia & fructus denotent. Solida autem materia occupat interstitium quod pro aëre æstimatur. Et hoc est quod voluit Democritus, Empedocles, immo & omnes Platonici, innuentes naturalium rerum imagines non solum fuisse radiales & spiritales, sed etiam materiales: quales per poros corporis effluentes in dies conspicimus, seruantesque ad certum spa-

tium non ſolum corporis qualitatem, ſed etiam figuram, & clam agentes in ſpiritum propinqui hominis & imaginationem præcipuè debilem & conformem.

Eiuſmodi radiales imagines in Timæo, Sophiſta, & de Republica Plato tetigit; eaſque dixit fuiſſe, quæ minus exilem habebant eſſentiam, vt non aliter palam oſtentare ſe oculis poſſint, quam ſi in corporibus ſpecularibus æqualiter ſtabilitæ, redintegratæ, & illuſtratæ priſtinam vim quandam modumque formæ vnde proceſſere reciperent. Opus eſt denſitate, ne influens apparitio ſubitò transfluat: læuitate, ne ob inæqualitatem pereat imago: nitore, vt conſpicua ſit.

Et hæc de Terebinthina, à me primo detecta, in Chymicorum gratiam adduxi: vt videant omnes, quam præclaram & neceſſariam Chymia ad rerum cognitionem Philoſopho, & imprimis Medico aperiat viam, non nudis Peripateticæ doctrinæ ſpeculatoribus, ſed artis filiis; vtpote artem vndiquaque theoriæ coniungentibus obuiam, quibus, vt & toti Reip. literariæ hoc memorabile experimentum lubens & volens conſecro.

Hoc capite inexpugnabilem idearum demonſtrationem, omnibus Phyſicæ ſcientiæ ſtudioſis perutilem & neceſſariam, ratione primum, deinde experientia confirmabo.

DE SPIRITV, OLEO & sale volatili succini.

CAPVT VIII.

EX gagate & carbonibus fossilibus eliciuntur spiritus, olea & sales; sicut ex succino. Differunt solùm quo ad magis & minus.

Succinum reperitur duplex, flauum & album. Flauum molle & crassioris substantiæ: album vero durum, opacum & tenuioris substantiæ. Ex flauo educitur copiosior quantitas salis volatilis, quam ex albo. Sed albi oleum multis modis oleo flaui præfertur. Vtriusque variæ & diuersæ facultates è diuersis substantiæ partibus eliciuntur. Manifesta eius facultas apud multos censetur astringens, cui aperitiua succedit. Illa in sale fixo & oleo: hæc verò in sale volatili & spiritu reperitur.

Praxis separationis earumdem ita se habet. ℞. succini albi aut flaui, libram vnam; redige in fragmenta, qualia possint ingredi retortam, quam adaptabis capsulæ furni reuerbe-

rij, ſicut dictum eſt de oleo tartari. Primò egredietur ſpiritus cum multis nubibus albis implentibus recipiens: cui ſuccedit oleum flauum, denique oleum nigrum & craſſum: vltimo fluit ſal volatile, circa parietes recipientis, & ſic opus eſt exactum. Intermittendus eſt ignis, & refrigeratis vaſis & delutatis oleum & ſpiritus auferri debent è recipiente per leuem inclinationem, & reponi in vitrea retorta, quam tranſponere debes ſupra cineres calidos: & emanabunt cum oleo ſpiritus, qui antea fuerunt craſſi & nigri, iam verò clariſſimi & puriſſimi, modò blandus tantum adhibeatur calor. Exacta operatione ſpiritus & oleum rectificata, poſſunt ſeparari per clepſydram, tum per ſe in phialis vitreis conſeruari ad vſum. Sal enim illud volatile, quod adhæret parietibus recipientis, debet detergi & auferri per affuſionem aquæ calidæ, quæ imbuta ſale hoc volatili adhuc impuro propter oleum craſſum quod ipſi adhæret, filtrari debet per lingulam. Filtratum euaporabitur blando calore, & inuenies ſal volatile in fundo vaſis nitidum & gratiſſimi ſaporis. Hoc oleum apud antiquos dicebatur *Oleum benedictum*, propter inſignes eius virtutes.

Primò enim eſt valdè Cephalicum: ſanat enim ſcotomiam ſeu vertiginem, ſi vertex & prima vertebra ipſo illinantur.

In paralyſi eſt optimum remedium tum

foras admotum, tum intus exhibitum. Foras enim membra resoluta & spina dorsi ipso illiniri debent. Intus vero exhiberi potest à tribus guttis ad quatuor, vel cum aliquo sudorifico. Continuari debet eius vsus vsque ad mensem: manifestè enim euacuat, non solum per sudores, sed etiam per vrinas, propter magnam quam adhuc retinet quantitatem salis volatilis.

In epilepsia idiopathica appositum naribus in paroxysmo subleuat ægrum. Aliàs exhibitum cum aquis pæoniæ non solum præseruat, sed curat aliquando.

In peste tam pro præseruatione, quam curatione est laudabile remedium: illinendo enim nares præseruat, sumendo guttam vnam aut alteram in vino albo, aut aqua aliqua cardiaca.

Est optimum remedium hystericum, sumendo in paroxysmo ad guttas duas vel tres in liquore aliquo.

Promouet partum, & expellit fœtum mortuum, & secundinas retentas, vngendo cum eo vmbilicum: tum deglutiendo guttas duas vel tres in vino albo vel aqua cinnamomi.

Est excellentissimum diureticum in vrinæ retentione, siue à mucilagine tartarea hoc fiat, siue à lapillis, ad tres vel quatuor guttas exhibitum, in aquis Anonidis aut Apij aut Saxifragæ, aut in decocto aliquo diuretico: illico enim vrinam copiosam prouocat: & si

fuerit à calculo, diſſoluit eundem & foras protrudit.

Spiritus eius valet in iiſdem affectibus; ſed internus eſt tantum eius vſus. Sal huius volatile experientia commendatur ſupra omnia diüretica. Sed colligitur in parua quantitate, niſi quis velit maiorem adhibere ſumptum. Doſis eius eſt à quinque ad decem grana. Ex colophonia relicta elicitur ſal per calcinationem.

Educitur etiam è ſuccino aliud remedium aſtringens, quod dicitur extractum ſuccini. Fitque hoc extractum ex ſuccino pulueriſato minutiſſimè, affundendo aquam vitæ ſæpius rectificatam, quouſque tincta fuerit, & ſatiata eius virtute. Colatura filtratur. Filtratum euaporatur calore balnei: & illud quod in fundo vaſis reperitur poſt euaporationem, dicitur extractum ſeu balſamum ſuccini. Adhibetur vulneribus recentibus, vbi fuerit magna hæmorrhagia, in primo apparatu: eſt enim aſtringens valdè. Proinde in gonorrhœa virulenta aut ſimplici eſt remedium deſideratiſſimum; in ſputo ſanguinis, diarrhœa, dyſenteria, lienteria & ſimilibus. De cæteris videte Crollium & Beguinum, qui, vt ſolent, laudes ſupra experientiam multis arrogant.

Hoc capite ſulphuris elementaris, tum compoſiti, quippe bituminum & omnium corporum inflammabilium, tam in mixto quam extra ipſum,

naturam, essentiam, & conditionem dilucidè depingam.

DE AQVIS, OLEIS & spiritibus aromatum, sub titulo Cinamomi.

CAPVT IX.

℞. Cinamomi libram vnam vel duas, infunde per noctem in aqua fluuiali, ea proportione vt aqua sit quadrupla ad Cinamomum, aut loco aquæ fontanæ in aqua Melissæ aut Caryophyllatæ: tunc transfer vas in balneum Mariæ aut ventrem equinum diligenter occlusum. Die sequenti adapta capitellum collo vesicæ & leuiter destilla calore carbonum absque flamma, & simul exibunt aqua, spiritus & oleum, albedine & consistentia lacti similia, primò fortiora: augendo verò destillationem debiliora, tandem insipida. Reseruari possunt ex hac destillatione tres primæ partes pro optima aqua Cinamomi, multis titulis pharmacopœorum aquis anteponenda. Quam enim ex Cinamomo in vino albo infuso elicere solent aquam, non

Cinamomi, ſed vini potius dixerim.

Sed optima deſtillatio cum additamento, fit ex balneo Mariæ cum refrigerio ſpirituum, vt ego ſoleo.

Notandum in aromatibus diuerſa eſſe olea. Quædam enim innatant, quædam ſubſident, quædam in medio pendent: quædam vero per minima diſperſa cum minimis aquæ partibus diluuntur. Sic in caryophyllis eiuſmodi ſpiritus & olea inueniuntur. Ex libra vna Cinamomi vix elicies drachmam vnam olei, ex libra vna caryophyllorum circiter vncias duas, & ſic de omnibus aliis aromatibus. Sed modus omnium optimus eſt deſtillatio eiuſdem abſque additione per retortam è B. M. Rudiuſculè enim confracto, è feruēte balneo educentur Aqua, Spiritus & Oleum, ab omni terreſtreitate depurata. Dulcia ſunt primo guſtu, deinde ſapiunt ipſum Cinamomum, & ita acriter, vt primo ipſo tactu linguam feriant, quamuis in minima doſi exhibeantur, imo ad quadrantem vnius guttulæ. Qui velit Aquam, Spiritum & Oleum hoc Cinamomi ſupra nouum Cinamomum rectificare, ei pro arbitrio erit.

Virtutes aquæ & olei ſunt quales ipſius mixti.

Proſunt morbis cephalicis.

Confortant cerebrum & cor. Proinde in ſyncope exhibentur in aquis meliſſæ aut vino albo. Illinuntur etiam arteriæ & regio cor-

dis in ipso paroxysmo.

In partu felicissimè exhibentur.

Pellunt fœtum mortuum.

Prouocant menstrua.

Expellunt secundinas.

In peste est optimum remedium, tum ad curationem, tum ad præseruationem.

Prosunt colicæ flatulentæ.

Multas alias præclaras virtutes ex Autorum lectione & experientia deprehendetis.

Dosis aquæ & spirituum per se exhiberi potest à cochleari semis ad cochlear vnum, habita ratione ætatis & habitus corporis. Oleum nunquam per se exhibetur: est enim valde causticum, sicut & oleum caryophyllorum. Gossipium hoc ipso imbutum & applicatum dentibus sedat illico dolorem: applicatum cancro, escharam inducit. Dosis eius non excedit guttas duas in liquore.

Obseruandum tamen vsum specierum istarum aromaticarum tutiorem esse in frigidis regionibus & temperamentis, propter insignem quam habent potestatem inflammatoriam.

Celebrem illam atomorum doctrinam, magno Philosophicæ, & præcipuè Medicæ, rei damno è scholis hactenus explosam in pristinum splendorem, non speciosorum verborum serie, sed solida & inexpugnabili rerum naturalium demonstratione reuocabo.

DE QVINTA ESsentia Vini, & modò eliciendi ex omnibus vegetabilibus.

CAPVT X.

CElebris fuit ſemper apud omnes Philoſophos quintæ eſſentiæ mentio: ſed eius natura, facultas, ſedes & diſpenſatio, paucis innotuit. Specifica virtus, forma, tota ſubſtantia, qualitas occulta, multorum ingenia hactenus defatigarunt. Occultas quidem facultates in rebus omnes agnouerunt: ſed illarum originem, officia, loca, & pręděſtinationem nemo hactenus ſatis pro rei dignitate aſſecutus eſt. Multi formis elementorum & relolaceis qualitatibus multa perperam aſcribunt. Inueniuntur enim in triplici anatomia formæ quædam, nulla aut pauca elementari qualitate præditæ: quæ quum à cælo diffluant, non carent motore, & tamen nobiſcum habitant, diſpenſando œconomiam omnium mixtorum: peregrina, ſiue

ſint colores, odores, ſapores, corporaturæ, ab alienis ſedibus pellunt: domeſtica verò, quæ ſignaturas & radices habent, ſimiles & communes aſciſcunt, proinde in viuis eſt vtriuſque ſexus capax. Ratione ſuperiorum eſt mas, inferiorum fœmella. Ideam habet omnium ſuperiorum actionum per influentiam, inferiorum vero per innatam ſcientiam. At in mortuis eſt omnino agens, conſeruando homogenea vſque ad vltimum naturæ fatum. Vnde rectè à vulgaribus Phyſicis dicitur quinta eſſentia, à Chymicis vero quintum elementum, calidum, humidum radicale, balſamus, mumia, calor innatus, arcanum: tam diuerſarum enim rerum officia eas nominis prærogatiuas merentur: ac proinde rectè definitur à poſteriori, eſſe myſterium, ad æthereæ naturæ puritatem exaltatum, in quo puriſſima, ſimpliciſſima ſinceraque craſis hæret, voce creatoris per omnia diſperſum, formæque vniuerſalis primum inſtrumentum. Eius proprietates ſunt non poſſe corrumpi ab elementorum qualitatibus, proinde dicitur cælum, tum ſeminarium mundi. Nunquam moritur, neque in naturalibus corruptionibus perit, ſed ad ſuam ætheris naturam redit, vel aliam ſubſtantiam ex putrefacta producit, præparando materiam. Sic æterna tota eſt, ſpecies enim eſt: at ſpecies nunquam moriuntur, teſte Hippocrate 2. *de diæta. Nihil fuit quod prius non erat, neque*

quidquam perit, sed per mixta & discreta alterantur: homines vero opinantur hoc ex orco in lucem auctum generari, illud verò ex luce in orcum minutum perire ac corrumpi. Pergit deinde in expositione vicissitudinum naturæ & circulari seminum proprietate. *Lux Ioui, tenebræ vero orco, lux orco, tenebræ verò Ioui commeant & transmouentur: illa huc, & hæc illuc, & omni quidem tempore: illa res horum, hæc autem illorum res peragunt. Et quæ quidem faciunt, nesciunt, quæ vero faciunt scire videntur; & quæ vident non cognoscunt· attamen omnia ipsis per diuinam necessitatem, & quæ volunt, & quæ nolunt contingunt.* Hic per lucem intelligit efferuescentiam seminum, siue generationem; per tenebras vero circularem corruptionem.

Quinta essentia penetrantissima omnium est, cum quibus permiscetur, & ex iis educit suæ naturæ familiaria relictis indispositis: & si disposita sint reliqua, perficit ea, & in suam naturam vertit. Sic compendium accessit arti, vt per quintam essentiam, è rebus sine alio labore tantummodo opera extractorum succorum, & addita circulatione, eliciantur quintæ essentiæ, quæ tunc solent nominari menstruum cæleste, vel cælum, vel clauis Philosophorum, quia per id extrahuntur astra cæli: vnde postea infusio, & digestio dicitur affectio astrorum in cælo Philosophorum. Ea Astra ita tenuia sunt, vt cum menstruo cęlesti ascendant, exeantque per

Alembicum, quæ post circulationem debitam separantur, nisi vsus aliter suadeat; quod si fit, à præstantia dicuntur elixiria.

Notandum quod vulgus Chymicornm sæpe olea, & tincturas subtilissimè elaboratas pro quinta essentia accipiat. Modi apparatus sunt penè in omnibus, fermentatio, digestio, circulatio, destillatio. Sed quoniam nobis fuit propositum ostendere modum eliciendi ex vino; & omnibus vegetabilibus quintam essentiam, primo ad illam Vini aggrediar.

Sume optimi vini libras x. Pone in vase digestorio per se, aut cum ℥. j. salis tartari. Vas bene obturetur, sicut dictum est in processu digestionis, & eius speciebus. Colloca vas in fimo equino, vel Balneo Mariæ tepido, ad quatuor dies. Tunc, aperto vase, affunde vinum tuum digestum, & pone in vesica, adaptato refrigerio spirituum. Admoue lentum ignem, & primò illud quod effluit erit spiritus æthereus. Ex libris decem vini reserua libram vnam aut duas, ex quibus si vinum sit generosissimum, non potes vltra libram vnam extrahere. Rectificetur interea spiritus hic æthereus super suo sale, nempe sale tartari, si sit vinum: si sit aliud vegetabile, super sale suo proprio: reiteretur rectificatio ad tres vel quatuor vices, quousque spiritus ille æthereus fuerit omnino phlegmate suo spoliatus: tunc pone in matratio

colli longi ſpiritum tuum æthereum, vaſe ſigillato hermeticè: &. pone in loco frigido, vaſe ita inuerſo, vt fundus ſuperemineat; colloca in aliquo loco frigido aut potius in aqua, vt glacies tempore hyberno vndique illud circundet. Tempus aptiſſimum pro hac operatione eſt cum glacies eſt in vniuerſa aqua: hac enim ratione externum frigus coget ſpiritum ęthereum ad centrum vaſis, quem inuenies ablato & rupto vaſe liquidum & æthereum, in medio glaciei fluentem, quam reſeruabis pro pura quinta eſſentia.

Vulgo autem non ita proceditur, ſed ex vino, ceruiſia, aut fæce vini, elicitur ex abrupto ſpiritus inflammabilis cum magna phlegmatis quantitate, quem aquam vitæ dicunt. Vbi notandum hunc ſpiritum æthereum nunquam elici è rebus, niſi præmiſſa fermentatione, vt videmus in vino, ceruiſia, pomacio, & eiuſmodi: cùm ante talem proceſſum non eliciatur ſub ſpecie æthereà, ſed oleaginoſa & craſſa, aquæ innatans, niſi hoc fiat ex aromaticis, vt Cinamomo, Caryophyllis, quæ ſunt corpora ſemi-fermentata: proinde reddunt ſpiritum æthereum, permixtum phlegmate, cum aliqua portione olei craſſi, & ſupernatantis.

Ex vegetabilibus ſimilis propemodum proceſſus obſeruatur, niſi quod longior ſit circulatio in frigidis, ſicut Nenuphare, Lactuca, & ſimilibus. Ex Meliſſa autem maior

elicitur eiusmodi spiritus portio; quorum processus talis est. Sume herbam virentem, & maturam, nempe Melissam, aut Chelidonium; contunde in mortario marmoreo, & exprime succum, quem affunde herbæ eiusdem speciei illico. Pone in vase digestorio cum pauco sale tartari, vase optimè clauso & collocato in loco calido humido ad quadraginta dies: tunc vesicæ committito cum refrigerio spirituum, & elicies inde spiritum inflammabilem cum sua aqua, retinentem omnes qualitates mixti exaltatas, è quo desiderabas educere quintam essentiam. In reliquis fac vt prius dictum est de quinta vini essentia. Quæ obseruari debent in hoc processu, inueniuntur suprà, vbi agitur de fermentatione.

Notandum interea spiritum hunc inflammabilem, esse Chymicis operationibus tam necessarium instrumentum, vt nihil sine eo perfici possit: per eum enim eliciuntur tincturæ, balsama, & extracta omnium corporum.

Naturam lucis, splendoris, luminis & tenebrarum, in corporibus, sub specie magis aut minus sulphurea, sensibus sese offerentem, & quod sit illorum internum principium paucis demonstrabo.

DE FÆCVLIS, tincturis, & balsamis, extractis, magisteriis, floribus, & crocis.

CAPVT XI.

Absoluta trium menstruorum præparatione, nempe Aceti destillati, Aquæ vitæ, & Salis Tartari: æquum nunc est eorum vsum in extrahendis rerum virtutibus ostendere, quæ potestatibus trium principiorum respondere videntur. Menstruum spiritale aptius est ad eliciendos spiritus ex corporibus, aut quid illis analogum. Sulphureum extrahit Sulphur, vel partem rerum oleaginosam. Sal verò partem salitam. Absque his eliciuntur quædam remediorum species per se; & illæ sunt fæcula Bryoniæ, Iridis, & omnium radicum succosarum.

DE FÆCVLA Bryoniæ, Iridis, Aronis, & omnium radicum succosarum.

CAPVT XII.

℞. Radicum Bryoniæ, Iridis, quantum vis. Contundantur in mortario marmoreo,& per torcular exprime. Succum expressum pone in loco aliquo tepido ad horas sex, & videbis materiam quandam crassam in fundo subsidentem. Aufer aquam per leuem inclinationem, & relictas fæces desicca lento calore, quæ dicuntur fæcula Bryoniæ aut Iridis.

Vtraque purgans est. Fæcula Bryoniæ exhibetur in morbis hystericis: purgat aquas citrinas, prouocat menstrua. Fæcula vero Iridis præscribitur in hydrope cum aliis specificis.

Dosis vtriusque est à duobus scrupulis ad drachmam vnam, quicquid dicat Quercetanus, qui timidiusculus est in dosi, cum eam

ſæpè exhibuerim ad drachmam vnam abſque vlla hypercatharſi.

Harum fæcularum vſus, virtutes & doſes maximè in Medicina vſurpatos, priuatim communicabo.

DE TINCTVRIS.

CAPVT XII.

TInctura dicitur ſubſtantia pura, continens in ſe colorem, odorem, ſaporem, eſſentiam denique & omnes mixti qualitates, quæ per menſtruum quod adiicitur educuntur. Hæc ſi bene ſit elaborata, debet eſſe valdè tenuis, & perſpicuæ ſubſtantiæ, abſque ſedimento, longóque tempore durare poteſt, fitque aliquando ſine menſtruo, vt in ſuccis præcedente digeſtione. Duplex autem eſt, externa & interna. Interna, qualis deſcripta eſt, fit vt plurimum ex vegetabilibus. Externa vero, vbi nihil adeſt niſi ſolus color, quemadmodum ſæpè accidit in mineralibus. Modus autem extrahendi tincturas ex vegetabilibus talis eſt. ℞. Cinamomi ℥. j. Pone in vaſe vitreo, & affunde

aquam vitæ rectificatam, vt superemineat ad tres, vel quatuor digitos. Pone omnia in loco frigido per noctem; & sequenti die videbis aquam imbutam tinctura mixti. Filtra leuiter per lingulam duplici, vel triplici filtro, & serua. Quidam appellant tincturam hanc quintam essentiam Cinamomi, cum sit potius vini quinta essentia.

Tincturæ vegetabilium etiam extrahuntur alio menstruo: nempe tincturę florum, quibus vtimur in affectibus calidis. Et hoc menstruum debet esse aliqua aqua destillata, aut fontana affectui appropriata, addendo guttas aliquot acidi sulphuris, aut spiritus vitrioli, addito pauco saccharo ad gratiam. E. G.

℞. Florum Rosarum, aut Buglossæ, &c. ℥. j. vel ij. Pone in vase aliquo vitreo, & capaci, aut fictili vitrato. Superaffunde aquam destillatam, vel fontanam ad libras tres. Pro ℥. j. florum, adde acidi sulphuris tot guttas, quot ad aquæ gratam aciditatem sufficere possint. Pone vas in loco aliquo calido per vnam horam, & inuenies aquam tuam imbutam colore, odore, & sapore mixti, quam filtrabis per pannum album. Eodem modo qui supra, elicere poteris tincturas ex omnibus floribus. Sed notandum, quamuis tincturæ omnes, vt colores, proueniant à sulphure: tamen in floribus illud sulphur esse valde volatile, & potius esse in

ſpiritibus, vt ſubiecto, quam parte oleaginoſa. Proinde elicitur talis tinctura menſtruo ſpiritali; ſpiritus enim, cum ſit partim ex ſulphure, partim ex ſale natus: non mirum, ſi vtriuſque naturam ſapiat.

DE BALSAMIS.

CAPVT VII.

BAlſamus ſumitur dupliciter, ratione poteſtatis, & conſiſtentiæ. Multa enim dicuntur Balſama, non propter conſiſtentiam, ſed propter poteſtatem munitam trium principiorum facultatibus, quam in ſe obtinere videntur.

Balſamus autem conſiſtentiæ ſumitur pro omni medicina vulneraria, ſicut fit ex Sanicula, Vinca peruinca, aut floribus Hyperici. Aliquando etiam ſumitur pro conſiſtentia, & poteſtate ſimul, & ſic non differt niſi gradu intenſo, & remiſſo. Verbi gratia, tinctura caryophyllorum leuiter euaporata, relinquit in fundo vaſis conſiſtentiam ſpiſſam, addendo circa finem parum gummi tragacanthæ diſſoluti in aqua roſacea; tunc illud quod remanet ſpiſſum, obtinet conſiſtentiam & virtutem mixti.

Sed ſolent artifices exactiori modo conficere balſama, ſicut fieri poterit ex omnibus aromatibus: nam proceſſus ſuperior euaneſcere facit præcipuas qualitates mixti; in euaporatione proinde modum ſequentem approbo. ℞. olei Cinamomi ℥.j. mannæ puriſſimi clarificati ℥.iij. tragacanthæ diſſoluti in aqua roſacea cum granis tribus croci. Tragacanthum, & crocus ſeu potius dilutum eorum debet exprimi per linteum. Doſis tragacant. non debet excedere ℈.ß. Incorporantur ſimul omnia, & ſeruantur in paruis pyxidibus argenteis.

Balſamus conſiſtentiæ fit modo ſequenti. ℞. Florum ſulphuris ℥.j. aut ij. Affunde ſpiritus ætherei terebinthinæ ad eminentiam trium, vel quatuor digitorum. Pone in matratio colli longi in loco calido ad duas, vel tres ſeptimanas: aut, ſi violentiori igne hoc fieri poterit, ſpatio ſex horarum. Aufer deinde per inclinationem leuem ſpiritum terebinthinæ tinctum; euapora leuiter menſtruum ad conſiſtentiam mellis, & habebis balſamum ſulphuris optimum, tam pro externis, quam internis affectibus. Exhibetur feliciter ex aqua, aut decoctionibus vulnerariis, ſicut Ariſtolochiæ rotundæ, pręcipuè in vulneribus internis, aut quacunque ſolutione continui.

Prodeſt in omnibus morbis pulmonum, præcipuè phthiſi. Nunquam per ſe exhibe-

tur, ſed in liquore aliquo ſpecifico diſſolui-tur. Doſis eius eſt à tribus ad quatuor grana, ſemel in die. Exterius vero exhibetur per ſe, aut cum additamento, ſecundum Medici inſtitutum.

DE EXTRACTIS.

CAPVT XV.

EXtractum nihil differt à tinctura niſi conſiſtentia, illud nempe hac craſſius eſt. Extracta autem varia ſunt. Quædam ſunt cathartica, alia anodyna: quædam corroborantia, alia diaphoretica.

Extractorum catharticorum diuerſæ ſunt ſpecies ſecundum diuerſos humores in corpore. Alia enim ſunt Cholagoga, Melanagoga, alia Phlegmagoga, alia Panchymagoga.

℞. Scammonij reſinoſi puluériſati quantum vis, extende ſuper laminam ferream albam perforatam, eo pacto vt exigua ſint foramina, ne materia ſuperpoſita pertranſeat. Tunc ſume ſulphur viride in fruſtula confractum, & proiice ſuper carbones ardentes:

tunc admoue laminam ferream fumo sulphuris ascendentis, & sępius agita leuiter Scammonium spatula aliqua, quousque fuerit imbutum fumo sulphuris ascendentis. Et sic corrigitur scammonium. Pone hoc modo correctum in matratio capaci, & affunde spiritum vini æthereum anisatum. Maneat in digestione ad diem vnum, vel alterum in loco frigido, & inuenies aquam vitæ tinctam catharticis scammonij virtutibus. Tincturam affunde leuiter per inclinationem, filtra, & euapora è Balneo Mariæ ad consistentiam mellis. Illud, quod remanet, dicitur resina, seu extractum Scammonij. Valet in affectibus, quibus vtimur ipso simplici; & eadem dosi ferè exhibetur, imo maiori, quam ipsum simplex. Nihilque aliud est hoc extractum, quam ipsissima scammonii substantia purificata; quæ hoc modo præparata minus torminibus est obnoxia. Dosis est per se à 10. ad 12. grana.

Exemplum Phlegmagogi.

℞. COlocynt. quantum vis. Separatis seminibus, scinde in frustula minuta, & pone in matratio colli longi, superaffunde spiritum æthereum vini, ita vt emineat ad tres vel quatuor digitos. Pone in digestione

in loco frigido ad tres, vel quatuor dies, & ſpiritus vini tingentur viribus colocynthidis: quem effunde, filtra, euapora, & coagula. Expertus ſum eſſe optimum inter omnia cathartica violentiora remedium, in affectibus quibus conuenit. Verùm non exhibetur in ſubſtantia, niſi robuſtis. Vſus eius ſuſpectus eſt, propter hypercatharſim, & tormina; alioquin eſt benignum, modò non exhibeatur in ſubſtantia. Rullando Patri fuit ſpiritus vitæ aureus, multorum morborum auerruncator, cuius ille tincturam exhibebat ad cochleare vnum. Doſis extracti eſt ad ℈. j. ß. Exhibetur in morbis quibus ipſum ſimplex adhibetur.

Exemplum Melanagogi.

REmedium hoc celebre, quod apud antiquos tanti fuit momenti, nunc vero ad Anticyras relegatum: tanti eſt pretii, vt abſque ipſo nulla melancholiæ, hydropis, paralyſis cura perfici poſſit.

℞. Rad. Helleb. nig. veri, ſicci flore purpureo, foliis laurinis diuaricatis. Agnoſcitur eius radix à radicibus Helleborinæ, pro quibus ſæpe perperam ſubſtituitur, longitudine, & craſſitie radicum, nigredine, & tenui medulla: tum etiam radix, vt plurimum, non

constat tot surculis, quot radix Helleborinæ, quæ multa & diuersa habet filamenta diuulsa, & disgregata: denique est coloris fusci. ℞. ergo Helleb. nig. libram vnam, pulueriza subtiliter, & desicca leuiter supra laminam ferream, impone in matratio colli longi, illique affunde acetum destillatum, vel succum limonum, ea proportione, vt potius eo immadescant solum radices; nutriantur blando calore ad tres vel quatuor dies eodem menstruo. Tunc superaffunde ad eminentiam trium vel quatuor digitorum aquam Borraginis aut Buglossæ. Pone omnia in digestione in loco calido spatio 20. dierum; filtra, & euapora ad pelliculam: reaffunde menstruum nouum fæcibus. Maneant ad tres vel quatuor dies. Postea exprime fortiter, & filtra, reiteratis filtrationibus, ne quid alienum eius substantiæ misceatur; filtratum adiice priori. Quæ posita in loco calido euaporari debent ad consistentiam mellis. Tunc affunde super consistentiam spiritus ætherei vini anisati q. s. vt emineat ad tres vel quatuor digitos. Vase bene clauso pone in B. M. vel cinerum ad circulationem spatio 2. dierum. Aufer denuò, & euapora vt prius è B. M. vsque ad pelliculam. Tunc pro ℥. j. extracti, addere conuenit ℈. j. olei anisi, aut fœniculi per refrigerium extracti. Misce omnia fortiter, & euapora ad consistentiam mellis è B. M. & habebis extractum Helleb. correctum &

morbis ſupradictis appropriatum.

Doſis eſt à granis 5. ad 10.

Notandum tamen quod quamuis hoc modo præparetur, obtinet tamen, vt plurimum, qualitatem vomitiuam, proinde per ſe nunquam exhibetur.

Ego ſoleo exhibere cum Panchymagogo, aut alio extracto purgatiuo, aut myrobalanis indicis.

Panchymagogi exemplum.

℞. Fibrarum Hellebori nigri præparatarum vt ſupra, ℥. j. Pone in digeſtione vt ſupra, ſuper B. C. in matratio colli longi per ſe, ſeminum Ebuli contuſorum ℥. iiij. Colocynth. ℥. j. & ß. Agarici ℥. ij. Hermodact. & Turbith, ana ʒ. ij. Pone in alio matratio, quibus affunde decoctum clarum, & reſiduum Cremoris Tartari, ad eminentiam ſex, vel octo digitorum. Pone in loco calido ad extrahendam tincturam ad duos dies; tunc recipe fol. ſennæ ℥. j. rhei minutim conciſi ℥. ß. Pone in tertio matratio, & affunde ſimiliter aquam relictam ſuper cryſtallos tartari: aperiens nempe eſt, & ſimul corrigit tormina, quæ excitantur vulgo à ſenna. Affundi debet ea proportione, vt abunde extrahat tincturam.

In hac operatione obſeruandum, quod filtrata reliquorum extractorum debeant euaporari, antequam cogitaueris de infuſione, filtratione, & euaporatione ſennæ, & rha-

barbari. Secundo illorum euaporatio fieri debet in instanti è Balneo Mariæ & è pluribus discubis separatis. Hoc pacto quod est volatile in senna & rhabarbaro non euolat per diuturnam moram, vt sæpe aliàs solet. Denique, cum primum obtinuerint debitam consistentiam, debent adiungi aliis extractis, & auferri à calore. Tunc sume quartum matratium, & impone in eo Aloës succotrinæ ℥.v. cui affunde aquam calidam tartari, vt supra, ad eminentiam sex, vel octo digitorum. Vasé in loco calido collocato, post quatuor horas, aut sex ad summum, aufer menstruum tinctum per inclinationem, filtra pluribus vicibus. Quibus omnibus rite obseruatis, in ista prima aloes tinctura dissolue resinæ scammonij ℥. j. Tunc misce omnes tincturas, & simul euapora per Balneum Mariæ ad consistentiam mellis. Adde circa finem ʒ. j. olei Anisi, aut Fœniculi; & sic parabitur.

Dosis erit à ℈. j. ad ℈. ij. ad summum. Non est reaffundendum menstruum supra aloës fæcem, ad extrahendam eius tincturam, cum nihil sit in aloë præter illud, quod prima vice extractum est: quod enim remanet, aperit venas, & valde calefacit.

DE LAVDANO, *siue extracto Anodyno.*

CAPVT XVI.

TOt sunt Laudani descriptiones, quot in Chymia artifices. Quisque sumit sibi particulare Laudanum. Ego eam descriptionem proferam, cuius experientia mihi innotuit in multis affectibus.

℞. Opii Thebaici aut eius loco succi capitum Papaueris albi vulneratorum, coagulati, & pellucidi ℥ ij. Scinde in taleolas minutissimas, & pone ad desiccandum in loco calido, quousque opium fuerit friabile, vt possit in puluerem subtilissimum redigi. Puluerisatum & tamisatum pone in loco calido in matratio colli longi, & superaffunde aceti destillati quantum satis, vt puluis redigatur in pastam, quam nutrire debes ad tres, vel quatuor dies, aut vltra, si vis, additione Aceti destillati, aut succi Limonum. Tunc accipe succi Limonum, & aquæ alicuius destillatæ cardiacæ, vt Nenupharis, partes æquales, & affunde ad eminentiam trium, vel quatuor

digitorum. Pone in digeſtione ſupra cineres calidos ; maneant in digeſtione per menſem (quo enim diutius, eo melius.) Exagita matratium bis, aut ter ſingulo quoque die : ſecundum diminutionem menſtrui adde de nouo, & poſt 20. dies incipere debes præparare reliqua ingredientia, vt ſequitur.

℞. Succini albi puluerisati ℥. ij. Pone in matratio colli longi, cui affunde ſpiritum vini æthereum ad eminentiam trium vel quatuor digitorum. Maneant in digeſtione in loco frigido, quouſque ſpiritus vini tinctus fuerit balſamo ſuccini. Denique pone in alio matratio Caſtorei puluerisati ℥.j. ß. Croci deſiccati, & Mumiæ tranſmarinæ, ana ʒ.iij. Affunde ſimiliter idem menſtruum vt ſupra, ad eminentiam requiſitam. Tunc ℞. pulueris diarrhodon, & triaſantali, ana ℥. ß. ex quibus cum eodem menſtruo per ſe elicere debes tincturam. Quæ omnia ſimul mixta filtrari debent. Reiteratis filtris, tum incipiendum ab opio. Cuius tinctura filtrari debet exactiſſime, & euaporari ad primam fere pelliculam : quo facto adijci debent reliquæ tincturæ, & paulatim è B. M. euaporari. Et circa finem diſſolue in aqua Cinamomi ſalis corallorum ℥. ß. ſalis perlarum, & confectionis de Hyacintho, ana ʒ. ij. Quorum omnium diſſolutio tranſmitti debet per linteolum tenue, & prioribus adijci ad euaporandum in perfectam conſiſtentiam. Quo facto diuide

totam compositionem in duas partes æquales, quarum vni adde Ambari cineritij, & Moschi dissoluti in aqua cardiaca, an. ℈. ß. Mixtis omnibus exacte simul reserua pro vsu.

Huius vsus est tam familiaris in Medicina, vt Medicus semper præ manibus habere debeat. In febribus ardentibus, in vigiliis exhibetur tribus, aut quatuor horis à cibo. In plurimis morbis, præcipuè in phthisi, est præstantissimum remedium: humectat enim, & restaurat spiritus. Abstinendum in frequenti tussi, constringit enim & impedit excreationem. In dysenteriis, & omnibus febribus malignis est optimum remedium. Expertus sum sæpius anno 1625. quo grassabatur lethalis dysenteria per vniuersam Galliam; nullis remediis cessisse malum, nisi anodynis, præmissa semper purgatione. Quibus intempestiuè vena secta, aut astringentia adhibita, in vniuersam contracturam inciderunt, aut cum morte vitam commutarunt. Modum purgationis talem obseruaui. In initio purgabam cum infusione Rhei & corticibus myrobalanorum citrinarum fortiter expressis, ex aquis, aut decoctis plantaginis. Die sequenti reiterabatur eadem medicina. Sed loco infusi dabam substantiam; non neglectis interea enematibus anodynis, & recta victus ratione. Ipsa nocte secundæ exhibitionis dabam tribus horis à cœna quinque

grana Laudani. Sequentibus duabus noctibus eandem dosin præscribebam vsque ad perfectam curationem. Similiter in iusculis, (quæ pauca debent esse) dissoluebam parum salis coralli.

In febribus pestilentialibus, in phrenitide, mania, melancholia hypochondriaca, & similibus morbis, in purpurea febre exhibetur cum cardiacis. In aliis, habita ratione morbi, ætatis, & accidentium.

Notandum tamen illud, cum Ambra hystericis non exhiberi.

Dosis est à granis ij. ad quatuor.

DE EXTRACTIS corroborantibus, Diureticis, Cardiacis, & Diaphoreticis.

CAPVT XVII.

EODEM processu vtimur in his, sicut in aliis extractis, nisi quod alio non opus erit menstruo, quam aqua destillata, nempe Cinamomi; pro cardiaco, Melissæ, Cardui

bened. Scordij, Buglossi, & florum Nymph. Aqua Saxifragæ, Apij, Petrosel. pro Diureticis. Aqua Centaurij min. aut hederæ arborescentis aut Vlmariæ, pro Diaphoreticis.

Notandum extracta hæc omnia fieri aut ex siccis; aut succosis. Ex succosis per expressionem, depurationem, filtrationem reiteratam, denique per euaporationem. E siccis per infusionem, filtrationem, & leuem euaporationem.

DE MAGISTERIIS.

CAPVT XVIII.

MAGISTERIVM est species Chymica elaborata, & exaltata ex toto aliquo citra extractionem, impuritatibus solis externis ablatis. Exemplum huius erit magisterium perlarum, & corallorum.

℞. perlarum ℥.j. albue à sordibus, puluerisa, & pone in matratio colli longi, superaffundendo acetum destillatum forte, vel succum limonum, aut berberis depuratum, ad eminentiam trium, vel quatuor digitorum. Pone omnia in digestorio cinerum calidorum,

rum, illico videbis menſtruum agere in perlas, corrodere, & diſſoluere earum ſubſtantiam. Cum menſtruum fuerit valde imbutum, & ſaturatum materia perlarum diſſoluta, aufer menſtruum per leuem inclinationem, filtra; filtratum ſerua. Relictæ materiæ non diſſolutæ in matratio adiice nou[illegible]n acetum, aut menſtruum, quouſque [illegible]æ fuerint omnino diſſolutæ. Secunda vice affuſum tuum menſtruum ſaturatum, & filtratũ adiice primo ſaturato, & filtrato; & pone omnia in vaſe amplo, & capacis orificij in cucurbita, aut Alembico, ſi velis; eique guttatim ſuperaffunde olei tartari facti per deliquium, aut ſalis tartari diſſoluti, & filtrati in aqua communi, aut ſi vis diſſolutum cinerum clauellatorum, & illico videbis omnia conuerſa in coagulum niuei coloris. Et hæc mutatio dicitur apud Chymicos præcipitatio. Huius autem ratio deducta eſt à natura ſpirituum & ſalium; ſpiritus enim magnum habent cum ſalibus coniugium, cum ex ipſis originem ducere videantur: ita vt cum corpus aliquod diſſoluitur à menſtruo, & in illius ſinu abſconditur, illico ſuperaffuſo liquore aliquo ſalito menſtruum illud ſaturatum materiam in ſe diſſolutam relinquat, vt proximiori ſeſe adiungat. In hac lucta relinquitur materia diſſoluta, quæ illico cadit in fundum vaſis colore albo, aut flauo, vel cæruleo, prout fert natura rei diſſolutæ. Præcipitationem ſemper

ſequitur lotiò, quæ nunquam fieri debet niſi aquis ſimplicibus, V. G. fontana aut pluuiali, & affundi debent magna quantitate. Poſtea per digeſtionem trium, vel quatuor horarum aqua affuſa, ſal tartari, & menſtruum ſimul vniuntur, & auferuntur per leuem inclinationem. Sæpius reiterari debet eadem lotio ad multas vices: deinde materia præcipitata deſiccatur blando calore, & ſeruatur ad vſum. Eodem pacto præparantur magiſteria multorum lapidum pretioſorum, vt Smaragdi, Hyacinthi, Granatorum, Berilli, matris perlarum, oculorum cancri, &c.

Virtutes magiſterii perlarum ſunt ſpecificæ in peſte, peſtilentialibus febribus, diarrhœa, dyſenteria, vt magiſterium coralli. Denique iiſdem pollent viribus, quibus ipſa mixta.

Doſis erit à ℈. ß. ad ℈. j. in iuſculo, aut vino albo, aut ouo ſorbili. Ex iiſdem fiunt tabellæ modo ſequenti.

℞. ℥. j. Magiſterii cuiuſque, niſi fuerit Sulphuris; quod non debet accipi, niſi ad ℈. j. Adde ſacchari candi pulueriſati, & tamiſati ſubtiliſſimè ℥. j. Incorpora omnia ſimul, & accipe incorporatum aqua aliqua ſpecifica diſſolutionis gummi tragacanthi. Recollige omnia in paſtam ſuper chartam illitam oleo amygd. dulcium: & forma tabellas vel lozengas, quas illinire poteris oleo Aniſi, Fœniculi, aut Cinamomi.

DE CROCIS.

CAPVT XIX.

CROCVS est ſubtilior, & leuior pars metallorum, in puluerem croceum, violaceum, citrinum redacta. Exemplum erit Crocus chalybis, dictus Crocus Martis, cuius duæ ſunt ſpecies. Vna dicitur aperiens, altera vero aſtringens. Aperiens præparatur modo ſequenti.

℞. Chalybem ignitum in igne reuerberii, aut fuſionis vſque ad albedinem, cui admoue magdaleonem Sulphuris ſuper vas aliquod aqua plenum, & videbis chalybem illico fundi, liquari, & diffluere in aquam per globulos cum ſulphure; qui valde ſunt friabiles, & intra digitos pulueriſari poſſunt. Et hæc eſt prima eiuſdem proceſſus operatio. Secunda eſt huiuſmodi. Redige globulos iſtos in tenuem puluerem trituratione; quibus adde Sulphuris triturati, & tamiſati, quantum chalybis. Miſce omnia ſimul exactè, & extende ſuper laminam aliquam ferream, aut fictile aliquod. Pone omnia in

igne reuerberij per viginti quatuor horas, & videbis chalybem redactum in pulberem violaceum. Quem denuo triturabis subtilissimè, & affundes aquam fontanam ad eminentiam quinque, vel sex digitorum. Agitabis omnia, & turbidam aquam effundes in vas aliquod nitidum, quam subsidere relinques per aliquot horas. Tunc puram, & claram aufer per languettam, & superaffunde fæcibus primis, quas agitabis, vt prius; & effundes aquam turbidam, vt supra. Et hoc reitera, quousque aqua turbida sæpius affusa, & denuo effusa reliquerit sufficientem quantitatem Croci impalpabilis. Denique pro vltima vice euapora aquam turbidam, & remanebit Crocus Martis aperiens, præparatus, vt conuenit, cum spiritu suo vitriolato, quem ex calcinatione reiterata, crebrisque lixiuiis reiteratis, & euaporatis conseruabis, à quo dependet eius vis aperiens.

Multi perperam hunc Crocum cum additione olei sulphuris extracti per campanam sæpe reuerberant. Sed hic meus est optimus, & in omnibus affectibus, quibus adhibetur aptissimus. Eius vires sunt in morbis chronicis, præcipuè febribus intermittentibus, cachexia, reliquiis longorum morborum, obstructione hepatis, lienis, & venarum meseraicarum, per se, vel cum aliis purgantibus, incidentibus, vel corroborantibus. In scirrho lienis, & hepatis optimè exhibetur cum

Ammoniaco, quo sæpius vtor modo sequenti.

℞. Croci Martis aperientis, vt supra præparati ℥. j. Ammoniaci dissoluti in aceto scillitico ℥. ß. Redige omnia ad consistentiam debitam pilularum; exhibe, vbi opus est, superbibendo vinum album, aut decoctum aliquod aperiens. Dosis est à ℈. ß. ad ℈. j.

Exemplum Croci Martis astringentis.

℞. Limaturæ chalybis libram vnam, extende super vas aliquod amplum, super tegulam aut ferrum album; & pone in igne reuerberii per quadraginta octo horas. Ablata ab igne adiice aquæ fontanæ circiter decem, vel duodecim pintas. Digere ad diem vnum. Tunc agita omnia fortiter, & aquam turbidam per inclinationem, relinque in loco aliquo quieto ad sex, vel septem horas. Tunc aufer aquam per filtrum claram, & limpidam, & in fundo vasis inuenies Crocum Martis subtilissimum, omnique virtute aperiente denudatum.

Exhibetur in facultate retentrice debilitata, hepatis, ventriculi, aut intestinorum: cor-

roborat enim, & astringit. In lienteria, dysenteria, diarrhœa, gonorrhœa inueterata multum prodest. Exhibetur vel per se, vel aliis admixtus.

Dosis est à ℈. ß. ad ℈. j.

DE CROCO METALlorum.

CAPVT XX.

℞ ANtimonii crudi ℔. j. salis nitri desiccati leuiter tantundem. Misce omnia simul in puluerem tenuissimum; quem pone in olla terrea, vel ferrea parum inclinata. Iniice carbonem ardentem super materiam, & illico omnia inflammabuntur. Antimonium vero fusum cum spiritibus fixioribus salis nitri manent in fundo vasis; quod hepar Antimonii vocatur. Hoc hepar puluerisari debet, & poni in olla satis ampla, affundendo magnam aquæ quantitatem. Bulliant omnia, & agitabuntur interea bacillo ferreo, aut ligneo; quousque aqua satis impraegnata fuerit sale nitro. Aufer ab igne, & effunde aquam turbidam in vas terreum, quousque

ſubſiderit pars tenuior Hepatis Antimonij: aquam autem claram ſupernatantem aufer per filtrum. Et illud quod remanet in fundo vaſis, dicitur Crocus Metallorum, quem lauare debes, & ſeruare in vſum.

Super Hepar Antimonij relictum in vaſe, affunde nouam aquam, & procede vt ſupra; quouſque tandem nihil extraxeris. Omnes iſti leues pollines iungi debent in vnum, ſiccari, & ad vſum reſeruari. Exhibetur in morbis chronicis, febre tertiana, quotidiana, hemitrit. tert. ſpuria, denique in omnibus morbis, vbi vomitus conuenit: eſt nempe inter emetica omnia optimum & facillimum, multiſque nominibus præferendum decoctionibus ſeminis Raphani cum oleo & aqua tepida, imo & ipſi Aſaro. Nunquam exhiberi debet in ſubſtantia, niſi in affectibus valdè ſubitaneis, veluti Apoplexia & ſimilibus: tuncque melius eſt exhibere vel flores Antimonii, vel puluerem emeticum, quoniam eiuſmodi violenter & ſubito naturam ſopitam excitant. Rullando patri dicebatur aqua Benedicta: Infundebat enim Crocum Metallorum in aqua fontana, vel vino albo, & exhibebat ſolum infuſionem. Crocus autem meæ præparationis exhibetur vt ſequitur.

℞. Croci Metallorum ʒ. ß. infunde in vini albi ℥. j. & aquæ fontanæ ℥. ij. Maneant in infuſione per noctem vnam, ſiue 12. ho-

ras. Et videbis in vase vitreo Crocum subsidentem, aquam vero claram, & limpidam supernatantem. Relicto Croco eam exhibe in morbis supra dictis. In febribus intermittentibus exhiberi debet tribus horis ante paroxysmum. In aliis affectibus pro electione, & iudicio Medici. Non solet vltra tres vices prouocare vomitum: bis, aut ter per secessum operatur: aliquando nec vomitum, nec deiectionem proritat citra noxam. Reiterari potest bis, aut ter, interposito vno die.

Cæteras, easque præclaras huius mineralis dotes tam rei medicæ, quam metallicæ inseruientes, vt vulgari Chymicorum cohorti incognitas, peculiari auditorum fidei & collectioni committam.

DE FLORIBVS.

CAPVT XXI.

FLos est subtilior, & volatilior pars mixti, per sublimationem eleuata in consistentia sicca, leui, aliquando vero compacta. Eius species sunt flos Sulphuris, flos salis Amoniaci: Flos Antimonii, flos Benjoini: Mercurius sublimatus corrosiuus, Mercu-

rius ſublimatus dulcis, de quibus ſigillatim.

DE FLORIBVS Sulphuris.

CAPVT XXII.

℞. SVlphuris pulueriſati ſubtiliſſimè ℥. iij. vel iiij. pro capacitate vaſis. Sparge in fundo ollæ ſatis amplæ. Tunc adapta quatuor alias ollas non vitratas, gradatim aſcendentes hac ratione, vt olla ſublimior omnium ſit minima, olla ſecunda paulo maior tertia, & ſupra quartam, eo ordine, vt infima ſit omnium maxima. Tunc admoue orificium primæ ollæ non vitratæ orificio infimæ vitratæ, vt nihil tranſpiret. Interea fundus eius ollæ non vitratæ perforari debet ad latitudinem totius fundi: cuius etiam fundus perforatus deglutiri debet ab orificio ſuperioris ollæ: & ita agendum cum reliquis, quouſque acceſſeris ad vltimam, & minimam, cuius fundus perforari non debet vltra magnitudinem piſi. Tunc lutatis omni-

bus iuncturis, pone infimam ollam super ignem aptum & moderatum, ne comburantur flores initio, circiter quadrantem vnius horæ. Foramen tamen ollæ supremæ debet manere apertum, quousque phlegma Sulphuris exhalauerit: dein claudendum foramen supremum, & ascendent flores in consistentia sicca. A quatuor, vel tribus horis addi debet nouum Sulphur.

Sed animaduertendum in delutatione vasorum, pro additione noui Sulphuris, cautè, & subitò iniiciendum esse Sulphur, vasque illico claudendum, ne materia Sulphuris flammam cōcipiat, & flores sublimatos depopuletur; & spatio quinque horarum ablatis ollis ab igne, inuenietis flores, qui reseruari debēt in vsum.

Valent in morbis pulmonum (exceptis sputo sanguinis, & phthisi) in Asthmate & Dyspnœa, siue per se, seu cum aliis exhibiti. Prosunt paralysi, & hemiplegiæ. Multum conducunt affectibus cerebri.

In cachexia, & hydrope feliciter vsurpantur. Exhibentur in syrupo aliquo, vel redacti in tabellas. Tabellæ conficiuntur, sicut supra dictum est de magisterio. Sed in tussi inueterata, loco sacchari communis, addi potest saccharum candum.

Dosis pro vice est à ℈. ß. ad ℈. j. intelligo de floribus.

Ad hunc modum sublimantur varia diaphoreti-

ca, vsui meo duntaxat cognita: quæ ne communibus Chymicorum sciolis exponere videar, priuatis tantum auditoribus communicabo.

DE FLORIBVS SALIS Ammoniaci.

CAPVT XXIII.

SAl Ammoniacum eodem pacto sublimatur, ac Sulphur, excepto quod aptius perficitur sublimatio per vasa vitrea, quam terrea; proinde sublimari debent ex alembico.

℞. Salis Ammoniaci ℔. j. Squamæ ferri ℥. x. Puluerisa omnia simul, & pone in cucurbita vitrea, adaptato alembico super cineres calidos, & post duas, vel tres horas videbis ascendentes flores Ammoniaci in alembico. Tota operatio perficitur spatio viginti quatuor horarum.

Horum florum vsus frequens est in febribus putridis instante crisi, aut in intermittentibus tertianis spuriis. Debent exhiberi ante paroxysmum, aut in accessu sudoris. Feliciter etiam exhibentur in peste, in pleuritide. Denique sunt facultatis

diaphoreticæ.

Dosis & modus vtendi talis est. ℞. Scrupulum semis florum salis Ammoniaci. Dissolue in vini albi ℥. ij. & exhibe vt supra. In febribus continuis, loco vini albi, exhibe in aqua cardui benedicti.

Hic naturam, & compositionem salis Ammoniaci paucis exponam.

DE FLORIBVS *Antimonij.*

CAPVT XXIV.

℞ ANtimonii pulucrisati subtiliter ℥. iij. vel iiij. cum quibus consperge fundum ollæ vitratæ, vt dictum est in processu florum Sulphuris, hoc addito, quod ignis debet esse violentior multo.

Notandum quod, quo plures sunt ollæ, eo sublimioris ollæ flores exhibentur in minori dosi, quam inferioris, qui solent vsurpari à quinque granis ad duodecim; superioris vero non excedunt tria vel quatuor grana (in substantia intelligo.) Infusio autem exhibetur à ℈. j. ad ʒ. ß. Superioris vero non exce-

dit ℈.ß. Vsus idem est qui Croci metallorum, nisi quod violentiori modo operentur, nec debilibus, nec longo morbo exhaustis exhibentur; sed fortibus, & robustis, consideratis semper viribus, & natura morbi.

Antimonij variarum sublimationum ope acquisitas vires, & modos operationis diuersissimos, nunc per sudores, alias per vrinas, per vomitum, per secessum, denique per insensibilem transpirationem agentis ex fidelissimis quotidianæ meæ experientiæ sc[illegible] nijs deprompta priuatis auditoribus hoc loco c[illegible]mmunicabo.

DE FLORIBVS Benjoini,

CAPVT XXV.

EOdem modo sublimantur flores Benioini, nisi quod in hac operatione vtimur ollis paulo angustioribus, & igne moderatiori. Vsus illorum similiter est in morbis pulmonum, tussi, & asthmate; sed postponendi sunt floribus Sulphuris. Vtimur floribus Benioini in aquis odoratis, sicut aquis Naphæ, similiter ad mangonium mulierum.

Exhibentur in morbis ad ℈. ß. ex vitello oui, aut cum ſyrupo appropriato.

Ad huius operationis modum varia oſtendam ſpecifica odorifica, auditoribus haud ingrata.

DE MERCVRIO ſublimato corroſiuo, & dulci.

CAPVT XXVI.

IN hac ſublimatione illud quod aſcendit, eſt in conſiſtentia ſicca, ſed non leui, imo debet eſſe valdè compacta, alba, & cryſtallina.

℞. Mercurij crudi, ſale & aceto repurgati, & per linteum traiecti, libram vnam, plus minus. Vitrioli communis calcinati inter album, & rubrum libras duas. Salis communis decrepitati ℔. j. Redige vitriolum & ſalem in puluerem ſubtiliſſimum, vt facilius incorporari poſſit Mercurius ad minima. Tunc ſume ℥. ij. pro vice ſubtiliſſimi pulueris, & pone in mortario marmoreo cum ʒ. ij. Mercurii purificati. Tunc agita omnia piſtillo ligneo, quouſque puluis ita abſorpſerit

integrum Mercurium, vt nihil appareat. Tunc aufer Mercurium incorporatum cum puluere, & reserua per se; & ita procede circa Mercurium, & puluerem relictum, quousque per multas vices totus Mercurius, & puluis incorporati fuerint; & sic materia ad sublimandum erit præparata. Denique prospicere debes ad aptitudinem vasorum, in quorum electione maxima pars operationis constat. Aptissima vasa mihi videntur duo disculi terrei optime vitrati, in quorum vno poni debet materia sublimanda, & supra orificium disculi eiusdem magnitudinis adaptari debet alius disculus: hac tamen lege, vt disculus superior habeat in vertice caminulum affabrè applicatum, & ex collo fracti matratij erectum, per quem euolare possint maligniores, humidiores, & volatiliores materiæ sublimandæ partes. Adaptatis vt supra disculis, lutari debent iuncturæ vasorum exactissimè luto salito: & sic omnia præparata erunt ad sublimationem. Eligendus erit locus sub camino, non autem in cubiculo vbi aliquis dormiat, & admouendus est ignis fortissimus qui continuari debet. Post tres horas potest foramen caminuli claudi. Operatio perficitur spatio 24. horarum.

Nota si id, quod sublimatur, habeat consistentiam compactam, colorem album, & crystallinum, bene operatus es: secus ab initio

opus erit repetendum. Hac operatione Mercur. corrosiuus securior erit pro præparatione Mercurii dulcificati. Non enim præparare lubet, vt vulgo solet, ob duas rationes.

1. Quia ex hoc sublimato conficio Mercur. dulcem. Qui quia intus exhiberi debet, minus particeps erit acrimoniæ, alioquin in Medicina valde formidandus est.

2. Quia apud vulgares Chymic. præfatus Merc. dulcis ex vulgari sublimato corrosiuo conficitur, quem apud Aromatarios circumforaneos emunt: ij enim lucri magis, quam humanæ sanitatis studiosi addere solent Arsenicum & nitrum, per quæ maiorem quantitatem, candorem, consistentiam, & crystallisationem obtinet, & sic viliori pretio præparatum vendunt. Quid eueniet Medico, qui aliàs cum felici successu præscripserit, aliis & etiam sibi ipsi exhibuerit, si iam in tale sublimatum, ex Arsenico præparatum inciderit? Quod quamquam millies purgatum, nunquam nisi in ægri perniciem & suam exhibebit. Proinde vos moneo, vt cauti sitis in dulcificatione Mercurii.

Mercurius sublimatus corrosiuus nunquam exhibetur intus. Foris vero pro vlceribus malignis, cancro, & eiusmodi feliciter vsurpatur.

Hic discutienda occurrit venenatorum omnium facultas, & natura: quæ tam in quanto, quam in quali, balsamo, & vitali omnium Animalium

sulphuri

ſulphuri inſidiantur. Præterea oſtendetur, quam ineptè frigida apud vulgares nominentur.

DE MERCVRIO dulcificato.

CAPVT XXVII.

EX Mercurio (vt ſupra præparato) conficio Mercur. dulcificatum hoc modo.

℞. Merc. corroſiui ℔. j. vel ij. Pulueriſa ſubtiliter in mortario vitreo, aut marmoreo cum piſtillo vitreo, aut ligneo (nam Mercurio non admouetur metallum.) Sume tantum pulueris vt ſupra in mortario per ſe, adiiciendo per vices Mercur. crudi quantum imbibi poſſit ab ipſo, agitando ſemper in mortario, quouſque Mercur. crudus euanuerit. Ad minimum pro ℔. j. Mercur. corroſiui, ℥. x. vel xij. Mercurii puri & repurgati aſſumuntur. Tunc pone hunc puluerem ſubtiliſſimum in matratio colli longi, & igne cineritio ſublima. Si forſan (vt ſæpe aduenit) Mercur. crudus aſcenderit cum ipſo ſublimato, ſeparandus erit : fuligo vero venenata, quæ videtur in collo matratii, eſt omnino

auferenda. Illud quod est album & crystallinum, superiori parti matratii affixum, reseruari debet. Processus hic reiterari debet ad duas vices, diminuendo tamen dosim Mercurii, eadem lege, vt supra. Mercurius hoc modo ter sublimatus, absque periculo intus exhiberi potest. Ante exhibitionem vt certum periculum facias, pone pulueris eiusdem supra sordidum aliquod vlcus: & si fecerit escharam, non bene dulcificatus est: sin minus, tutus vsus eius erit in morbis venereis, in hydrope, & paralysi; qui quidem suspectus est, si vltra tres vices exhibeatur dosi integra. Prouocat nempe saliuationem, quæ tamen in morbis venereis non est improbanda, cum in ea consistat vera crisis morbi.

Dosis eius est à granis quinque ad 15. imo à ℈. ß. ad ℈. j.

Si cupias exhibere absque saliuatione, debes admiscere alicui cathartico. Nempe dimidium dosis pilularum cocciarum, vel sine quibus.

Quo pacto extinguitur, obtunditur, aut aboletur deleteria venenatorum omnium natura. Et an detur remedium, venenis ita oppositum, cuius ope & vsu non vereri possimus venenatorum assumptionem, ratione, & experientia demonstrabitur.

DE PRÆPARATIONE Animalium, & prima de Melle.

CAPVT XXVIII.

℞. Mellis despumati ℔.j. plus minus; ossium calcinatorum tantundem. Misce omnia, & pone in retorta, adaptato recipiente mediocri, & super cineres calidos, primo emanabit phlegma. Transpone super arenam, vbi fortior est calor, & inde spiritum elicies, remanente in fundo retortæ materia quadam spongiosa, quæ continuato igne reddit parum olei; reliquum vero calcinatum, reddit copiosum salem.

Nullus eius est vsus in Medicina, nisi externus ad educendos capillos. Vtimur vero sale pro conficiendis pyroticis. Spiritus eius est optimum dissoluens auri, proinde eo vtuntur aliqui ad conficiendum aurum potabile. Cum eo etiam educitur vitriolum ex omnibus metallis.

In quo mellis dulcedo, nutriendi facultas, dis-

soluendi metallorum vis, fœcundaque apum prolis procreandi potestas latet, breuiter discutietur.

DE SPIRITV ET oleo Ceræ.

CAPVT XXIX.

EX Cera, sicut ex omnibus animalibus eliciuntur, aqua, spiritus, oleum, & flores modo sequenti.

℞. Ceræ flauæ in taleolas scissæ ℔. j. plus minus, pro capacitate retortæ, & pone in retorta. Adapta recipiens amplum, iuncturis bene lutatis: Primò, egredietur phlegma: Secundò, cum vaporibus multis albis replentibus recipiens, egredietur etiam spiritus, & butyrum cum floribus albiss. qui nihil aliud sunt, quam sal volatile Ceræ. Operatione peracta inuenies in retorta terram adustam, & fuliginosam, quam vulgo *caput mortuum* appellamus. In recipiente vero, illud quod dicitur butyrum, cum floribus, spiritu, & phlegmate egredientur; ex quibus conuenit elicere oleum, modo sequenti.

℞. butyri Ceræ, pone in retortula vitrea,

ea proportione ne repleatur vltra quartam partem ſuæ capacitatis. Adapta recipiens ſiue matratium, & ſuper blando calore cinerum, elicies oleum flauum, & limpidum. Ex ℥. xij. butyri, vix elicies ℥. j. huius olei, quod per ſe ſeruari debet. Pro relicto butyro auge ignem, aut transfer retortam ſuper arenam, & elicies adhuc oleum, ſed priori multo magis turbidum. Poteris elicere ad ℥. iiij. vel v.

Virtutes huius olei, ſunt reſolutiuæ, foris nempe illitum reſoluit tumores ſcirrhoſos, & œdematoſos: conuenit etenim valde in frigidis neruorum affectibus. In vrinæ retentione eſt præſtantiſſimum remedium; modo ipſa non ex febre, aut aliquo affectu calido oriatur. Exhibetur in aquis diureticis à ℈. ß. ad ℈. j.

Qua ſcientia mellificia Apum ſexagonam obtineant formam, & ex qua parte Apum cera ipſa exurgat, & quibus affectibus maximè conueniat, hoc capite aperietur.

DE PHLEGMATE, spiritu, oleo, & sale volatili Cranij humani, Cornu cerui, Eboris, & similium.

CAPVT XXX.

℞. CRanii humani nõ humati ℔ j. Scinde in paruas taleolas, vt in retortam coniicere possis. Adapta recipiens satis amplum, iuncturis bene lutatis: primò egredietur phlegma: secundò spiritus: auge gradum ignis, & egredietur oleum, denique sal volatile in satis magna copia. Vbi notandum, quod animalia possident magnam portionem salis volatilis supra omnia mixta, propter continuam circulationem spirituum, qualis non reperitur in aliis mixtis. Olei nullus est vsus in Medicina. Alij tamen vtuntur spiritu eiusdem ad curam epilepsiæ, sed male. Tantum enim abest vt curent, quin potius prouocent. Tanta enim violentia agit, vt nisi cautus sis in delutatione vasorum, plus quàm vigesies prouocabis sternutatio-

nem. Sed ſal volatile non eſt contemnendum remedium, & vera forſan huius affectus curæ. Verùm exhiberi debet ſemper cum ſpecificis, nempe aquis pæoniæ maris, lilii conuallium & ſimilibus. Non eſt negligendus eiuſmodi apparatus, qui ſic fit.

℞. Salis volatilis Cranij humani, diſſolue in aqua pæoniæ maris calida, filtra, & euapora, euaporatum collige, & exhibe à granis v. ad x. ex ℥.ij. aquę alicuius ſpecificæ. Continua vſum ad ſex ſeptimanas ter in die mane & veſpere. Eodem modo elicitur ſpiritus, oleum, & ſal Cornu Cerui. Cuius tamen oleum non vſurpatur intus, propter fœtorem inſignem: ſpiritus vero pollet virtute tum diuretica, tum diaphoretica: ſal vero eſt præſtantiſſimum cardiacum, multis modis lapidi bezoardico anteponendum. Exhibetur in febre peſtil. in variol. vermibus, &c.


Doſis eſt à granis quinque, ad decem, cum ℥. ij. aquæ alicuius ſpecificę & appropriatæ.


Hac eadem methodo eliciuntur ex carnibus & oßibus ſerpentum, vt viperarum, piſcium, auium, ſalia volatilia obtinentia varias inter ſe externas formas è Cranio parallebipedales. E cornu cerui ſal adhærens parietibus recipientis (modò humido, & lento calore euocetur) refert capita multa ceruorum confuſa. Illud vero quod in fundo reperitur formam hexagonam planam, & adamantis ſplendori æqualem referre conſpicimus. Quarum diuerſarum ſignaturarum cauſæ dilucidè aperientur.


DOCTRINA DE symbolo & mutuatione elemẽtorum cum quinq; corporibus simplicibus Geometricis: vnde dilucidè aperietur vera causa diuersarum formarum, numerorum, variarumque proportionum in compositis, vt figura hexagonali, cubica, pentagonali, octaëdrica rhombica, in sale cornu Cerui, in niue sexangulari, in crystallo, Smaragdo Adamante, vitriolo, caulibus, floribus & folijs stirpium, alueolis apum, Nitro, Sale gemmæ & vulgari.


Opus nouum, & à nullo ante me, quod sciam, elaboratum.


PYthagoricis & occultioribus naturæ interpretibus mos est progressiones rerum



























Vt quinque regularia corpora formam irregularibus præbent.














Sic simplicia Elementa omnibus mixtis formam exhibent























t non potest fieri angulus solidus absque tribus planis sic non
otest fieri corpus physicum sine ⊖ 🜍 ☿













Nix sexangularis.
















Omnia in mensura et numero, et pondere disposuisti; sap. ij.











naturalium quæ ex simplicibus in mixta corpora transeunt, numeris, figuris, & proportionibus adaptandi, eorumque inuolucris multa præclaraque mysteria occultandi: itaque essentialium numerorum proprietatibus omnes scientias tam mundanas, quam supramundanas docuerunt. Etsi vero ab aliis postea explosi sint, quod ex numeris & nudis quantitatibus substantias produci posse arbitrarentur: hi tamen consilium tantorum Philosophorum non satis perceperunt, neque numerorum essentialium proprietates & potestates mirabiles intellexerunt. Nam si constantes & perpetui sint numeri partium, numerorumque proportiones & mixtiones ordinatæ in generatione, casu vtique non contingent, neque à posteriori: sed in scientia Architectonica seu mechanica rerum faciendarum, quæ ab anima in naturam seminariam diffusa fuit, continebantur. De qua obseruatione dignissimum est quod scribit Proclus *Commentario* I. *in Euclidem*: Cunctæ res Mathematicæ, inquit, primum in ipsa anima sunt, & ante numeros numeri, qui per se mouentur, & ante apparentes figuras figuræ vitales, & ante ea quæ concinnata sunt harmonicæ rationes: & ante corpora quæ circulariter mouentur, inuisibiles circuli producti fuere: horumque omnium vbertas ipsa anima est, & iste ornatus alius est qui seipsum producit, & à proprio producitur principio.

& vita seipsam explet & ab opifice absque corpore ac sine dimensione expletur: & quando suas promit rationes, tunc patefacit suas scientias atque virtutes.

His itaque formis anima induit suam essentiam, nec est numerus in ipsa multitudo vnitatum existimandus: neque eorum quæ cum dimensione sunt idea, corporaliter est intelligenda: sed vitaliter & intelligenter omnia apparentium numerorum, figurarum, rationum & motuum exempla sunt supponenda. In hac ergo magnitudine proportiones, figuræ, numeri, colores, sapores, odores, corporaturæ, tum reliquæ signaturæ fundantur: & si in scientia illa continentur, otiosa vtique non erunt, sed vitalia, potestate pleni, proportiones ordinatas in progressionibus explicantia, docentiaque pondere, mensura & ordine creata esse omnia. Itaque nihil est in vniuerso, quod ordinem effugiat, quod non proportione ad harmoniam vnitatemque redigatur: & quanquam huic aut alteri dissonum videatur, alii tamen confestim consonabit.

Tales consonantiæ in natura singulis momentis absoluuntur; semina enim in generationibus ab vnitate in Mentem, Animam & Naturam labentia, partes, tanquam numeros & sonos, ordinata progressione producunt Elementa, corporum principia, numeris antea in scientia definita, constituunt. Quæ si


consentanea fuerint, harmoniam, mixtionem, proportionem & consonantiam efficient. Consonantiam dico, ex tribus debite confluentibus constantem, scilicet seminali tinctura, corporum principiis & elementis. Corporum principia appello Salem, Sulphur & Mercurium, signaturis suis ornata: tum elementa principiis consentanea.

Hanc generationis diuinam scientiam & administrationem, Hippocrates docta profundáque interpretatione persecutus est *libello de dieta.* Vbi postquam ostendit seminum progressionem ex orco in lucem, fluxumque generationum & corruptionum vniuersali doctrina declarauit, ad hominis naturam descendit, inquiens, τὰ δ' ἄλλα πάντα καὶ ψυχὴ ἀνθρώπου, καὶ σῶμα ὁκοῖον ἡ ψυχὴ διακοσμέεται. Hoc est; *alia omnia, & anima hominis, corpus verò animæ consentaneum fabricatur.* Principia illa vitalia, radices, tincturas, mechanicos spiritus (vt eos vocat doctissimus Seuerinus) in quibus scientia, vita & potestas viget, ψυχὴν appellat: alibi θερμὸν, vt in libro de carnibus; hîc sæpe πῦρ. Quales autem fuerint scientiæ & dona vitalium spirituum Animæ, calidi ignis & tales signaturæ, in corporibus exprimi, corporumque ornatum vniuersum in anima contineri asserit: ita anima est principium corporis organici, ab hac enim fluit. Huius virtute Elementa, principia miscentur, augentur: ex spiritualibus in corporea

mutantur: figuris, magnitudinibus, coloribus & similibus picturis animæ consentaneis: hoc est quæ ad prædestinata officia absoluenda operæ precium obtinent.

Non immerito igitur in maximo honore apud veteres, Mathematicæ fuerunt disciplinæ, quum Geometria & Arithmetica in anima ipsa, antequam in corpore fuerit, concipiantur, & in quas intuitus omnipotens Conditor, singula ad amussim fecerit. Quàm mirabilis est harmonicus astrorum septenarius? Quàm mystica trias? In qua numerosa Geometricaque sapientia maximè elaborarunt Academici veteres & Platonici. Sed hic philosophandi modus Aristotelico toto cœlo oppositus erat. Illi enim per numeros philosophando ex supremo emanationum fonte ad infima, quasi componendo & methodo synthetica rerum naturam aucupantur & à ternario ad quaternarium descendebant. Quum tamen è contra isti ab infimis rebus corporeis, & sensibilibus quasi diuidendo & methodo Analytica ascendunt à quaternario ad ternarium, nempe à corporeo, sensibili & caduco ad cælestem & incorruptibilem naturam: quaternarius enim numerus iuxta Pythagoreos corporis & materiæ est particeps, ternarius vero spiritus & formæ. Huic non absimilis est illa diuini Platonis *in Timæo*, animam hominis triangulo comparantis, in cuius apice sit

vnitas; ex vno cuius latere ſunt numeri pares 2. 4. 8. ex altero impares 3. 9. 27. ad numeros primos cubos deſcendendo, id eſt ad octonarium, & ſeptenarium ſupra vigeſimum



ita vt, inquit Proclus, in Timæum, octonarius, quia pariter par ad vnitatem vſque diuiditur, corruptibilis corporis, aërei vehiculi naturam demonſtret: 27. autem, vt impar & indiuiduus numerus, incorruptibilis & æterni, id eſt vehiculi ætherei, quo amicta anima tandem in hoc humanum ergaſtulum coniicitur. Hoc eſt quod ait Plato, animam eſſe compoſitam ex ſubſtantia quadam indiuidua, & quadam circa corpora diuiſibili. Plotinus vero id refert ad vitam primam animæ, qua in ſe ſubſiſtit, & ad ſecundam, qua corpus informat. Idem eſt, inquit, atque ſi diceretur animam eſſentia quadam conſtare, partim quidem apud ſuperos permanente, partim vero ad inferiora vergente: quæ quidem ſimul & inde pendeat, & ſe interim ad hæc vſque propaget, non aliter quam ex centro linea protenditur: ſic anima, Iani inſtar, duplici donata facie, ſupera iungatur cum mente: infera conuertatur ad corpus. Supera dirigatur à à mente, infera dirigat corpora: ſupera degat in æuo; infera in tempore: ſupera concipiat, rationibuſque impleatur; infera pa-

riat. Supera indiuiduè & simul operetur; infera cum successione & tempore. Adeo vt, ait ille *lib.* 2. & diuisa sit in partes; & iterum non diuisa: potius autem ipsa neque diuisa sit, neque diuisa fiat: manet enim secum ipsa tota; quippe cum corpora nequeant diuisibilitate propria indiuisibiliter eam accipere. Quo efficitur, vt non animæ quidem passió sit, sed corporum. Huc refer quod ait Hermes *in Pœmandro*, duplicem esse hominem, mortalem quidem corpore, immortalem vero ob substantialem hominem.

Sed redeundo vnde digressi sumus, quum de numeris loquuti sunt veteres, non de numeris figurisque illis abstractis & insolitis, quos flagitiosissimi homines pro fundamento Magiæ perniciosissimæ constituunt: sed de concretis & essentialibus loquebantur, & ista diuinarum humanarumque rerum arcana hieroglyphia repræsentabant.

Nonne in plantis similis est analogia? Nonne distincta reperiuntur multorum folia, vt ficus, cucurbitæ, vitis quinario neruo? Nonne multorum florum forma, vt rosarum simplicium; arborum, vt persicorum & omnium fere fructuum flores quinario florum folio exornantur? Quem numerum non nisi ex pentagono Dodecahedri latere abstractum dixeris. Quid dicam de mineralibus, quæ inanimata apud multos censentur; & tamen crystallis hexagona pyramidalis forma, in

ſmaragdo itidem, in adamãte octaëdrica non fortuito, ſed ſemper contingit. Quid de vitriolis, quorum quædam cubicam, vt vitriolum Martis; alia faciem hexagonam habent, vt vitriolum Veneris? Sed non poſſum hoc in loco reticere, quantum ingenioſorum curioſorumque hominum conſuetudo & frequentatio in perquiſitione formarum mihi detexerit. Dum enim ſcrinia celeberrimorum virorum, tum artificum, qui in re minerali, præcipuè verò lapidea, perluſtrarem, incidi in lapidarium quendam, virum in arte periſſimum, Dominum *Bourſelette* nominatum. Is quum multa experientia ſibi cognita de lapidibus & gemmis mihi communicaret, obtulit mihi Rupem mineralem ex minera argenti Lotharingica effoſſam, quaſi ex aqua aliqua nitroſa congelatam, latitudine trium palmorum. In cuius ſuperficie extima adhærebat materia quædam gypſea, clara, pellucida & cryſtalliſata, ſed cryſtallo multis modis mollior, polita valdè & dodecahedrali forma prædita, faciebus ſuis pentagonalibus adornata. Adeo enim apprimè imitabatur numeros, figuras & dimenſiones Geometricas, vt naturam cum arte contendiſſe dixeris. Is me ad ſpectatiſſimum virum Dominũ Ioannem Baptiſtam *de la Noüe*, in eo genere ſcrinij locupletiſſimum deduxit, vbi cryſtalla omnis generis, marmorea multa, marcaſitas, lapides & gẽmas multas adhuc nõ elaboratas cõſpexi. E

quorum numero vidi Rupem mineralem planam, latitudine trium vel quatuor palmorum præditam, cuius vna facies fuit infinitorum crystallorum speciebus sex facierum referta: è cuius medio fluor quidam metallicus, amplitudine trium digitorum, protuberabat ex ære, intermixtis multis puri auri atomis, aquæ forti resistentibus. Ex aduersa vero facie mille species dodecahedrales eminebant, prioribus nuper à me prolatis similes. In medio vero lapides crystalli duritie æquales, quæ cubicam vndequaque obtinebant formam, sed vitrioli Martis colore conspicuas. Hæc non absque admiratione considerans, tacitaque mente mecum perpendens, ecce mihi oblatus fuit smaragdus occidentalis, cylindrica forma præditus, pondere vnciarum sex, sed sex faciebus: tanta politie excultus, vt nisi penitius rem ipsam examinassem, hoc fuco artificum illico attribuissem. Sed examine iterum atque iterum adhibito, reperi veram, naturalem & incultam fuisse gemmam, quæ nisi maculis multis & scabritie scatuisset, inæstimabili pretio proculdubio præualuisset. Aderant vestigia quędam pyramidaliū facierum, quæ satis denotabant eandem habere smaragdum cum crystallo figuram: sed mollitie & colore tantum discrepare. Omnes enim smaragdi, faciebus sex (sicut crystalla) præditi sunt. Sic ex Salibus, tam quæ naturaliter crescunt

& è

& è visceribus terræ effodiuntur, vt sal gemmæ, quod etsi in mille partes discretas confregeris, tot cubicas tesserulas vndique conspicies: quàm quæ fiunt ex succis inspissatis, vt sal marinum, quod à cubica sensim ad pyramidis accedit formam. Quæ similiter violento igne ex mixtis per retortam in recipiens excipiuntur, modò blando calore euocaueris, habebis è cornu ceruî salem volatilem, facie hexagona regulari præditum, & in fundo recipientis in spiritu & aqua concretum, tam affabrè constructum, vt dixeris non absque lapidarii rota & arte concinnatum fuisse. Ex salibus itidem diuersorum mixtorum, quæ per blandam calcinationem è cineribus plantarum educuntur, quot particulares numero, & figura differentes formæ conspiciuntur? Non latet Chymicos, qui non lucri, sed eruditionis causa eiusmodi rerum signaturas expiscantur. Salem absinthii sæpiùs reperi circa parietes vasis concretam forma ouali: sed in sex facies exactè quadratas, pellucidas & politas, & iuxta vtrumque extremum in sex pyramidales facies exacte in vnum apicem conspirantes. Quis ignorat niuem sexangularem? Quis salis nitri cylindricam sex facierum formam? Quid dicam de Architectonica illa apum in alueolis condendis scientia, qui cylindrum sex facierum semper repræsentant? Quis tam fatuus dixerit hos numeros & figuras,

quum nunquam aliter contingat, fortuitos esse?

Sed vt ad rationes reddendas harum figurarum & numerorum penitus me applicem, reuocabo omnes istos diuersos numeros & figuras quæ in mixtis reperiuntur, ad certum & determinatum numerum & figuram: conaborque in simplicibus ex vniuscuiusque rei proprietate & conuenientia cum Mathematicis res non Mathematicas physicè demonstrare, & simplicibus corporibus certum & determinatum non tantum numerum, sed & figuram certam & specificam, iuxta leges Mathematicas, posse adscribi. Et primò ex corporibus, quorum infinities infinita sunt genera: seligamus aliqua per certas notas, puta quæ aut latera, aut angulos, aut plana singula vel alterna, vel quouis constanti modo iuxta habeant inuicem æqualia; vt ita cum firma solidaque ratione ad finitum aliquod veniatur. Hoc pacto retinebimus sola illa, quæ aut omnia plana & æquangula, & æquilatera fuerint, quæ quinarium numerum excedere non inuenientur; eaque regularia vulgo nominantur, quibus Græci hæc adscripsere nomina, *Cubus* seu *Hexahedron*, *Pyramis* seu *Tetrahedron*, *Dodecahedron*, *Icosahedron*, *Octahedron*. Nec possibile est plura vel pauciora excogitari posse, vt ab Euclide *lib.* 13. *propos.* dilucidè demonstratur. Quare sicut horum definitus & exiguus est tantum numerus,

cæterorum vero corporum innumerabiles & infinitæ species: ita decuit in mundo physico duo esse corporum genera, elementis, & elementatis euidenti discrimine inter se distincta: quorum vnum finito simile, & illud erunt corpora elementaria, siue ipsa elementa simplicia, angusta, & certo numero & figura limitata: Alia erunt corpora elementata siue composita, vt vaga omnia & infinito similia, & hoc quasi discrimine inter se distincta, vt minus aut magis vagam habeant figuram, quo magis à puritate simplicis corporis desciuerint.

Si quis interea istas rationes Philosophicas risu sannisque excipere & illudere audeat, ego illi ducem, authorem & prædemonstratorem ex antiquissimis seculis Pythagoram proferam, cuius multa in scholis mentio; qui cum præstantiam horum corporum consideraret, pari ratione, mille annis ante Creatoris aduentum, cura non indignum censuerit ad illa respicere, atque rebus Mathematicis physicè, & ex sua qualibet proprietate accidentaria sensili res non Mathematicas accommodare. Terram scilicet Cubo, Ignem Pyramidi seu Tetrahedro, Aquam Octahedro & Aërem Icosahedro. Et præter hæc omnia elementa, quintum astris analogum siue quintam essentiam Dodecahedro adaptauit. Non quod terra hæc nostra & reliqua elementa, habeant tales formas,

quum non ſint corpora ſimplicia, ſed ex omnibus elementis coacta. Præterea Mathematica & phyſica corpora ſimplicia iiſdem vtuntur primis principiis. Ad conſtituendum enim corpus ſimplex phyſicum, ſicut ad Mathematicum, oportet vt concurrant punctus, linea & ſuperficies. Corporum etiam regularium prima elementa ſunt trianguli, qui in iunctura laterum habent punctum, in ipſo latere lineam, in plano ſuperficiem. Mathematica & phyſica quoque habent ſimilia. Mathematica enim, vt hactenus dictum eſt, ſunt quinque, nec plura excogitari poſſunt. Quinque etiam ſunt corpora ſimplicia ſeu elementa; quatuor vulgaria, & quintum quod eſt aſtræum, quinta eſſentia ſiue elementum, cœlo ſtellarum analogum, & vt vocauimus in initio primi libri, purum in mixto. Ex quinque regularibus tria ſunt primaria, Hexahedron, Tetrahedron & Dodecahedron. Duo ſecundaria, Icoſahedron & Octahedron. Tria itidem elementa primaria. Quinta eſſentia Dodecahedro ſimilis: arena Cubo ſimilis, pyramis igni ſimilis. Duo erunt itidem ſecundaria elementa, Aqua Octahedro, aër Icoſahedro reſpondens. Et ſicut primaria inter ſe differunt, & ſecundaria communi vtuntur triangulo: ita ex tribus primariis elementis arena eſt paſſiua, tranſmittit tantum, non immittit radios: nam eſt lux coarctata. Quinta eſſentia au-

tem cum proximè ab eſſentia emanet, eſt potentiâ quidquid reliqua ſun actu, hoc eſt, eſt mater actionum: nam quidquid reliqua ſunt actu, ab eius exemplari depromuntur & foras emittuntur. Et ſicut duo ſecundaria communi vtuntur triangulo, ſitu minus ſtabili; ita aër & aqua hoc habent commune, vt non expectent ignis vim, ſed inſtabili modo fluctuent & effugiant. Primariorum quodlibet proprium ſuum habet planum: Cubus quadratum: Pyramis triangulum. Dodecahedron pentagonum: ita ignis à pyramidis triangulo acuto acumẽ ſuum mutuatur. Arenâ à quadrangulo ſtabilitatem, & ab igne conſtantiam: Quinta eſſentia in pentagoni angulo obtuſo, qui reliquorum omnes angulos in ſe continet, abſcondit, exemplari modo, quinque elementorum varias facultates tam viſibili actu, quam inuiſibili poteſtate abditas. Et quemadmodum ſecundaria planum triangulum à pyramide mutuantur: ita & ſecundaria elementa tenuitatem ſuam ab igne; aqua ingenitam facultatem abſcondendi in ſe ſalem ſiue purum extra mixtum: aër abſcondendi in ſe aquam. Primaria nulli aliorum corporum ſuam debent originem & proprietatem: ſecundaria pleraque ex primariis facta communicatione adepta ſunt, & quaſi ex his genita ſimiliter. Sed prima elementa nulli aliorum elementorum ſuam originem & proprietates debent. Aër

vero & aqua videntur quaſi ex his primis genita, & præcipue ex quinta eſſentia, quæ proxime naſcitur ex eſſentia rei. Adde etiam quod primaria corpora perfecto numero conſtant, nempe ternario; Secundaria imperfecto, nempe binario. Præterea primaria omnes anguli ſpecies habent: Cubus rectum, Pyramis acutum, Dodecahedron obtuſum. Secundaria vero in ſolius anguli obliqui genere verſantur. Simili ratione elementa primaria ſunt primæ imagines, & proinde habent in ſe primario, quæ in ſecundis ſunt participatione tantum: & quæ ſunt in ſecundis facultate quadam extrà regnante, in primis ſunt altereitate quadam intus manente. Deniq; Dodecahedron princeps eſt & primiſſimũ ſui ordinis: conſtat enim ex angulo obtuſo, in quo omnium anguli ſpecierum exemplaria continentur: omnis enim ordinis primiſſima formam habent eorum quæ poſt ſe ſunt. Hinc totum natura partibus prius, vt ciuitas domo: nam ex toto partium perfectio ſpectatur, & ad illud, tanquam ad finem, refertur. Sic ſuperiora colligunt in ſe vnita, quæ in inferioribus ſunt diſperſa, aguntque ſicut & omnia corpora ſimplicia, quæ ſemper agunt & agendo foras nonnihil emittunt ſimpliciſſima, hoc eſt origini proximiora, abſque intima mutatione ſui. Quum enim vniformia ſint, parſque partem teneat, nihilque intus habeant alienum, merito ni-

hil effluit substantiæ foras, quod non connectatur ad id vnde progressum est, peregrinandoque leges auitæ & desideratæ patriæ omnino obseruant. Quidquid enim est terra, apparet tantum tale per similitudinem substantiæ cum igneo & astræo hoc elemento. Quidquid itidem est ignis elementaris, hoc habet vt imago quinti & astræi huius elementi. Quatuor elementa vulgaria mobiliter mouentur, quoniam à recta via plerumque propter aliquod impedimentum dimoueri possunt. Cœlestia vero mouentur stabiliter: nam in illorum naturali statu semper perseuerant. At motus, mutatio quædam est: mutatio vero indigentiam quandam denotat, quia mouetur ad id quod non habet. At super id quod est indigum, est ibi illud quod est plenum, quo sustinentur reguntur que mobilia, & quo recurrunt vt impleantur. Est super motum, immobile: & super omne compositum, simplicissima natura. Ex qua deducimus naturam simplicissimam quinti elementi siue puri in mixto, quod extra mixtum per separationem puri ab impuro se se prodit in tres formas diuersas, Salis, Sulphuris & Mercurii nominibus insignitas. Quod & ipsum vniformis Dodecahedri natura denotat: constat enim ex duodecim pentagonis æqualibus & æquilateris, denotatque eius materiam simplicissimam & vndiquaque sibi homogeneam, sed quæ vires quatuor

naturarum comprehendit, & ſimul tria ſeminalia rerum principia Sal, Sulphur, & Mercurium. Pentagonum enim includit tres iſoſceles triangulos, per quos ipſa deſignatur potentia Salis, Sulphuris, & Mercurij, cæleſti terrenaque hac virtute diſtincta.

Nunc verò quum ternarius & tetras multum à priſcis Philoſophis vſitata ſint, iiſque deſignentur in natura principia & elementa dicta: de his licebit paulo adhuc fuſius agere. Omnis natura corporea in mundanam ſcenam abitura, vt ex materia, forma & proportione primo conſtat: ſic ex his oriri elementa, tum tria ſeminalia principia neceſſe eſt. Nam quicquid per generationem in hæc inferiora perficitur, mediantibus principiis & elementis, primis rerum matricibus, non ſolum producitur, ſed nutritur & conſeruatur. At in productione quædam magis materiam, alia formam reſpiciunt. Quæ materiam, illa ſunt, in quibus nulla dunamis interna latet, ſaltem frigiditates, caliditates, humiditates, ſiccitates, & tales qualitates materiales & relollaceæ deprehenduntur. Talia autem ſunt quatuor elementa vulgaria, quæ nullam, vt apprimè docet Alcinous, *in Inſtitutionem Platonicam*, habuere prius elementorum ordinem, mundi opifex formauit Pyramide atque Cubo, Octahedro & Icoſahedto, & præter hæc omnia Dodecahedro. Materia enim, quatenus

pyramidis formam suscepit, ignis existit, quod hæc omnium elementornm materialium, secando & diuidendo, fuit accommodata, paucioribusque triangulis constat, atque idcirco est rarissima. Quatenus autem Octahedra facta est, simul aquæ qualitatem, sicut & aëris, quatenus Icosahedri forma ornata est. Cubi vero figurâ terræ, vt omnium maximè solidæ atque firmæ. Quæ autem formam respiciunt, ea sunt in quibus omnis actio & potestas latet, in quibus calidum illud cæleste innatum, quod multum crescentibus attribuit Hippocrates, inesse creditur. Hanc Theophrastus vitale naturæ principium appellat. Planius tamen Arist. dum facultates omnes animæ generationi dicatas in corpore quodam habitare, non dubiis externorum elementorum aut materialium qualitatum contaminato, sed puro & diuino assetatum contaminato, sed puro & diuino asseverit: in quo omnis vis & potestas viuentium latet. Quare quum multum supra qualitates quatuor vulgarium elementorum sapiat, non ineptè tum à Platone, tum à cæteris veterum Philosophorum cohortibus quinta essentia, quintum elementum, elementum astris analogum, vniuersi elementum appellatur. Non quod sit quædam natura ex aliis composita, sed quod in se contineat quatuor elementorum compositionem, & aliquid vltra. Sicut obtusus angulus Dodecahedri cui assimilatur omnes angulos in se continet: & vt scribit

Proclus, obtusus angulus vniuersis substantiam suppeditat. Et sicut cælum omnia hæc inferiora continet, & tamen à nullo continetur: eodem pacto quinta essentia vagam quatuor elementorum naturam determinat & in actum protrudit, eiusque ratio materialis formas in magnitudinem auget & in omnis generis mutationem producit.

Et quum præter prædictas quatuor solidas figuras regulares, quinta etiam ex pentagonis constituitur, quorum tria in vnum compacta solidum angulum efficiunt, sicque duodecim facierum figuram complent, duodecim basium alias figuras complectentem. Nam ex duodecim pentagonis fiunt quatuor solidi anguli compacti: ex singulis tribus pentagonis, quatuor simplicibus corporibus correspondentes, & vnum angulum solidum constituentibus. Hinc facile erit prospicere, per vnum solidum angulum, vario modo per Dodecahedron dispersum, tum de tribus pentagonis vnum solidum angulum constituentibus, & quater per Dodecahedri regularem formam etiam repetitam, materiam eius simplicem & vndequaque sibi homogeneam respexisse: sed quæ vires quatuor elementorum comprehendit, & simul trium rerum seminalium continet principium, designatum per pentagonum, includens tres triangulos isosceles: per quos designantur tres istæ quintæ essen-

tiæ dunameis, nempe Sal, Sulphur & Mercurius. In sale designato per vnum extremorum, vbi constituitur fœcundans natura, vnde nascendi vigor: terminat enim humidum & forma donat, vimque physicam & formatiuam sibi vendicat, quod tum accretio & mutatio, tum generatio in animalibus comprobat. Nihil enim terra marique gignitur, nisi beneficio calidi siccique agentis & informantis. In sulphure vero, per aliud extremorum isoscelium in pentagono inuentorum, constituitur proximum seminis receptaculum, vnde corpora generationi destinata complentur. His duobus comitibus Mercurius adiunctus est, quasi materia patiens & omnium formarum susceptiua, Mercurii tum cælestis, tum mineralis mutabile ingenium repræsentans. Hoc terminatum ab agente calido vitam cuiusque & virtutes continet, vnde essentialis vniuscuiusque rei proprietas inest, in mutatione prærogatiuam aliorum obtinens: nam Sulphur & Sal ad transeuntia tantum perhibentur: vnde fit vt officio peracto tanquam recrementa segregentur. Quanquam non tota, vt videmus, in transpiratione & vsu alimentorum, neque absque ratione, quum seminalia illa principia repræsententur per tria triangula isoscelia, quorum extremorum bases idem sunt cum medii lateribus, basis vero medij idem cum extremorum lateribus.

Sed hæc media cum duobus extremis melius Plato exprimit *in Timæo*; Duo sola, inquit, absque tertio quodam commodè cohærere non possunt, sed medium aliquod vinculum desiderant; vinculorum vero id est aptissimum atque pulcherrimum, quod ex se & ex iis quæ adstringit quam maximè vnum efficit. Hoc vero maxime proportio ratioque alternæ rationis assequitur. Quando enim in tribus numeris, aut motibus, aut viribus medium ita se habet ad postremum, vt primum ad medium: vicissimque vt posterum cum medio, ita medium cum primo congruit: tum quod medium est & primum, fit & postremum: postremum quoque & primum media fiunt: Ita necessitas cogit, vt omnia quæ sic deuincta fuerint, eadem inter se sint. Eadem vero cum facta sint, efficitur vt omnia sint vnum. Quare inter Salem & Sulphur Mercurius medius censebitur, ista proportione vt Mercurius ad Sulphur, ita Sal ad Mercurium: & vti Sulphur cum Mercurio, ita & Mercurius cum Sale congruat. Sed quia vniuersi corpus latitudinem non solum habere debuit, sed etiam profunditatem vnum ad seipsum, tum ad extrema vincienda interiectum, non sufficiet; sed vt soliditatem habeat, non vno, sed duobus semper mediis indigebit. Quapropter inter Hexahedron terram, elementum & Tetrahedron ignem naturæ, Deus Icosahe-

dron aërem, & Octahedron aquam locauit, eaque inter se inuicem quoad potuit comparauit. Vt quemadmodum ignis ad aërem, ita aër ad aquam: & vt aër ad aquam, sic aqua ad terram congruè conferatur.

Neque hic mihi obtrudi meritò debebit, dum elemẽta multiplicem quod à nudis prædicamẽtorum decoctoribus vulgo obiici solet entia nempe absque necessitate multiplicari non debere: Quibus respondeo vnavoce, non hic entia, sed entium imagines, cortices & siliquas tantum multiplicari: corporea enim incorporeorum sunt imagines & scaturigines multæ ex vno fonte promanantes, non secus ac speculariæ imagines ab vna vera essentia dimanantes.

Itaque cum ista quinque sint, profectò mirandum non est, corporeorum illorum quinque elementorum singulorum simulachra & imagines naturam esse molitam: non integra tamen, neque sincera, sed quodque cuiusque potestatis maximè particeps. Nam sicut cubus habet sex plana, duodecim latera & octo angulos: ita cum aqua seu Octahedro conuertitur, constans octo planis, tot quot terra angulis; & sex angulis, tot quot terra planis & lateribus vtrisque, eodem manente numero: sic aër tot numero habet angulos, nempe duodecim quot terra, & aqua: latera nempe duodecim; Similiter ignis tot habet latera, nempe sex, quot cubus plana,

& Octahedron angulos. Sic Tetrahedron plana quatuor & angulos quatuor habet, quot possunt ter in vtrisque, nempe duodecim lateribus comprehendi. Denique Dodecahedron siue quinta essentia, quæ alias omnes naturas continet, videtur cum Icosahedro conuerti: habet enim duodecim plana, duodecim Icosahedri angulis æqualia, & viginti angulos vnius, pares viginti planis alterius: ambæ tamen pari laterum numero 30. conuenientes. Quæ omnia penitius intuenti conspicua erunt.

Sed ad Dodecahedri seu quintę essentiæ naturam, quæ aliorum naturas in se continet, apertius intelligendam valebunt quæ de angulo ex Pythagoreis & Platonicis, locis variis scribit Proclus, *commentario in Euclidem*; angulum notam esse & imaginem coarctationis & ordinis, qui diuinis inest, quo diuisa in vnum partibilia in impartibilem naturam multaque copulantem vnitatem colliguntur: ideoque ab oraculis angulares figurarum coniunctiones nodos nuncupari, quia imagines sunt vnionum coarctantium diuinarumque coniunctionum, per quas ea quæ natura discreta sunt, sibi inuicem cohærent. Deinde adiicit eos angulos, qui in superficiebus spectantur, ipsarum rerum vniones exprimere magis immateriales, simpliciores & perfectiores: Eos vero qui sunt in solidis iam ad inferiora progredi, magisque

disjunctis rebus communitatem & omnino partibilibus eiusdem vnionem tribuere per multos essendi modos, rebus gignendis communicabilem. Sic superiora colligunt in se vnita, quæ in inferioribus sunt dispersa: nam in quintæ essentiæ angulo plano, ex pentagoni superficie ducto, rationes quintæ essentiæ immateriales, simpliciores & perfectiores spectantur, vt sunt Sal, Sulphur & Mercurius. Eædem vero incorporeæ & in angulo vnitæ, quæ in Dodecahedri sunt solidis angulis materiales, partibiles & ad inferiora progredientes naturas denotant, vt sunt Sal, Sulphur & Mercurius, tum quatuor elementa vulgaria in inferiora dispersa & ad compositionem festinantia.

Sed vt iam me colligam, & in amplissimo hoc immensoq; salo vela contraham, & rationem tandē reddam externarum formarum in rebus supradictis obseruatarum: dicam formas istas irregulares, quas in crystallo, vitro, sale gemmæ, vitriolo Veneris, sale vulgari, absinthij, cornu cerui, apum alueolis, niue sexangulari & infinitis aliis (vt alicubi penes obseruationes accidere deprehendimus,) non aliunde ducere originem, quam ab anima, quæ priùs in se rationes omnes incorporeas rerum & figurarum corporearum, modo incorporeo, possidet. Quæ quando suas promit è diuite penu rationes, tunc patefacit suas scientias atque virtutes: ita vt

quale eſt elementum elementans, tale & elementatum: qualis anima Cryſtalli, Adamantis, Smaragdi, Salium, tale etiam in corpore fabricat ſibi domicilium. Neque aliunde ducere originem, quam formas & figuras Mathematicas, quas ex anima originem ducere prius demōſtrauimus. Nunc autem ſicut ſimplicium corporum definitus & exiguus eſt tātum numerus, cæterorum vero corporum innumerabiles & infinitæ ſunt ſpecies: ita decuit in mundo phyſico duo eſſe corporum genera, elementis & elementatis ſeu compoſitis euidenti diſcrimine inter ſe diſtincta, quorum vnum finito ſimile, & illud erunt elementa ſimplicia; alterum erunt compoſita & vaga, & infinito ſimile. Et quemadmodum compoſitorum corporum quædam magis, alia minus accedunt ad aliquam determinatorum corporum ſpeciem, & ſi quæ determinatio in infinitis cogitari poſſit, ea reduci poteſt ad duas rhombicas & tredecim ſpecies ab Archimede repræſentatas: ad quarum aliquam nulla ex præmiſſis eſt cōpoſitarum forma, quę non facile coaptari poſſit ad illarum aliquā. Cryſtallus enim mutuatur baſim ſexangularem ex medio quartæ Archimedeæ: ſicut & ſmaragdus: latera vero pyramidalia, priſmatis modo exſurgentia, ex Archimedeæ triangulo ſecundæ figuræ. Sal gemmæ quum maximè ad puritatem corporis ſimplicis accedat, ab

ipſo

ipso Hexahedro formam mutuatur. Vitriolum Veneris à facie sexangulari secundæ, quartæ & quintæ Archimedeæ. Sal vulgare è Cubo & Tetrahedro. Sal absinthii ex sex faciebus Cubi & lateribus triangularibus Tetrahedri. Cornu cerui ex meditullio quartæ Archimedeæ. Apum alueoli. Sicut & nix sexangularis. Quæ Physicam habet formam à nitro in niue ea forma prædito sic Crystalla, Smaragdus, & Amethystus, quorum ego habeo apud me immensum cumulum singuli sex faciebus pyramidalibus ornati. Octangularis vero, sicut dicitur etiam de quibusdam crystallis, ex meditullio Octangularis primæ. Hinc videre est, quam bene his quadret illud Sapientię 11. *Omnia in mensura, & Numero, & pondere disposuisti.* Quod Boëtius cecinit, *lib. de consolatione Philosophiæ*, Pythagoreorum imitatione.

Tu numeris elementa ligas, vt frigora flammis:
Arida conueniant liquidis, ne purior ignis
Euolet, aut mersas deducant pondere terras.

Et hæc sunt, studiose lector, quæ volui in tuam gratiam ex obscuro rerum naturalium seuite in apertum producere: vt scias me nihil mihi beatius proponere, quam scire, vt cum Scaligero loquar, *nihil diuinius quam docere, nihil propius veræ fælicitati, quam discere: omnisque non solum cessatio ingenuo viro ignauia est; sed etiam quærendi defatigatio existimari debet turpissima, vbi id, quod quæritur, est pulcherrimũ.*

DE AQVIS fortibus.

CAPVT XXXI.

PAulatim à vegetabilibus ad animalia progreſſu facto, æquum erit de mineralibus agere. Vbi primò occurrit modus eliciendi menſtrua ad diſſolutionem mineralium, ſiue illa ſint ex vegetabilium, animalium, aut mineralium familia deducta. In ordine vegetabilium tractauimus de ſpiritu aceti, de ſuccolimonum acido, Ebeni, Guaiaci, Berberis, &c. Animalium vero, vbi de ſpiritu mellis: nunc autem de præcipuo metallorum diſſoluente, nempe aqua forti, & regali tractabimus.

Primò occurrit in hac operatione calcinatio vitrioli.

℞. vitrioli communis quantum vis. Pone in terrea olla non vitrata, igni impoſita. Illico fundetur vitriolum, & euaporabitur hac ratione maxima pars phlegmatis. Denique vitriolum ſubſidebit ſiccum, & album in conſiſtentia lapidis, quod dicimus vitrio-

lum calcinatum in album. Si vis adhuc vrgere calcinationem, ex albo euadit rubrum, quod dicitur colcothar, & ita ad aquam fortem præparatur. Aqua autem fortis hoc modo componitur.

℞. Vitrioli calcinati in album ℔ ij. salis nitri desiccati ℔ j. alum. ℥. v. Puluerisa simul, & pone in retorta vitrea, & elicies inde aquam fortem eodem processu, quo vsi sumus in tartaro. Tota operatio perficitur spatio 24. horarum. Refrigeratis denique vasis aufer aquam tuam fortem, & accipe seorsim ℥. iiij. eiusdem, in quibus dissolue ℈. j. lunæ, dissolutæ cum menstruo suo. Priori aquæ affunde, & omnia euadent simul alba, confusa, & turbida. Manean per quintam vel sextam partem horæ in loco quieto, & inuenies aquam tuam claram, quam auferre debes per leuem inclinationem, ne fæces aquæ fortis, quæ in fundum subsiderunt, exeant, & sic seruabis ad vsum. Si ex ipsa velis conficere aquam regalem; ℞. Aquæ fortis purificatæ ℥. iiij. salis Ammoniaci puluer. ℥. j. Pone in retorta, & destilla per cineres; aut si vis, potius dissolue cum leui efferuescentia, & habebis aquam regalem.

Obseruandum interea, vsum harum aquarum esse in dissoluendis metallis sexu distinctis: aqua enim regalis est mas, aqua vero fortis est fœmina, quæ secundum naturam metallorum agunt: quædam enim metallam

sunt masculea, quædam fœminea, alia androgyna. Masculea sunt Sol, seu Aurum, similiter ex Marcasitis & semi metallis Antimonium; nec dissoluuntur nisi per aquas regales. Fœminea vero Luna, hoc est argentum, & Bismutum, quæ non dissoluuntur, nisi per aquam fortem, & non per aquam regalem: reliqua vero metalla quo magis Solem & Lunam participant eo facilius ab eiusdem naturæ aqua dissoluuntur. Mercurius vero est vtriusque naturæ particeps; dissoluitur enim & per aquam fortem, & per regalem.

De Corrosiua aquarum fortium facultate; cur electione agant; quare exedunt, & dissoluunt duriora, vt lapides & metalla, relictis mollioribus vt ceras; quare aliæ Argentum aut Cuprum facile dissoluentes, quæ licet millies acriores sint, aurum tamen intactum relinquere solent: immo etsi in aureo scuto tria, vel quatuor argenti grana per minima immista sint, intacto auro dissoluere solet argentum, quod apparet in aureo, quasi à tineis exeso. Similiter quæ aurum dissoluunt, quantumuis ad libitum acriores, tamen argento nullam vim inferre solent. Cur sint alia, quæ vtrique facilè obtemperant, vt Mercurius, & carnes Animalium. Vnde eiusmodi sympathiæ, & antipathiæ? An ab vllis elementorum qualitatibus proueniant, & quam cum spiritibus aut calido Animalium analogiam habeant, hoc in loco disserendum erit.

DE SPIRITV, OLEO, & sale vitrioli.

CAPVT XXXII.

Vitriolum nihil aliud eſt, niſi ſpiritus metallicus coagulatus à ſale, & ſeparatus à craſſiore ſulphure & terreſtreitate metalli. Vitriolum aliud eſt factitiũ, aliud naturale. Hoc inuenitur in mineris, aut in aquis, quæ per metallorum fodinas percurrere ſolent. Artificiale vero elicitur ex metallis, &, vt obiter dicam, vitriolum ab omnibus metallis eruitur, vel per calcinationem metallorum cum ſale nitro, & ſulphure, redigendo metallum in tenues laminas, & procedendo, vt dictum eſt de ſtratificatione. Metallum hoc modo calcinatum proiicitur in acetum deſtillatum forte, quod decoquitur vſque ad pelliculam, filtratione exacta præmiſſa, & ponitur filtratum in loco frigido, vbi congregantur cryſtalli, quæ dicuntur vitriolum talis metalli, ex quo fuit facta calcinatio. Ex Luna ſcilicet elicitur vitriolum Lunæ.

Eruitur etiam vitriolum ex metallis calcinatione potentiali, vt fit cum aquis fortibus, ſpiritu ſalis, aceto radicali: corroditur enim metallum per acetum radicale corroſiuum, euaporatur, & decoquitur ad pelliculam, ponitur in loco frigido, vbi concreſcunt cryſtalli, vt ſupra. Sed vt ad propoſitum redeamus, pro eliciendo ſpiritu, oleo, & ſale ex vitriolis.

℞. Vitrioli calcinati inter album, & rubrum libras tres, vel quatuor. Pone in retorta vitrea, & procede, vt in aqua forti, nulla habita alia ratione, niſi quod, ſi ſcire velis, quo tempore emanauerit oleum, hoc videbis per parietes recipientis, inſtar macularum nigrarum: & tunc medietas operationis eſt peracta. Vbi vero nebulæ craſſæ & albæ diſparuerint, tunc tota operatio eſt peracta. Spiritus vitrioli communis, ſiue cuperoſæ, elicitur ſpatio quadraginta octo horarum, qui quamuis ex radicibus diuerſorum mineralium proueniat, nihilominus videtur ſemper obtinere naturam Martis, & verè dici poteſt Vitriolum ferri, habetque colorem viridem. Vitriolum vero Veneris eſt magis tinctum, & vt plurimum cæruleum habet colorem. Ex eius ſpiritu olea non eliciuntur minori ſpatio quam quatuor dierum, propter maximam illorum fixitatem. Spiritus & olea Lunæ non eliciuntur niſi ſpatio dierum quinque, propter eandem rationem.

Spiritus & oleum simul ingressa in recipiens debent filtrari per chartam emporeticam, clepsydræ vitreæ adaptatam; denique è retorta nitida super cineres euocari debet, primo phlegma, igne lento, non lutato recipiente: illud enim quod primò egreditur, est insipidum, & dicitur phlegma, quod auferre debes: & cum apparuerit minima gutta sensibilis aciditatis, transferre debes retortam in locum calidiorem lutatis iuncturis, & elicies spiritus. In quo processu recipiens agglutinari debet retortæ, admota charta bibula cum albumine ouorum, & farina. Perge in eliciendo spiritu, quousque guttæ olei inceperint comburere chartam: tunc enim operatio est peracta; illud enim quod primò elicuisti, fuit phlegma, deinde spiritus. Illud autem, quod in retorta remansit, dicitur oleum, quod seruari debet ad vsum. Aliqui rectificare solent spiritum & olea supra colcothar. Sed hoc processu nihil elicitur nisi phlegma, propter rationes supra dictas.

Notandum hoc oleum non esse verum oleum, sed spiritum magis fixum: supra enim dictum est, vitriolum non esse nisi spiritum coagulatum à sale, & separatum à suo sulphure, proinde non esse inflammabilem. Ex capite mortuo elicitur per lixiuium sal vomitiuum, quod etiam educitur ex vitriolo albo per dissolutionem, filtrationem, & euapo-

rationem ad pelliculam, priori sale multo nobilius, & tutius.

Quid sit vitriolum; quo pacto ex omnibus metallis elicitur diuersissima eius natura iuxta metalli proprij naturam; distinctionem terrae suae metallicae vt matricis, à spiritu & spermate suo metallico, terram istam esse feracem in mineralibus: semine in specifico, & menstruo saepius deuastato, habere tamen in se virtutem magneticam attrahendi de nouo ex aëre specificam suam, & idealem naturam; an aliquid in Animalibus & Plantis huic sit analogum, paucis discutitur.

DE GILLA VITRIOLI, seu vitriolo vomitiuo Paracelsi.

CAPVT XXXIII.

HOc remedium nomen habet à Paracelso, & dicitur Gilla seu Grilla Theophrasti. ℞. Vitrioli Romani ℥. iij. vel iiij. dissolue in aqua pluuiali, filtra, & euapora vsque ad pelliculam. Tunc sume salis tartari dissoluti, aut cinerum clauellatorum, & af-

funde dissoluto, & illico præcipitabitur terra quædam glutinosa, quæ nihil aliud est, nisi ipsa metalli materia dissoluta. Quod restat, debet filtrari, & euaporari vsque ad pelliculam, quod in loco frigido congregat crystallos, quæ dicuntur Gilla. Hic processus in eliciendo sale omnibus aliis præferendus est, vt tutior, & efficacior in Medicina.

Spiritus vitrioli vires sunt variæ: in omnibus enim affectibus corporis multum præualent. In iis consistit vera epilepsiæ cura. Paracelsus exhibet spiritum vitrioli camphoratum, nempe pro ℥. j. spiritus vitrioli addit ℈. ß. camphoræ, & exhibet in aquis pæoniæ ante & post paroxysmum à guttis tribus vel quatuor cum liquore appropriato. Alioqui mensurari debet dosis ad sensibilem aciditatem.

In paralysi, & omnibus neruorum affectibus est optimum remedium.

Aufert obstructiones hepatis, lienis & mesenterii.

Confortat stomachum, & excitat appetitum.

Curat cachexiam, & hydropem.

Aliqui eo vtuntur in febribus ardentibus feliciter.

Exhibetur in suffocationibus.

Pellit colicam, nephritin.

Dissoluit calculum. Denique multis aliis affectibus conducit, quorum experientia

quotidiana fidem facit.

Oleum non exhibetur intus; exterius autem exhibetur pro caustico; alias inseruit pro dissolutione metallorum.

Gilla vero exhibetur in morbis, vbi opus est emetico, & vbi antimonium est suspectum, in febribus intermittentibus. Exhibetur ante paroxysmum. Enecat vermes puerorum, & est tutissimum vomitiuum. Nunquam exhibetur nisi in iusculis appropriatis. Dosis est à granis quinque ad ℈. ß. aut ad ℈. j.

In quo consistat vitrioli virtus vomitiua: cur eligere conspiciatur, vt plurimum, formam cubicam: de vitrioli diuersissimis speciebus, an ex plantis, & animalibus elici possit vitrioli albi putatitij, quod in officinis in magna quantitate conspicitur: damnandam esse electionem breuiter ostendam.

DE SPIRITV ET oleo ſalis.

CAPVT XXXIV.

DEcrepitatio ſalis dicitur eius calcinatio. Decrepitatur autem, ponendo ſalis communis libras tres, vel quatuor, in olla terrea, tegendo ipſam tegula, aut lapide aliquo lato, & incendendo circa ipſam ignem carbonum, & illico incipit ſal ſtrepere. Cum ceſſauerit à ſtrepitu, aufer ab igne, & pulueriſa, & pro libra vna ſalis, ſume libras duas boli Armeni vulgaris, ſimiliter pulueriſati. Pone omnia optime mixta in retorta, quam adaptabis capſulæ furni reuerberij. Primò egreditur phlegma, deinde ſpiritus ſubtiliſſimi.

Denique tota operatio perficitur ſpatio duorum dierum. Tandem ſpiritus, & phlegma filtrari debent, & reponi in retorta, & deſtillari rectificando ſupra cineres. Aufer phlegma à ſpiritu quod eſt parui pretii. Spiritus autem rectificentur pro vſu. Illud autem, quod eſt magis fixum, remanens in re-

torta vitrea, dicitur salis oleum. Eius vsus est potius in metallis dissoluendis, quam in morbis. Virtutes spirituum in Medicina multæ sunt, neque exhibentur per se, sed in liquoribus morbo conuenientibus, nempe in iusculis, iulapiis, aut aliis decoctis.

In hydrope hoc remedium ante omnia laudatur, & præcipuè in ascite.

Extinguit enim sitim.

Pellit obstructiones.

Prouocat appetitum, vrinam, & sudores.

Calculo renum valde conuenit.

Similiter exhibetur cum specificis in paralysi, & epilepsia.

In morbis venereis applicatur extra.

In doloribus podagricis frigidis cum terebinthina, aut oleo ceræ resoluit nodos podagricos.

Prouocat menstrua, & sanat suffocationem.

Dosis est ratione menstrui & aciditatis sensibilis, si spiritus fuerit bene dephlegmatus, minori dosi exhibetur alioquin augeatur.

Sal noster esculentus cur in coagulatione eligat formam cubicam, pyramidalem potius, quam alteram: in emanatione spirituum eius quare appareat tanta viriditas, immo & in ipsa aqua: quam habeat cum animalibus, & plantis analogiam, sed præcipuè cum auro, quod in ipso non secus, ac cera in oleo feruido soluitur, & liquescit, hac in parte dilucidè explicabo.

CALCINATIO Metallorum actualis.

CAPVT XXXV.

CAlcinatio Saturni dicitur reductio eiuſdem in minimas partes. Perficitur autem modo ſequenti.

℞. Saturni libram vnam, pone in crucibulo inter carbones ardentes. Interea funditur Saturnus, qui fuſus agitari debet bacillo ferreo ad quatuor, vel quinque horas, circà adreo ad quatuor, vel quinque horas, circà ad-moto igne fortiſſimo. Tunc ſpatio horæ ſemis incipit Saturnus cadere in puluerem griſeum. Continuando ſemper agitationem, puluis vertitur tandem in viridem, dein in flauum, poſtmodum in rubrum. Et hoc modo calcinatus minium dicitur. Iupiter eodem modo calcinatur. Mars vt ſupra de croco. Sol vero calcinatur, redactus in tenues laminas cum antimonio, & ſale nitro, vel reducitur in amalgama. Venus calcinatur cum ſulphure per ſtratificationem. Mercurius calcinatur à Saturno, ſicut Saturnum Mercurius ipſe calcinat. Eius proceſſus talis eſt.

℞. Mercurii *q. ſ.* Pone in crucibulo inter carbones ardentes, & ſuperpone Saturnum, filo ferreo ſuſpenſum. Auge ignem, quouſque Mercurius inceperit euolare cum fumo, & ea proportione qua euolat Mercurius, Saturnus cadit in fundum crucibuli, in puluerem leuem. Similiter ſi vis calcinare Mercurium per Saturnum, debes ponere ſal in fundo crucibuli, admoto igne vt ſupra, & Mercurius ſuſpenſus & incluſus linteo aliquo, vt fumus Saturni aſcendens ad Mercurium, ipſum reddat malleabilem.

De origine & natura metallorum: an differant ſpecie, vt aliqui volunt: an vnum in aliud facilè tranſmutari poßit: an viuant, creſcant, an ſemen habeant: an corpori humano inimica cenſeantur: quo pacto potabilia fieri poßint, hoc capite aperiemus.

CALCINATIO Metallorum potentialis.

CAPVT XXXVI.

℞ SAturni ℥. j. pone in matratio colli longi, & affunde aquam regalem, ad ij. vel iij ℥ Notandum, quod metallum debeat antea redigi in tenues laminas. Sic aqua regalis dissoluit aurum, & ipsum inuisibile reddit, dissolutum per aquam, & sustentatum in mille partes inuisibiles. Tunc sume salem tartari dissolutum, vel potius per deliquium, & affunde aquæ regali, & post paruam ebullitionem plumbum cadit in fundum vasis colore albo, quod ablui debet copiosa aqua. Eodem modo calcinatur Iupiter, nisi quod loco aquæ regalis sumimus aquam fortem. Similiter & Mars. Sol per aquam regalem, Venus per aquam fortem, Mercurius tam per aquam fortem, quàm per regalem, Luna per aquam fortem.

In quo differant actualis & potentialis ignis: vnde motus, & agitatio tanta spirituum aquæ fortis in corrosione metallorum, vt propter ingentem

calorem difficile sit manum vasi continenti absque noxa admouere: vnde tot aëreæ bullæ & quasi scintillatio in suprema vasis regione conspiciantur: facta semel corrosione, cur deinceps corrodere desinat: quid sit illud ingrati, & fœtidi odoris, fumi nigerrimi speciem habens, quod ab aquis fortibus emanat, in hac operatione ostendam.

DE MERCVRIO *præcipitato albo & rubro.*

CAPVT XXXVII.

℞. Mercurii ℥.j. vel ij. Repurgetur sale, & aceto, transcoletur per linteum duplicatum aut per corium. Pone in matratio colli longi, adde aquæ fortis ℥. iij. Pone in loco calido ad digerendum per horam vnam, & dissoluetur omnino Mercurius per aquam fortem. Quem cum aqua forti aufer per inclinationem, & pone in vase amplo, & lati orificij. Tunc guttatim affunde super aquam tuam fortem Mercurio onustam, olei tartari, aut salis dissoluti, aut cinerum clauellatorum ℥. ij. plus minus. Post paruam efferuescentiam quæ excitatur à motu salis

tartari

& aquæ fortis, videbis omnia confundi, & transmutari in lactis albedinem. Tunc affunde aquæ fontanæ limpidissimæ libras duas, vel tres; & illico videbis Mercurium subsidere in consistentiam spissam, & albam, & impalpabilem, super quam multæ ablutiones debent reiterari, quas postea auferre debes per leuem inclinationem.

Eius vsus familiaris est in morbis venereis. Similiter multi eo vtuntur ad enecandos vermes. Confert etiam fluxui muliebri. Similiter ad vlcera venerea applicatur post corrodentia, ad generandam nouam carnem.

Dosis eius, vbi intus exhibetur, est à granis decem ad ℈. j. Purgat infra, imo & supra, cum non exactè lotus est. Reiteratur ter vel quater consequentibus diebus. Prouocat saliuationem quocunque modo exhibeatur, modo in nimia dosi reiteretur. Interius non est conueniens remedium. Quod enim per aquam fortem præparatur, à spiritibus aquæ fortis nunquam omnino liberatur. Securior est vsus Mercurii dulcificati & bene præparati. Eodem pacto procedendum cum Bismuto seu Antimonio albo. Sed eo non vtimur, nisi in cutis dealbatione. Mercurius autem ruber fit ex Mercurio dissoluto in aqua forti, super quem aqua fortis in vase euaporata fuerit per carbones ardentes ad tres vel quatuor vices, quousque obtinuerit perfectam rubedinem. Nunquam exhibetur

intus, ſed applicatur vlceribus venereis & cauernoſis.

In quo differat Mercurius vulgi à Mercurio Philoſophorum non madefaciente manus; ſitne frigidus an calidus; qua facultate ſaliuationem prouocet · ſitne metallorum prima materia: poſſitne Mercurius ipſe currens ex omnibus metallis educi, imo ex ipſis animalibus, & plantis, vt multi putant, hoc loco explanabo.

DE PRÆCIPITATO *Solis ſeu auro fulminante.*

CAPVT XXXVIII.

℞ ʒ.j. SOlis. Diſſolue in aquæ regiæ ℥. j. Diſſolutum digere per noctem, & affunde ſalis tartari diſſoluti guttatim, vel olei per deliquium, quod aptius eſt, *q. ſ.* & præcipitabitur Sol in fundum vaſis colore flauo, quem deſiccabis in loco calido, vel potius tepido: nam admotus igni ſtrepitu euaneſcit in auras. Vſus eius internus non mihi videtur neceſſarius. Quatuor vel quinque grana eiuſdem in cochleari argenteo; admota candelæ, ſtrepitum edunt inſtar bombardæ. Et ob hanc rationem dicitur aurum fulminans. Similiter præparatur aurum

amalgamatum, procedendo vt supra de auro fulminante: sed hoc præcipitatum non edit strepitum, vt supra. Exhibetur in morbis venereis; sed Mercurius per se præcipitatus præstat. Mercurius cum auro, hoc vltimo modo præcipitatus, dicitur aurum vitæ. Virtutes sunt eædem ac præcipitati albi & auri fulminantis.

Ad huius exemplum variæ apud authores inueniuntur præparationes auri, variis & nimium speciosis nominibus vt plurimum insignitæ: inter quas sunt aurum supernatans, aurum potabile & similia vsui medico destinata.

PRÆCIPITATVM tincturæ Sulphuris, quod dicitur lac seu butyrum Sulphuris.

CAPVT XXXIX.

℞ Sulphuris flaui subtiliter puluerisati, aut florum eiusdem ℥. j. salis tartari purificati aut cinerum clauellatorum ℥. iij. Pone in vase amplo, & affunde aquam fontanam

ad libras sex. Bulliant per horas tres, plus minus, agitando omnia simul baculo ligneo, donec conuertantur omnia in colorem nigroviridem. Tunc filtra calidè super panum album coopertum papyro griseo, & poroso. Illud quod filtratum est præcipitatur per affusionem vini albi in colorem primò viridem, mox album. Maneat placidè per noctem integram, & die sequenti videbis in fundo vasis coagulum instar cremoris, quod dicitur lac, seu butyrum Sulphuris. Hoc sæpè lauari debet aqua fontana copiosè affusa, tandem desiccari lento calore & conseruari in vsum.

Intus exhibetur in tabe aut vlceribus pulmonum. Optimum enim est desiccatiuum & agglutinans vlcerum pulmonis. Exhibetur in tabellas, quales præscripsi in magisteriis perlarum. Sed pro ℥. j. sacchari candi puluerisati, & tamisati, non debet adiici nisi ℈. j. butyri huius. Sumitur etiam ex vitello oui.

Quot sint Sulphuris species, quo pacto ex pyrite educantur, quæ sit eius aciditatis sulphureæ natura, cur in pinguibus liquefactum, extra calorem, acquirat crystallisationem vt omnia vitriolata. Quare à manu compressum & auri admotum reddit tam insignem strepitum, cur accensum reddit flammam cæruleam, cur absque flamma accenditur, cur denique prunas extinguit.

TRACTATVS DE ſalibus.

CAPVT XL.

SAl illud eſt quod reperitur eſſe maximè intrinſecum rei, continens in ſe ſaporem, præbens conſiſtentiam & grauitatem mixtis. Sed quia eius nomen eſt valde æquiuocum, operæpretium eſt aliquot eius diſtinctiones proponere: inter quas occurrit, ſalis fixi à volatili, elementaris ab eſſentiali, naturalis ab arte facto.

Salium fixorum quædam natura, quædam arte fiunt. Dicuntur natura fixa, quorum corpus eſt valde compactum, ſpernens omne ignis imperium, ſicut videmus in adamante & auro: in quibus ſal eorum eſt valde fixum, vt accidit in omnibus ſalibus elementaribus.

Arte vero fixa redduntur cognatione ſpirituum, cum ſal elementare in maiori quantitate ſuperfuſis ſpiritibus ſupponitur: fixantur enim ita ſalia, cum ipſa agant ſuper ſpiritus in maiori quantitate, retinendo eorum

partem ſalitam,& conuertendo ſpiritus in ſui naturam: qui quamuis per ſe ſint volatiles, tamen habita ratione ſalis, retinentur in ipſiſſima eius natura, vt videbimus in exemplo ſequenti.

℞. Salis tartari depurati ℥.iij. Cui affunde aceti deſtillati acerrimi ℥.j. Pone in digeſtorio vaſe ſigillato hermeticè, ad menſes duos vel tres in loco calido: quo exacto tempore inuenies materiam tuam fixam, reſiſtentem omnibus ignis viribus. E contra ſi vis volatiliſare,

℞. Salis tartari ℥. j. aceti deſtillati ℥.iij. Procede, vt ſupra dictum de fixatione, & omnia fient volatilia. Ex quo oritur certa poſitio, quod omnis ſpiritus, ſiue volatile quid adiunctum fixo quod eſt in minori doſi, volatiliſat corpus illud fixum cui adiungitur.

Salia vero volatilia dicuntur illa quæ ambigunt inter naturam ſalium, & ſpirituum, ſicut ſpiritus, inter naturam ſalis & ſulphuris. Denique nihil aliud ſunt, niſi ſpiritus coagulati à ſalibus (exhauſta humiditate) & præmiſſa fermentatione. Nam, vt aſſerit doctiſſimus Coſmopolita, omne illud quod congelatur in frigido, habet naturam ſalis.

Notandum quod inter omnia mixta, Animalia maximam quantitatem habent huius ſalis volatilis, propter conſtantem circulationem ſpirituum; & in nobiliori animali hæc facultas euidentior eſt, ſicut dictum fuit de

cranio humano. Et si quis dixerit, Salem volatilem non differre à spiritibus, contrarium videmus, cum hactenus transierint per retortam, neque oleum cum iam effluxerit, neque salem fixum cum adhuc in capite mortuo lateat. Denique in mixti fermentatione deprehendimus esse copiosum spiritum cum fixissimo sale: sed fermentatione volatilisato.

Salia dicuntur elementaria, quæ non ex vlla alia principiorum natura dependere videntur, sed per artem ex mixtis educuntur, vel à natura depurata, absque arte inueniuntur; vt in ipsis nihil videatur nisi purum sal, quod dicitur principium elementare. Hoc quum ex nulla alia substantia componatur, dicitur rectè principium elementare.

Salia essentialia sunt quasi magisteria rerum, aut tria principia exaltata, & ab impuritatibus separata. Talia eliciuntur ex plantis, aut ex earum succis depuratis, filtratis, coagulatis, & crystallisatis. Et recte essentialia dicuntur, quoniam omnes mixti dotes & essentiam in se continent. Quæris spiritum? Ipsum aciditate copiosa inuenies. Si oleum inflammabile. Et hoc deprehendes, si salem gustu & salsugine percipias. Et si his forsan non acquiescas, pelle omnia per retortam, & inuenies spiritum & oleum, in retorta autem copiosum salem.

Salia naturalia sunt, quę sponte nascuntur

in visceribus terræ, suntque species salium volatilium, & continent in se copiosum spiritum: & talia sunt domesticum, vitriolum, alumen, sal gemmę, ammoniacum, & quæ in fodinis reperiuntur.

Sed quoniam loquimur hic de salibus, vtile erit aliquid dicere de præcipitatione. Vbi notandum, quando spiritus dissoluunt materiam aliquam, & affunditur spiritui, & materiæ, sal elementare dissolutum, tunc spiritus illico relinquunt materiam istam dissolutam, quæ præcipitatur in fundo, relicta à spiritu, vt sese iungat sali. Eodem pacto sal elementare cum dissoluit aliquod mixtum per affusionem spirituum, sal relinquit materiam dissolutam, vt sese iungat spiritibus, ex quorum actione oritur axioma, quod *quicquid dissoluitur à spiritibus, præcipitatur per salia*, & contra, *quicquid soluitur à salibus, præcipitatur per spiritus*, vt videre est exemplo vtriusque. Aqua fortis dissoluit Bismuthum, oleum tartari seu sal per deliquium præcipitat ipsum, itidem sal tartari dissoluit sulphur in operatione lactis sulphuris; Acetum destillatum, seu vinum album, præcipitat ipsum.

Salia essentialia variè eliciuntur, ex mixtis aliquando per expressionem succorum depuratorum, filtratorum, vt dictum fuit supra; aliquando per decoctionem, sicut ex herbis siccis, & vt fit exemplo sequentis capitis.

Quum omnes artis dispensationes simili prope-

modum ac naturæ filo, tum ad eius exemplum vt plurimum perficiantur, quumque naturalium rerum œconomiæ in generationibus, vegetationibus, transplantationibus, corruptionibus, non nisi ad artis modum à nobis intelligi aut concipi possint: quis deinceps dubitabit, necessitatem artis Chymicæ, quæ fixationem, & volatilisationem rerum per destillationes docet, non esse tantam, vt sine ea nullus vmquam ad veram Physicæ, aut Medicinæ cognitionem peruenire possit, quantumcunque pro absolutissimo & peritissimo Medico sese venditet?

DE SALE ESSENTIALI Tartari seu crystallis eiusdem.

CAPVT XLI.

℞. Tartari communis aut Monspeliens. libras tres vel quatuor. Puluerisa subtiliter & tamisa, pone in vase terreo, & affunde libras octo aquæ fontanæ, quæ bulliant quousque concreuerit pellicula, quæ vulgo dicitur *cremor tartari*. Tunc aufer ab igne, & illico filtra per manicam, colloca in loco fri-

gido, & congregabuntur cryſtalli circa parietes vaſis. Poſt horas ſex auferre poteris aquam ſupernatantem per leuem inclinationem. Et ſi fuerit pura & nitida, poteris reaffundere ſuper primam materiam, quæ eſt in vaſe terreo, quod iterum bulliet vſque ad pelliculam. Et ſi non ſatis habueris aquæ, adde aquæ fontanæ quantum ſatis, coque ad pelliculam, filtra, & pone in loco frigido vt prius: & inuenies in fundo, & circa parietes vaſis, cryſtallos, quæ blando calore deſiccari debent, & ſeruari in vſum. Continuetur eadem operatio, quouſque tartarus crebris ablutionibus, & ebullitionibus penitus fuerit conſumptus. Cryſtallos vero collectas pone in noua aqua, coque vſque ad pelliculam, filtra, filtratum ſine cryſtalliſari in aliquo loco frigido per diem vnum. Sic habebis cryſtallos claras & pellucidas. Reiterari debet hæc eadem operatio tribus aut quatuor vicibus.

Obſeruandum in hac operatione, ne ebullitio fiat nimis fortis: tunc enim pereunt ſpiritus, & per conſequens virtus cathartica.

Hoc remedium eſt familiare omnibus penè naturæ humanæ affectibus, tam bilioſis, quam pituitoſis. Suſpectum tamen illis, qui bile acri aut amara abundant, qui dicuntur *picrocholi*; ſicut & acida omnia. Purgat à ʒ. j. ad ʒ. ij. Diſſoluitur ſemper in iuſculo per le-

uem ebullitionem. Nec video qua alia ratione exhiberi possint, quoniam non dissoluuntur in frigido. Exhibiti vero citra perfectam dissolutionem non edunt effectus expetitos. Optime miscentur aliis purgantibus, quæ exhiberi possunt in iusculis cum leui efferuescentia. Præ cæteris bene operantur cum senna.

℞. puluer. sennæ ℥. ß. crystallorum tartari ℥. j. dissolue crystalla in iusculo per leuem efferuescentiam, & illico adiice sennam. Exhibentur post alia cathartica in iusculo dissoluta, præcipuè cum illis, quorum operatio est tarda. Optimum est spleniticum, & mesentericum præsidium, vtpote quod purget crassos humores; tum etiam resoluendo humores tartareos. In febre quartana est optimum remedium præmisso semper vsu tartari vitriolati. In cachexia præcipuè & leucophlegmatia est laudabile remedium, vt & in obstructionibus renum. Denique valde vtile est in profligandis omnibus morbis tartareis.

Quid sit tartarus tam in vegetabilibus, animalibus, quam mineralibus, naturam, originem, tum distinctionem morborum tartareorum ex tractatulo meo de morbis tartareis cognoscetis.

DE CRYSTALLO minerali, seu Anodyno, vulgo sale prunellæ.

CAPVT XLII.

℞. SAlis nitri purificati libras decem. Dissolue in vase terreo non poroso, cum satis magna quantitate aquæ dulcis, claræ & limpidæ. Bulliant ad pelliculam, despumando vbi opus erit, filtra, & pone in loco frigido, & congregabuntur crystalli post duodecim horas. Aufer aquam non crystallisatam per leuem inclinationem, quæ iterum bulliat vsque ad pelliculam. Filtra, & repone in loco frigido, vt prius; & post duodecim horas inuenies crystalla, sed non tam crassa & crystallisata, vt prius, sed sale stellato & cubico perfusa. Aquam autem remanentem post duodecim horas aufer per inclinationem, quæ bulliat vsque ad consumptionem. Est enim orbata suis spiritibus nitri, nullamque aliam naturam, quam salis vulgaris habet, proinde in crystallo minerali no-

xia: ſpiritus enim per ſe exhibentur vtiliter. Vbi tamen ſal eſt, periculoſum, niſi in quantum baſi egeant. Cryſtalla autem exſiccata reſeruari debent, & cum volueris ex iiſdem conficere cryſtallum mineralem, ſume cryſtalla probè deſiccata. Pro libra vna deſiccatorum, ſepone ℥ j. florum Sulphuris, & pone cryſtalla in diſculo Bellouaco amplo, non poroſo, inter carbones ardentes: & circumcirca conſtrue ignem fortem, quouſque incipiat rubeſcere: tunc videbis nitrum fundere, & emittere ſpumam nigram & ſordidam, quam auferre debes. Super cryſtalla autem fuſa, & nitida proiice per diuerſas vices flores Sulphuris, quouſque pro libra vna nitri conſumpta fuerit ℥. j. florum Sulphuris. Tunc aufer diſculum ab igne, ſed cautè; & quieſcat ad aliquod ſpatium; tunc tolle vaſculum, & proiice nitrum tuum fuſum & purificatum, in patinam cupream, & illico concreſcet nitrum, quod dicitur Cryſtallum minerale. Reiterari debet hic proceſſus vſque ad quinque vices, reiteratis ſemper purificationibus, decoctionibus, filtrationibus, cryſtalliſationibus, omnibus etiam fuſionibus, deſpumationibus, & proiectionibus. Sed vltima vice debet purificari nitrum, & diſſolui in aliqua aqua ſpecifica frigida. Nullum eſt remedium ita frequens in Medicina, neque affectibus calidis tam appropriatum, quam eſt nitrum, modò ſecundum leges præſcriptas

ſit præparatum. Alioqui nihil eſt niſi putum putum venenum. In febribus ardentibus eſt præſtantiſſimum remedium, quod abſque periculo exhibetur,& reiteratur. Eodem die ſæpius ſumitur ex ptiſana actu frigida, aut è iulapiis. Eius doſis eſt à ℈ j. ad ʒ ß. Sed prius pulueriſatur: hac ratione enim facilius diſſoluitur. Doſis liquoris eſt quatuor vel quinque vnciarum: exhibitum enim è pauco liquore prouocat vomitum. Prodeſt in inflammatione pulmonum,calidioris hepatis & renũ affectibus, in pleuritide cum aquis ſpecificis. In gonorrhœa virulenta exhibetur cum aquis aut decoctis menthæ, rutæ,florum dictamni,vbi morbus fuerit in initio;in fine vero cum aqua plantag. centinod. virgæ aureæ. Eſt prophylacticum calculi. In omnibus febribus intermittentibus feliciter exhibetur.

Nitri naturam nullus vnquam veterum Philoſophorum, aut Medicorum, nedum Chymicorum adhuc pro rei veritate deprehendit,adeo occulta, & impenetrabilis eſt eius naturæ cognitio his qui theoreticis tantum rerum naturalium lectionibus vitam inertem tranſigunt: illorum enim omnium ſuffragiis hactenus nitrum inflammabile, & igneum ſtatutum eſt. Nec adhuc repertus eſt, qui contrarium aſſerere auſus fuerit, licet experientia rerum naturalium magiſtra contrarium vbique euincat, vt me operante omnibus notum euadet. Nihil enim inflammabile in ſe habet nitrum, ſed in

flammabilia, & sulphurea igni admota accendit & inflammat, quasi ventus ex flabello emissus.

Eius substantia est duplex. Vna essentialis, & incorporea: altera vero corporea. Illa ab vnitate, per Mentis, Animæ ac Naturæ essentiam delegata, quasi materiam formæ incorporeæ destinatam, & Ideis, Rationibus, & Seminibus rerum gignendarum (vt tali Sale, Sulphure & Mercurio incorporeis) fœcundam meliorique vita gaudentem, nec dimensionum legibus, aut qualitatibus iniquis obligatam. At post diuinæ vocis prolationem, corporum, quantitatum & indiuiduorum infelici coniugio adstricta, radicibus, caulibus, racemis, corticibus, folliculis, spumoso spermate, & menstruo inhærere visa est, sed spirituosa & flatulenta semper dote instructa, vt escam semini vniuoco lætam exhibeat: vt ex blanda cælestis seminis efferuescentia, quasi per amorem in specierum suarum (sexu distinctarum) renouationem in dies conspirat. In semine enim sensum, & vim natura indidit, similia ex hac substantia nitri, vt à matrice, attrahendi, œconomiam speciebus aut exemplaribus suis similem ita dispensandi, vt in grata eius coordinatione ne intellectus quidem Angelicus sufficeret. In tali loco frondes, folia, fructus, in vegetabilibus: nasum, oculos, aures, tot vultus diuersos, similium specierum, in animalibus; tantam & tam variam mineralium naturam absque errore adaptare, & multiplicandi diuitem vim singulis & omnibus præbere, nisi sagax naturæ naturantis vis ipsis radicitus insita esset, vt donis

istis perpetuis digna redderet.

Altera vero corporea, quæ in dies ex incorporea primum substantia in corpoream transit, perpetuo influxu radiorum Solarium, & Astrorum vltimamque hanc conseruant, & restaurant: nam in centro, sicut puncto pyramidali, vniuersi concurrunt radij, sicut omnes cælestes influentiæ, quas Semen æquiuocum vocamus: in Solis enim & animalium calore aliquid viuificum deprehendimus: quod & ipsum esse dicit Aristot. ὅπερ ποιεῖ γόνιμα εἶναι τὰ σπέρματα. *Et quoniam in centro est perpetuus motus ab igne Naturæ, qui nihil aliud est, quam influentiarum omnium concursus, illico sublimatur, & volatilisatur: dumque in patriam redire cogitur, corporibus illico immergitur, sed spiritalibus primum, nempe Sale nitroso, & Elementali: postea vero crassioribus, donec tandem corporibus crassissimis, quasi carceribus immersa, & circumsepta claritatem suorum exemplarium obliuiscatur. Vnde illud Maronis, quo versibus plusquam Platonicis ait animam tenebroso huius corporis carcere circumscriptam veritatis lumen, & vera, quæ in illa refulgent, minimè percipere.*

Igneus est illis vigor, & cælestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.
Hinc metuunt, cupiunt, gaudentque dolentque, nec auras
Respiciunt, clausæ tenebris, & carcere cæco,
Donec longa dies.

Hoc

Hoc est postquam à suis sedibus demissa Semina, nempe ex essentia naturæ, quæ verorum entium vltimum est, corporibus includuntur; sed peregrinis, hoc est, radijs, imbribus, niue, tonitru, grandine, quasi ex aere nitroso congelatis, donec in terram, naturæ gremium, demittantur, quam per minima dissecant, agitant, voluunt, quadrata rotundis, & triquetris adaptant, quousque locum & domicilium suæ speciei aptum inuenerint; tandem in lucem optatam prodeuntia, dimensionum legibus secundum sensum subijciuntur, iuxta illud Lucretianum.

Postremo pereunt imbres, vbi eos pater æther
In gremium matris terraï præcipitauit.
At nitidæ surgunt fruges: ramique virescunt
Arboribus; crescunt ipsæ fœtuque grauantur,
Hinc alitur porro nostrum genus, atque ferarum.

Occurrentibus enim tam in visceribus, quàm superficie terræ Mineralium, Veget. & Animal. speciebus, per quandam reminiscētiæ speciem, agnoscunt germanam, & ipsis similem naturam, dum sese in mineralium, veget. & animalium radices, post longa viarum tædia, pro alimento transferri patiuntur: attrahit enim, inquit, diuinus Hippocrates, è terra vnumquodque, quod sibi simile est, & est amarum, & salsum, & insipidum, quas δυνάμεις *appellat. Similiter affirmat nutriri nos ex eadem materia, ex qua constamus: at nutrimur ex vegetabilibus, animal. & resolutis mineralium spi-*

ritibus, iuxta illud item Lucretianum.

Intempeſtiuis ex imbribus humida tellus
Vertitur
Vertunt ſe fluuij, frondes, & pabula læta
In pecudes: vertunt pecudes in corpora noſtra
Naturam: & noſtro de corpore ſæpe ferarum
Augeſcunt vires, & corpora pennipotentum.
Ergo omnes natura cibos in corpora viua
Vertit, & hinc ſenſus animantum procreat omnes.

Ex quibus ſpecioſiſsimis verbis tota circularis naturæ ratio ediſcitur, comprehendens ſemen, tum vniuocum, tum æquiuocum omnium mixtorum: quod tandem ab vnitate delapſum, in alimentum mineralibus, veget. & animalibus cedit, flatuoſa, perſpicua, & ſpiritali actione repletum.

In hac ſubſtantia corporea vis eius incorporea, quaſi ſpiritus vniuerſi (qui totus igneus eſt, & intellectualis,) ideis rerum faciendarum pleniſsimus deliteſcit, ordinem, & diſpoſitionem principiorum, & elementorum in hæc inferiora procurans. Hermes Triſmegiſtus, de hoc ſpiritu loquens, ait ventum illum in ventre ſuo portaſſe. Hic ventus, quaſi aura tenuis, & flatus, & effuſio aeris, eſt verum naturæ flabellum, aditum ſpiritibus in corpora continuo præbens, rarefactionem, & condenſationem omnibus inferens; per ingreſſum dilatando corpora, per egreſſum vero condenſando. Hunc ventum, ſpiritum corporeum nominabant

sapientissimè Stoici, omnibus præsentem, & interuenientem, ne fieret vacuum, immò & ictu oculi omnia penetrantem, renitentibus vim manifestam inferentem, vt in fulmine, tonitru, & ictu bombardico in dies videmus. Est ignis, & omnium inflammabilium carcer. Vbi enim se extendit per motum à centro ad circumferentiam, incenduntur inflammabilia, imò & ignis intellectualis ipsi inclusus auolat: cum autem coarctatur, includit in se inuisibilem ignem & incorporeum sulphur.

Nullum est mixtum hoc nitro vacuum. In animalibus sudores, vrinæ, excrementa, sanguis, copioso nitro scatent. In fimo columbino, & auium arenulas pascentium quot & quantas nitri species inuenimus? An mineralia tacebo? præcipuè lapides, qui nitrosas nutriunt herbas, quæ totæ in nitrum resoluuntur, vt chelidonium, & parietaria?

Hunc ventum, vita & spiritu plenissimum, appellauit diuinus Hippocrates ὁρμῶντα, diuidens corpus, in contenta, continentia, & impetum facientia.

In hoc vento diuersissima rerum seminaria, & specifica virtus, per quam vnaquæque res possidet aliquid sibi proprium, tota latent.

Ab huius spiritu rubedo sanguinis, & herbarum multarum viriditas, in plantis crystallisatio, & formarum Mathematicarum imitatrix forma, vt in crystallo, smaragdo, amethysto, niue sexangulari & similibus hexaedrica illa species; in mineralibus vbique eius cælestis & diuina natura elucet;

vt meritò hunc cælestem terram, & omnium intelligibilium specierum matricem, & nutricem, non secus ac vitrum terram æthercam à natura elementari ad æthercam exaltatam, non ineptè appellare possimus.

Hoc nitro aer plenus, aqua plenior, terra plenissima, ingreditur corpora sub specie frigida, & incorporea: egreditur specie sulphurea, & calida: dum has actiones peragit, sua frigiditate cælesti pulmonis & cordis calorem in animalibus contemperat.

Ab hoc, agrorum fœcunditas, nix, grando, glacies, gelu. Ab hoc vento replentur, & terram omnem pinguem & fertilem reddunt, & ager omnis nitro vacuus, infertilis & sterilis iudicatur. In omni terra, Solis & Astrorum influentiis subiecta, plus aut minus inest. Quod probatur. Nam si sumatur terra aliqua per lixiuium hoc nitro spoliata, nihil vtique in æternum ibi crescere conspicietur, quousque à radiis solaribus, & astrorum, præcipuè vero Lunæ, pluuiis, niue, tonitru denuo imprægnata fuerit: tum incipient animalcula, vermes, & similia apparere, tandem herbæ. Sed ad quid quæso agrorum stercoratio, stipularum accensio? nisi illa multo nitro repleta, hæc nitri famelica esset, quod ex aere, pluuiis, & astrorum radiis allicit tandem Sal delitescens in agri Sulphurei, & stipularum accensarum cineribus, iuxta illud Maronis, Georg.1.

Sæpè etiam steriles incendere profuit agros,
Atque leuem stipulam crepitantibus vrere flammis:

Nec ſaturare fimo pingui pudeat ſola, neve
Effœtos cinerem immundum iactare per
agros.

Nonne hoc Nitrum in terræ eſurientis gremium deponunt, quod denuo pro cibatione frumenti, herbarum, & arborum in gratam lucem denuo effundunt? Nonne agrum vomere deducimus, vt ad receptionem huius nitri exſuſcitetur? Et vt verbis Lucretianis vtar.

----Quoniam incultis præſtare videmus
Culta loca, & manibus meliores reddere fœtus:
Eſſe videlicet in terris primordia rerum,
Quæ nos fœcundas vertentes vomere glebas,
Terraïque ſolum ſubigentes cimus ad ortus.
Quod ſi nulla forent, noſtro ſine quæque labore
Sponte ſua multo fieri meliora videres.

Effugit ſolares radios, dum terræ aquæque ſeſe inſinuat. De quo hieroglyphicè egit Naſo ſub Amore Apollinis, & Daphnidis: intelligens per Apollinem radios, per Daphnidem nitrum in aquoſum humorem ſeſe inſinuans, & poſtea laurina viriditate in ſuperficiem terræ rediens.

Omnia ſalia elementaria nitrum ex aere, appetitu innato, attrahunt, quod poſtea ab ignis centralis vi, per motum à centro in circumferentiam deponunt, & ſalem, quem rerum volatile principium, aut elementum vocamus, componunt.

Olim in cibis vtebantur nitro, & condiebantur illis vina, & ſemina ipſo imbuebantur, vt teſtatur

Plinius, l. 14. c. 20. & l. 18. c. 17. *Sic Virgil.* l. 1. Georg. *inquit:*

Semina vidi equidem multos medicare serentes,
Et nitro prius, & nigra perfundere amurca.

Nitrum etiam animalibus ad fœcunditatem procurandam obyciebatur. Nonne etiam pecudum halitus parietes reddit nitrosos, quos demum lambunt oues, capræ, & equi, & inde fœcunditatem acquirunt?

Hoc denique nitrum, seu vitalis naturæ ventus nihil aliud est, quam ipsa naturæ essentia, & substantia, à mente & anima esse suum, & actum in hæc inferiora exercens, & ab ipsis per vniuersum diffusa, continens in se omnes mixti rationes seminarias, & quasi è diuite penu, singulis rebus suam formam specificam tribuens. Hunc spiritum in mentibus ideas, in anima rationes, in natura semina, in materia formas appellamus. Hunc Paracelsus arcanam numinis vim, lucis opimam virtutem, vim lucidam Sulphuris, vim cæli occlusam, facem, & purissimam lampadem inaccessæque virtutis ignem, florem naturæ, atque nobile germen, vocitabat. Alanus in dictis quæ posteritati consecrauit, naturam appellat, ignem itidem sapientiæ. Alexander à Suchten vocat ignem viuum. Geber philosophorum princeps spiritum hunc, Sulphur incombustibile nominat, naturam viriditatis, quæ cunctas res germinare facit. Hic est Chymicorum Leo viridis, cui omnium morborum curationes adscribit Paracelsus. Arist. hunc calorem nominabat

lib. de Generatione Animalium cap.3. Ineſt, *inquit*, in ſemine omnium quod facit, vt fœcunda ſint ſemina, videlicet quod calor vocatur: idque non ignis, neque talis aliqua facultas eſt, ſed ſpiritus, qui in ſemine ſpumoſoque corpore continetur, & natura quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondet elemento ſtellarum. *Denique Caballiſtici, & præcipuè Rabi Simeon filius Iochai, author Zobarij, nihil aliud intelligere videntur per hunc ventum, quam coniunctionem animæ & ſpirituum, vnde vita promanat, quam ventum nominant, & ita nominatur à Iobo* cap. 7. Memento quòd ventus eſt vita mea: *Itaque ventus viuus idem eſt cum eo, quod vocamus ſpiritum & animam. Et dicitur viuus, quando coniunctio illa fit abſque corruptione. Sed quando ita coniunguntur, vt corpus corruptibile interuenire poſſit, tunc ſpiritus & anima quæ fuerant vnum, à corpore diſſociantur. Non ſecus ac animæ notio, quæ antequam proferatur, eſt tantum res vna: at prolata, in res plures diſpergitur, & plures res denotat. Plato hunc ſpiritum totius formæ propugnatorem appellat, illumq; à generali mũdi ſpiritu excitari, & cõtineri literis prodidit. Is enim omnium genitorum ſeminales rationes, omneſque occultas proprietates in ſe continet, omnia implet, per omnia diffuſus, in animantia, in ſtirpes, & mineralia propagatur.*

Quæ hîc de Nitro dicta ſunt, quæque de aliis iiſque præclariſsimis eius in rerum natura officiis dicenda reſtant, tum ſcriptis auditorum commit-

tam, tum in priuata operatione per manualem demonstrationem posteris confirmata relinquam.

DE TARTARO Vitriolato.

CAPVT XLIII.

HOc remedium præmittitur aliis catharticis; præparat enim humores, eosque fluidos reddit, iuxta illud Hippocratis. *Qui purgare volet, corpora fluida faciat oportet.*

♃. igitur olei tartari per deliquium facti ℥. iij. Pone in vase ampli orificij, super quod affunde guttatim olei vitrioli ℥. j. & videbis illico magnam efferuescentiam. Imo & vas simul vbi materia efferuescit, tam calidum fit, vt vix absque noxa, manibus possit apprehendi. Post efferuescentiam coagulantur omnia in formam lactis, aut casei coagulati. Interea euadunt ambo penè insipida & conseruantur ad vsum, qui talis esse debet. ♃. huius coagulati ℈. j. dissolue in iusculo appropriato, & exhibe duabus vel tribus diebus, aliqua hora matutina ante purgationem, si morbus dederit inducias.

Vtile est hoc remedium in morbis chronicis, epilepsia, hydrope, colica, calculo re-

num: dissoluit enim humores tartareos & pronos reddit ad euacuationem.

Vnde fit tantus calor, & efferuescentia in admistione olei Vitrioli & Salis tartari dissoluti: quare adimitur acrimonia maxima vtriusque per olei Vitrioli acerrimi commixtionem: quid est illud, quod tanta vi, & acumine nares ferit in amborum efferuescentia: an spiritus in hac actione rectè demonstrari possint, hîc opportunè perscrutabimur.

DE SALE SEV *saccharo Saturni.*

CAPVT XLIV.

℞. MInij, Cerussæ, aut Lithargyri libras duas, vel tres. Pone in matratio amplo, & affunde aceti fortis destillati, ad eminentiam trium, vel quatuor digitorum. Maneant in digestione per tres vel quatuor dies. Tunc effunde acetum, filtra, & reserua per se, & superpone nouum acetum, vt prius, nempe super materiam relictam in matratio. Hoc reitera, quousque saporem non inueneris in aceto alienum. Liquorem filtratum simul ponito in vase vitreo, & lentissimo ca-

lore, & (si fieri possit) in balneo euapora, aut quod multo præstantius erit, per Solis radios, & habebis in fundo salem Saturni.

Huius vsus est tam internus, quam externus, in ardore vrinæ, aut gonorrhœa virulenta. Debent dissolui 2. aut 3. grana eiusdem in aqua aliqua specifica, & exhiberi ægro. Est optimum topicum in inflammationibus externis, nempe in erysipelate, phlegmone & eiusmodi. Et quod mirum, quamuis videatur frigidus, tamen optimè discutit, & dissoluit scirrhos. In doloribus podagricis prodest, vngendo locum, vt sequitur.

℞. Salis Saturni ℥. ß. aquæ rosarum & plantag. an. ℥. j. vitellum vnum oui, olei rosati ℥. j. Agita simul omnia; & illico acquirent consistentiam cerati. Applica, si appareat inflammatio. Si vero non fuerit inflammatio, & podagra videatur (vt vulgo dicitur) frigida, tunc loco aquæ plantaginis & rosarum, adde spiritus vini quantum aquæ. Denique apponitur etiam pro defensiuo, vbi caustica admouentur, in carcinomate aut cancro.

An Mercurius viuus ex Saturno educi possit: an eductus aliquid supra Mercurium vulgi præstare possit: an sit aliquid in Saturno sensibilis inflammabilitatis: an inflammabilitas illa insignis, quæ in sale Saturni conspicitur, à Saturno, an ab aceto eius menstruo proueniat: vnde tam suauis, iucundus, & fragrans odor, qui ex oleo, seu spiritu

inflammabili Saturni emanat: an ab aceto, an à Saturno? an quod Sal tartari, super quem acetum destillaueras, simili modo emittat odorem, & inflammabilitatem, demonstret vacuitatem Sulphuris inflammabilis in Saturno: quare igni'us spongiosior quam frigidus: quare calcinatus ponderosior non calcinato, & an hoc pacto ignis & aer ponderari poßint, dilucidè ostendemus.

DE SALE PERLARVM & Corallorum.

CAPVT XLV.

PErlæ dissoluuntur in aceto forti destillato, acetum perlis imprægnatum aufertur, filtratur (vt dictum est in magisteriis) filtratum euaporatur lento igne ad siccitatem, & hoc quod remanet est Sal perlarum. Simili modo procedendum est in sale Coralli.

Exhibentur in dysenteria, sed semper in iusculis; in diarrhœa, & omnibus morbis à nimio humorum fluxu. Nihil differunt à magisteriis, nisi quod tendant ad maiorem siccitatem.

An odor moschi in dissolutione perlarum sit per-

lis proprius, an ex corallis elici possit tinctura: an maxima pars salis perlarum & corallorum sit potius aceti sal, quam perlarum aut corallorum: an tanta facultate astringente polleant, hac in parte manifestè demonstrabo.

DE PVLVERE *emetico aut Algarot.*

CAPVT XLVI.

℞. MErcurii sublimati corrosiui, & Antimonii crudi, an. ℔. ß. Pone in retorta vitrea, & adapta recipiens siue retortam aliam, & admoto igne per gradus, Mercurius cum Antimonio mixtus, egreditur in recipiens in formam ferè picis fusæ, qui tandem congelatus obtinet formam gummi resinosi. Denique cinnabaris fluet in collum retortæ, quam auferre potes, & seruare pro fumigandis lue venerea infectis. Hoc gummi præcipitatur per affusionem aquæ dulcis. Puluerẽ album præcipitatum edulcora multis lotionibus cum aqua calida factis, desicca & reserua pro vsu, qui frequentissimus est in Medicina, & à multis laudatus. Dosis erit à ℈.ad 4.

grana, si rectè exhibeatur, præstantissimum; sin malè, perniciosissimum est remedium.

Multi verentur vti Antimonio hoc modo præparato, aliisque Antimonij præparationibus hanc postponunt, nulla alia ratione ducti, quam quod per Mercurium sublimatum corrosiuum præparetur, & quod violenter vomitum excitet. Sed pace illorum dixerim, nulla illi à sublimato venenata qualitas impertitur; sed potiùs per sublimatum omnis venenosa Antimonii facultatem aufertur. Non enim ingreditur ipsum præparatum sublimatus, sed dissoluit tantum Antimonium. Quod dissoluens (cum constet ex spiritibus salis, & vitrioli cum Mercurio coagulatis) aufertur per adiectionem aquæ dulcis, simulque tota sublimati & Antimonii venenositas. Vsum huius antea horrueram, eorum exemplo, qui prius odisse cœperunt quam cognoscere. Nunc autem frequentissimo vsu cognoui, hanc præ omnibus Antimonij præparationibus palmam obtinere, immo amittere vim istam emeticam (quæ infamiam Antimonic vix ac ne vix delendam peperit) posseque infantulis, debilibus, immo (quod mirum est) in febribus continuis, vbi cathartica vt plurimum non exhibentur, minori cum noxa, quam vel manna aut cassia exhiberi. Sed ad istas laudes debitè promerendas, non erit priori operationi inhærendum, sed longiori labori, & spatio, tum operosiori arte insudandum, vt virtutes prædictas obtineat.

Dosis non excedit grana tria, quæ deiectionem, citra vomitum, septies aut octies promouent, & citra

hypercatharsim, absque torminibus & tenesmo. Purgat vtramque bilem & pituitam, excitat deperditum appetitum: denique est omnium catharticorum laudatissimum. Et vt verbo dicam, quum omnia remedia morbis conueniant, non tam per se, quam ratione rectè praescribentis, & tempus commodum & opportunum eligentis, hoc (vt & alia) probè vtentibus optimum, non ex arte vero pessimum.

DE REGVLO Antimonij.

CAPVT XLVII.

℞ STibii crudi puluerisati & desiccati, salis nitri siccati, an. ℔. j. tartari puluerisati ℥. vj. Misce omnia. Tunc sume amplum crucibulum, & pone inter carbones ardentes, donec rubescat: tunc iniice puluerem in crucibulum ardens, non simul, sed per vices, & illico inflammabuntur omnia. Tunc vas strictè cooperiendum erit patina aliqua ferrea, ne quid effugiat. Dein aufer patinam feruore remisso & iniice pulucrem de nouo, & ita procede vsque ad consumptionem pul-

uetis. Quo facto aufer crucibulum ab igne, & agita fortiter ſupra terram forcipibus, vt regulus Antimonii cadat in fundum. Refrigerato vaſe frange, & inuenies regulum in fundo, cum magna fæcum quantitate.

Hic regulus multis inſeruit operationibus Chymicis, præcipuè metallicis. Aliquando etiam vſurpatur in Medicina. Denique regulum fundimus, & proiicimus in typum ferreum, vt fit in globulis bombardicis, & ex ipſo fiunt globuli, qui dicuntur pilulæ perpetuæ. Multis etenim exhibentur vicibus, deglutiendo, abluendo, iterumq; deglutiendo. Præcipue vero valent in ſpeciebus miſerere ſiue voluuli. Sed ſi quauis ratione vis cathartica addi poſſit, eſſet magis laudabile remedium, ſicut demonſtrabo. Proiice regulum Antimonii in duplici typo. Hic confici poteſt ex ligno rotundo, ad magnitudinem piſi poſito in cauitate typi, circa quod proiici debet regulus fuſus. Tunc habebis globulum ex regulo tuo, in quo incluſum eſt lignum. Quod vt extrahas, debet comburi lento igne, vt locus inanis relinquatur, qui implendus erit extracto colocynthidis, aut reſinæ ſcammonii.

De alijs huius dotibus legantur ij qui ex instituto de Regulo Antimonii tractarunt, & inter alios Angelus Sala libro de Anatomia Antimonii.

DE VITRO *Antimonij.*

CAPVT XLVIII.

℞. STibii crudi puluerisati ℥. iij. vel iiij. Pone in crucibulo, & funde igne forti, agitando sæpe materiam baculo ferreo, quousque videris materiam adhærentem simul & viscosam, tunc proiice in peluem. Prima vice apparebit nigrum, reiterata operatione apparebit rubrum. Multi eo vtuntur in Medicina. Vsus tamen fugiendus est. Vitrum enim hoc, cum ad vltimum opus naturæ proximè accedat, tenuitate partium, stomachi fibras incidit, violenter agit, & symptomaticè, sicut arsenicum, sublimatus corrosiuus, & alia venena: proinde nulli suaderem eius vsum.

Præparatur hoc vitrum Antimonij diuersis modis. Sed omnium probatissimus est iste Mathioli super Dioscoridem commentario, cap. de Stimmi seu Antimonio, *ad quem pro huius præparationis modo transmitto.*

Dicitur autem vitrum Antimonij, quia forma,

resonantia,

resonantia, splendore, fragilitate aliquo modo vitrum refert. Non est tamen tam solidum, aut aridum, seu fixum, ac vitrum: multo enim facilius liquescit. Ad hæc, si diutius in igne moretur, fuliginem quandam emittit. Ex quo conycere est, vitrum Antimonij substantiam aliquam humidam adhuc retinere, quæ in vitro communi non deprehenditur. Quod plus est, vitrum Antimonij in liquore aliquo infusum, facultatem illi impertit vomitoriam, quod non facit vitrum commune. Similiter vitrum Antimonij dissoluitur ab aqua regia, quem defectum vitrum vulgare non habet.

De Vitro & vitrificatione.

Sed quoniam incidimus in vitrum, non possum quin naturam vitri per partium separationem, hoc in loco obiter inquiram. Et primo hoc fundamento posito, duo esse separationis omnium corporum instrumenta, ignem nempe, & aquam, sicut & duæ species separabiles tantum in rerum natura inueniuntur, volatile nempe, & fixum: volatile per ignem separatur, fixum vero, vt plurimum, per aquam: ignis enim inflammabilia omnia, vt sulphurea, & aerea, sublimat · aqua autem separat salem à terrestreitate : Proprium enim, *inquit Geber*, est Salis, & Aluminis in aqua solui, cum ab illa oriantur. *Fixorum aliud est fixum secundum quid, nempe sal; quod potest tamen aliqua ab arte, vt à natura, volatilisari :*

Alterum fixissimum, nempe terra, sustinens omnem ignis impetum. Terræ vero tres sunt substantiæ, vna volatilis, alia magis fixa, tertia fixissima. Rabbini Hebræi tribus hisce substantijs tres diuersas appellationes imponunt. Primam vocant Erehs, *quæ propriè est terra limosa. Secunda dicitur* Adamah, *quæ propriè terra argillosa dicitur. Tertia vero,* Iabassah, *terra arenosa, quæ in sacris literis dicitur arida, vt Psal. 94.* Et aridam fundauerunt manus eius. *In Mercurij Trismegisti Pœmandro hæc terra arena nominatur in sermone suo sacro, cap. 3.* Floruit autem splendor sanctus, qui sub arena, & humida natura elementa deduxit. *At terra hæc nostra composita & elementata videtur ex terra limosa, vt anima; argillosa, vt spiritu; & arenosa, vt corpore constare: in qua anima leuis, corpus graue, spiritus medius: terra limosa leuis, argillosa media, arenosa fixissima, & grauissima.* Graue enim est saxum, & onerosa arena, *vt est* Prouerb. 27. *Per affusionem aquæ ex hac nostra terra separatur eius spiritus, & anima, nihilque relinquitur quam arena sterilis, & infructuosa, vnde est in prouerbio,* littus aras. *Et quemadmodum vnicuique elemento duæ sunt qualitates primæ, quarum vna primariò propria, nempe siccitas; alia vero appropriata, nempe frigiditas. Terræ à prima qualitate conuenit, & semper, siccitas; proinde terra Hebraicè vocatur* Iabassah, *& Græcè* ξηρὰ, sicca, *&* arida, *vt est 1. Geneseos:* Et vocauit Deus aridam terram. *Et hæc propriè terra dicitur, solumque pu-*

rum, & incorruptibile elementum: aliæ enim species sunt impuræ & alienis corporibus contaminatæ, ut solæ & per se sub sensus nostros nusquam cadere percipiantur. Et quoniam incorruptibile idcirco hoc elementum nihil producit; sed è contra, sicut videmus in arena, quæ proculdubio nihil aliud est quam vitrum inconnexum. Cuius substantia (ut ultimum naturæ opus) non tantum est incorruptibilis, sed corruptibilium omnium matrix, & conseruatrix, ut videmus in ijs quæ in arena sepeliuntur, ut de mumiis legimus. In arena enim cadauera tam artificiosè apud Ægyptios condiri solebant, & aurea lamina ac fasciolis densissimis obuolui, ut duobus amplius annorum millibus integra, exemptis humoribus ac interaneis seruarentur: ut etiam nunc his tēporibus ex arena pura eruātur circa pyramides integerrima, illa ætate condita & oblita, quæ Isidi sacra fiebāt, ut ex imaginibus quas cadaueribus includebant compertum est. De herbis & radicibus in arena conseruatis idem est iudicium. Ex hac denique arena seu terra elementari, fit vitrum, quod in cinere omnium combustibilium deprehendimus. Omne enim priuatum propria sua humiditate, nullam nisi vitrificatoriam præstat fusionem, *inquit Geber. Ex cineribus enim omnium fusis fit vitrum. Sed in cinere duplex est natura. Vna salsa, alia insipida. Salsa adminiculo aquæ dulcis calidæ separatur ab insipido. In separatione autem hoc obseruandum, quod eius terræ arena est tenuissima. Vera tamen terra, & quæ in vitrum facile cedit, modo cum sale suo si satis per se cop-*

sum habuerit, igni violento & flammeo ad fundendum æquo tempore fuerit expositus. In qua operatione animaduertendum, nullam posse fieri veram fusionem vitrificatoriam absque duplici agente, actuali nempe, igne flammeo: & sale, igne potentiali, & corrosiuo. Huius potentialis ignis mentionem fecit Iob 20. Deuorabit eos ignis qui non succenditur. *Sed supra hanc terram ignis nullam habet vim, nisi vt ipsam nitidiorem, & clariorem reddat. Et ne putes, vt vulgo ineptè creditur, salem ingredi hanc compositionem. Nam in prima vitri fusione Sal, quod alias omnium elementarium substantiarum grauitatem superat, grauitati terræ huius, seu arenæ vitrificatæ cedit, illique innatat, quasi sulphurea super aquea, donec auferatur per cochlear ferreum, in eadem ferè quantitate, seu pondere, supra vitrum fusum, quo prius in cineribus latebat. Concludendum ergo, vitrum esse elementum purißimum, & simplicißimum: imo quod magis est, supra omnem elementarem simplicitatem productum, ex fusis simul arenulis conflatum, solumque inter omnia elementa, quæ sensibus nostris manifestari possunt, elementans & corporeum. Quod inter omnia alia elementa solum incorruptibile & stabile à Platone æstimatur, cùm ignis omnium agentium potentißimus, vires suas in illam exercere non poßit, sicut super aurum, nisi vt purius & splendidius reddat. Quare haud absque ratione & symbolo, propter incorruptibilem illorum naturam, à B. Iobo c. 28. associantur.* Non adæquabitur sapientiæ, *inquit,* aurum vel vitrum. *Neque abs q*

caussa per illud denunciatur status & exemplar sæculi venturi, propter eius incorruptibilitatem, puritatem & transparentem luciditatem, per quam super alia omnia maxime idoneum censetur, tum recipiendi, tum distribuendi lumen: in cuius substantiam tandem vniuersa & pulcherrima hæc mundi machina per subitam conflagrationem transmutari debet, iuxta illud Apocalypseos cap. 21. *duobus in locis*; Postea vidi nouum cælum, & nouam terram; nam primum cælum & prima terra euanuerunt, & mare amplius non fuit. *Tandemque addit sacro-sanctam vrbem Hierosolymitanam fuisse auream, claram & lucidam, sicut crystallum*, καὶ ἡ πόλις χρυσίον καθαρὸν ὁμοία ὑάλῳ καθαρῷ. Ciuitas, *inquit*, cælestis Hierosolymitana fuit aurum purum & obryzum, similis puro vitro. *Et paulò post*, καὶ ἡ πλατεῖα τῆς πόλεως χρυσίον καθαρὸν, ὡς ὕαλος διαφανής; & plateæ ciuitatis fuerunt ex puro auro, & nitidæ sicut vitrum transparens. *Et quamuis sub hisce verbis lateant pulcherrima secreta, sicut sub characterismo sensus aliquis occultus & mysticus hominum sagacitatem & industriam illudens: tamen ad arenæ naturam ostendēdam non ineptè quasi in transitu vsurpari possunt. Quòd si in mixtis non appareat, quid mirum? quin immo non nisi violento aliorum elementorum actu percipitur. In arena igitur est vitrum, sicut in sale ignis: ita singula elemēta aliis elementis vt corticibus vestiuntur, & in mundanam hanc scenam prodeunt. Et quemadmodum vnumquodque elementum duas ha-*

bere dicitur qualitates : eodem pacto reperiuntur quatuor Magna elementa (ita enim ea vocant Hermes, & Raymundus Lullius,) quorum vnumquodque alicuius communium elementorum naturam magis, aut minus sapere videtur. Mercurius nempe aquæ aßimilatur, oleum seu Sulphur aeri, Sal igni, vitrum terræ, quod purum & nitidum in centro omnium mixtorum degens reperitur, & vltimo sensibus nostris sese reuelans, ab omni heterogeneitate exemptum. Hac igitur arte, ignis actu & operatione, corporibus omnem labem delemus, reducimusque ad puritatem substantiæ incorruptibilis, deinceps per secretionem impuritatum inflammabilium, & terrestrium : Tota enim intentio operantis versatur in hoc, *ait Geber*, vt grossioribus partibus abiectis, opus cum leuioribus perficiatur. *Quod est à corruptionibus hisce infimis ascendere ad puritatem mundi cælestis, vbi elementa sunt puriora & essentialiora, prædominante igne omnium purißimo, qui rectè dici potest infinitus naturæ actus & vis, vnusque tamen & idem, tanquam in tres regiones diuisus: in cælesti lucens, in etherea aereus est, coquens & digerens, in elementari vrens, qui & absque elementari hac materia, sub sensus cadere nequit. Sicut in combustibilibus videmus, & cinifactis. In iis nempe, vt in Sulphure combustibili, hoc est in pinguibus, & oleaginosis, videmus vrentem, & lucentem simul. In altero vero, vt calcibus rerum, vrentem tantum. At post separationem terræ puræ & crystallinæ, quæ vitrum est, in ipso hoc vi-*

tro deprehenditur lucens tantum: in ſale verò cauſticus & adurens. Quid eſt enim Sal, niſi ignis potentialis & aqueus, nempe aqua terreſtris, igne impregnatus, vnde proueniunt diuerſæ mineralium ſpecies? Sunt enim omnes naturæ aqueæ, ſicut videmus in aquis fortibus, quæ omnes ex ſalibus mineralium, vitriolo, alumine, & nitro componuntur, quæ non minus quam ignis vrunt. Et quum nihil ſpiritale in hæc inferiora deſcendat, aut operetur, abſque indumento, aut veſte, Corpus inuoluit Spiritum, Spiritus Animam, Anima Intellectum, Intellectus Deum: & deſcendendo, ſplendor diuinus eſt in Intellectu, Intellectus in Anima, Anima in Spiritu, Spiritus in Corpore: ſic Lux in Splendore, Splendor in Lumine, Lumen in Igne, Ignis in Nitro, vt corpore ſeu indumento, deprehenditur. Ignis igitur corpus eſt Nitrum, Aeris corpus oleum, aquę corpus Sal, Terrę corpus Vitrum. Ignis Anima eſt Cęlũ, Aeris Anima Nitrum, Aquæ Anima Aer, Terrę Anima Sal. Et denuo, Aeris Anima ignis, Aquę Anima Aer, Terrę Anima Aqua. Sic ſpiritalia minus ſpiritalibus, minꝰ ſpiritalia craſſioribus, craſſiora corporibus, magis aut minus craſſis includuntur, & quaſi per vitra perſpiciuntur. Ignis omnia mouet, aqua omnia nutrit, ait Hippocrates: Aer ſenſum rebus præbet, terra ſubſtantiam. Ignis diaphanum eſt Nitrum, Aeris Oleum, Aquæ Sal Salis diaphanum eſt Terra, ſeu Vitrum. Et hæc eſt grata concatenatio omnium rerum ſpiritalium, & corporearum, per quam omnes naturæ diſpenſationes perficiuntur. Vbi notandum,

quod formæ incorporeæ quo magis ad corpoream accedunt naturam, ex formalibus fiunt tandem materiales: & materiales, quo magis ascendūt ad incorpoream naturam, ex materialibus fiunt formales. Transeunt autē per diuersas istas naturas, ope Animæ, Naturæ, & Materiæ, vt Platonico more loquar, quas Paracelsus, Ares, Archæū, & Iliasten *vocat.*

Ares *est spiritus Naturæ, participationem habens Mentis, Animæ, & Naturæ, dans vnicuique esse illud quod est, hoc est formam, naturam, & differentiam, qua discrepat ab omnibus aliis rebus, vt in herbis apparet, quarum singulæ propriam radicem, folia, caulem & succum habent, quibus ab omnibus aliis differunt.*

Archæus *autē, est artifex qui omnes istas ædificat.*

Iliastes *est fundamentum & omnium rerum materia, desumpta ex tribus istis quasi Merc. Sale, & Sulphure incorporeis. Sed descendamus in arenam nostram. Quum terra arenosa sit corpus simplicissimum, & incorruptibile, in quem vsum à natura subrogatur in mixto? Certe non tantum vt corporeitatem præbeat, quasi basim, & fixitatem aliis ne auolarent: sed vt per inæqualitatem, & asperitatem laterum, & angulorum arenularum suarum, quasi per diuersas configurationes, in prima creatione, à diuersissimo idearum characterismo ipsis impressas, moles corporea & materialis, (iuxta diuersissimas imponendarum, & disponendarum in ipsis rerum species) ex atomis sensu indiuisibilibus formaretur. Ex quibus hæc terra inanis, & per inæqualitatem laterum adiacentium*

vacua, vt matrix, & locus aptus relinqueretur, quo aditus pateret elementis, & seminibus terræ huius vtero incumbentibus, & in molem hanc arenaceam spiritali adhuc modo influentibus, donec singula suis exemplaribus similia redderentur. Itaque non secus ac moles bombardica ex globulo facilè talis esse percipitur, qualis est forma globuli. Eodem pacto vniuersi Ares & Archæus, in hac arena quasi in Iliaste, diuersas rerum omnium formas producit, similes loco & matrici suæ naturali, quæ essentijs suis in mundo intelligibili olim aßimilabatur. Propter hoc ascendit terra omnium fixißima & grauißima, & in excelsarum arborum cacuminibus, non minus quam in radicibus, reperitur, molem & externam formam rerum præbens: per quam, quasi per naturæ vitrum diaphanum, percipiuntur, quæ antea in mundi incorporei essentia, quieto silentio delitescebant.

Sed quoniam hic de terra sermo est, non inutile credo fore, si axioma illud in Physica vulgari (vt multi putant) certißimum, examini sensuum & rationis exactiori, quam hactenus ab aliquo ante me factum est, exponere coner.

Axioma autem est, omnem grauitatem à terra prouenire, & omnia esse grauia propter terram. *Huius axiomatis veritas pendet ex anatomia grauium, & leuium. V. G. sumantur Ebenum & Suber, quorum vnum aquæ subsidet, alterum aquæ innatat. Arist. huius rei causam reddens, Ebeno causam subsidentiæ attribuit, propter copiosam terrestreitatem: Suberi vero innatantiæ causam, propter paucitatem materiæ terrestris*

& abundantiam aereæ. In cuius reddenda ratione, patet quam fuerit Arist. in enchiresi rerum naturalium imperitus. Si enim vnquam in horum examine, quod per ignem fit, insudasset, contrarium vtique affirmasset. In libra enim vna Suberis plus pura terræ inest, quam in Ebeni libris quatuor. Sume enim duas retortas, & in vna include ℔.j Ebeni, in altera ℔. j. Suberis, & recipientibus admotis, iuncturisque optimè clausis, vt nihil expiret, extrahe per ignem fortem, totum illud quod est volatile, vt supra ediscere quiuis potest cap. de Guaiaco; operatione enim exacta, si bonam acceperis Ebenum, in recipiente reperies circiter vncias decem, aquæ, spirituum, & olei. Caput mortuum vero ex retorta extractum pondere vnciarum vj. inuenietur, quod in calcinatione amittit forsã fixioris Sulphuris circiter ℥.j. Restabunt iam cineres pondere 5. vnciarum. Facta autem per lixiuium separatione salis ab arena, inuenies salis circiter vncias tres, terræ autem vix vncias duas. In tota hac operatione perit forsan ℥. j.ß.

At in Subere eodem obseruato processu, inuenies circiter ℥. x. terræ, olei, spiritus, aquæ; & salis non inuenies supra ℥. v.

Male ergo attribuitur causa grauitatis rerum, terrestreitati, quum terrestria omnia sint leuiora minus terrestribus, pondere simili. Vnde ergo grauitatis & leuitatis causa? Nonne dixeris à compacto, & raro? rara enim porosa, & multo aere distenta, proinde leuia; compacta vero aere penè vacua, proindè grauia. At quid si porosa omnia præter terram? Quum enim ipsa terra sit omnium se-

minium, aliorumque elementorum, tum influentiarum matrix, & receptaculum, supra omnia elementa debet esse maximè porosa, & maiorem semper partium extensionem corpoream habere, vt in ipsam iniecta facilius acciperet ac occultaret, & imprimis, vt aerea, & volatilia elementa, aut semina maiori, quam alia ambitu prædita, ab ipsa comprehenderentur, vnde semper copiosiori terra qua vestiantur egere eiusmodi vtique deprehendimus; quamquæ compactorum & fixiorum elementorum & seminum receptioni destinata videntur. Proinde si porositati causam leuitatis attribuas, eadem ratione & terræ tribuere cogeris: propter quod enim vnumquodque est tale, idipsum est magis tale: at propter porositatem omnia leuia. Ergo terra quæ est illius porositatis causa, maximè leuis esse deprehendetur.

Sed ne diutius lectorem suspensum detineam, duplicem esse statuo grauitatis, & leuitatis causam. Vnam in mixtis, siue compositis: alteram extra mixta. In mixtis, terra seu arena non est causa grauitatis, vt experientia irrepugnabili demonstratum est, sed Sal potius eius intrinsecum, vt in Ebeno, quam multo Sale scatere deprehendimus. Extra mixta vero terra siue arena omnium grauißima. Nam cum Sale æqualibus ponderibus in igne fusionis librata arena, in vnum compactum corpus fusione reducta, specie vitri, fundum petit, cui innatat semper Sal, ea leuior, & volatilior.

Et hæc de Sale & Vitro, in Reip. literariæ gratiam, experimenta, longo vsu & rerum dissectione

mihi cognita, in medium proferre statui, plura & occultiora aliquando & rei Physicæ, & Medicæ magis conducentia, in publicum daturus, si hæc prima rerum elementa grato animo accipiantur.

DE CONVERSIONE *ferri in cuprum.*

CAPVT XLIX.

℞. Vitrioli Veneris libram vnam. Dissolue in ℔. iij. aquæ communis, & ebullire facito vsque ad siccitatem, ponendo circa initium limaturæ chalybis ℥. iij. vel iiij. Desicca & redige in puluerem subtilem. Pone in crucibulo nouo cum ℥. iij. flux, hoc est puluere confecto ex æqualibus partibus tartari & nitri. Tunc da ignem fusionis, materiam fusam proiice in lingoterium, ibique inuenies Martem in cuprum conuersum. Multi credunt hanc operationem elicitam fuisse ex secretis Pythagoricis, cuius mentionem facit Ouidius, Pythagoricæ disciplinæ discipulus, in Metamorphosi: & hanc conuersionem hieroglyphicè intellectam fuisse sub ænigmate amorum, Martis, Veneris & Vulcani. Qui cum huius artis duces videantur, cum ipsis finem huic labori & primis rerum elementis imponemus.

FINIS.



INDEX CAPITVM

PARTIS TERTIÆ.

PARTIS QVARTÆ.

Erratum hoc præ cæteris corrigito pag. 209. lin. 25 & 26. pro *obſcuro ſenite*, legens *obſcura ſemita*.

Douuiuz Jouueuo

